
BIBLIOTECA · DEL · DUQUE · DE · OSUNA

DISSERTATIO
PHYSICO - THEOLOGICA.

DE
QUALITATIBUS CORPORUM SENSIBILIBUS
DISSERTATIO PHYSICO-THEOLOGICA
AUCTORE

P. F. FORTUNATO A BRIXIA
ORD. MIN. REF. PROVINCIÆ BRIXIÆ

ſecundis curis

Ab eodem recognita, plurimum aucta, & vindicata.

***
**

Veritati nemo præſcribere poteſt, non ſpatium temporum, non patrocinia perſonarum, non privilegium regionum.
Tertullianus de velandis Virginibus.



BRIXIÆ. MDCCIL.
Excudebat JOANNES-MARIA RIZZARDI.
SUPERIORUM APPROBATIONE.

ILLUSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO
PRÆSULI
JOANNI BOTTARIO
SANCTISS. DOMINI NOSTRI
BENEDICTI PP. XIV.
CAPELLANO A SECRETIS,
S. MARIÆ TRANSTYBERIM CANONICO,
VATICANÆ BIBLIOTHECÆ CUSTODI,
&c. &c. &c.

F. FORTUNATUS A BRIXIA
MIN. REF.



Uod Tuo nomini opusculum hoc, Illustrissime ac Reverendissime PRÆSUL, inscribam, nolim mireris. Placuit enim, aliqua ratione posteris testatum relinquere, & quantum Tibi

de-

debeam, & quanti Te faciam. Quin autem sigillatim beneficia omnia persequar, quæ summa benignitate hactenus in me contulisti atque in dies conferre pergis, unum illud memorare sufficiat, quod caput omnium fuit, posteriorumque seriem longissimam prævenit. Romam quinque abhinc annis cum venissem, ea me, plane ignotum hominem, humanitate excepisti, quam vix, aut ne vix quidem sperare ausus essem, si longo Tibi fuissem usu conjunctus. Quid multa? Honorificum mihi facilemque aditum comiter illuc aperuisti, quo Romam adventan-

tes votis omnibus, nec immerito quidem, anhelant. An hoc autem ejuſmodi ſit, ut me Tibi æternum obſtringere debuerit, aliorum judicium eſto. Supereſſet interim, ut ſaltem paucis indicarem, quanto in pretio Te, Tuaque habeam omnia, PRÆSUL eruditiſſime. Quoniam vero nequeam id præſtare, quin præclara Tua, quæ ſane plurima ſunt, in Rempublicam Literariam merita recenſeam, obſtet autem maxime modeſtia Tua, mihi quamvis invito ſilentium imperabo. Quamobrem vix orſus, finem ſcribendi faciam, etiam atque etiam rogans ſuperos, ut quem-

ad-

admodum Te præcipua Summi Sapientissimique ANTISTITIS *familiaritate dignum præstas; ita me Tuis auspiciis non prorsus indignum esse contingat. Vale.*

Dabam Brixiæ Prid. idus Julii

anno MDCCXXXXIX.

AD

AD LECTOREM.

TErtium Physicæ tomum vix edideram, cum ad manus meas pervenit *Philosophia Peripatetica adversus veteres, & recentiores præsertim Philosophos firmioribus propugnata rationibus Joannis Dunsii Scoti Subtilium Principis* (sic enim inscribitur) *opera & studio P. Josephi Antonii Ferrari de Modoetia Ordinis Min. Conventualium*, anno 1747. Venetiis impressa. Opus statim pervolvere cœpi, noscere cupiens, an Cl. Auctor staret promissis, & Opus ipsum tam splendido titulo responderet. Non diu tamen multumque mihi laborandum fuit, ut certior fierem, nihil in illo esse, de quo gloriari merito possent Scholastici, vel jure timere Philosophi recentiores. Unum tamen vel in ipso limine offendi, quod, ne quid acerbius dicam, me vehementer movit, aculeatus scilicet acerbiorque stylus, quo Auctor non infrequenter impetit Recentiorum famam, eorumque opiniones haud raro insectatur. Novi equidem cum Cl. Joanne Clerico, *morem obtinere in Republica Literaria, ut homines literati sibi invicem perfacile detrahant, & propter levem injuriam, aut quod interpretantur, injuriam esse, convitiorum plaustra in Adversarios coniiciant* (a). Simul tamen persuasum habeo cum doctissimo Ludovico Antonio Muratorio, *veritatem ab erroribus liberari, defendi, suaderi posse sine tanto felle, tantaque petulantia orationis*, ipsamque caritatem jubere, *placidè nos vel in pertinaces hæreticos agere, ut non tantum illorum errori prosternendo studeamus, sed & saluti prospiciamus* (b). Hæc mecum ipse reputans, & sæpe animo revolvens, dolebam aliquando, ob jam absolutam, & ferme etiam impressam utramque Physicæ partem justum mihi deesse locum vindicandi, tum quos ille

(a) Tom. III. *Artis Criticæ* epist. 3. pag. 90. edit. Amstelod. anno 1700.

(b) Lib. II. *de moderamine ingeniorum* cap. 3.

reos plerumque facit dubiæ, aut etiam violatæ fidei, Viros præstantissimos; tum quas rejicit, damnat, proscribit philosophicas eorundem opiniones, *summo animi dolore* sese affici dicens, *cum catholicam juventutem hisce nutriri principiis animadvertit* (a). Verum si non omnino, ut optabam, ex parte saltem mihi favit fortuna. Monuit enim Typographus, animum sibi esse iterum imprimendi, quam novem abhinc annis, ejusdem typis, edideram Physico-Theologicam *de sensibilibus corporum qualitatibus* Dissertationem; sibique propterea visum esse factu optimum, si manum iterum Operi admoverem, illudque secundis, ut ajunt, curis recognoscerem. Hanc igitur peropportunam terendi iterum philosophicum pulverem occasionem nactus, in ordinem digessi, quæ circa *qualitates corporum sensibiles* in laudata Cl. P. Ferrari *Peripatetica Philosophia* tumultuario calamo notaveram. Nullam quoque diligentiam omisi, ut reliquos Auctores mihi compararem, qui hac in parte vel steterunt a Recentioribus, vel aversati eos hactenus sunt, aperteque oppugnarunt. En ergo, Lector benevole, quæ me impulerit causa, ut & hanc crambem recoquerem, & in illa recoquenda, præcipue contra Cl. P. Ferrari (cui tamen nihil propterea detractum velim) calamum stringerem. Curavi autem omni, quo fieri a me potuit studio ac diligentia, ne quid omitterem sive ex ratione & experientia, sive ex summorum Philosophorum, ac Theologorum auctoritate, quod usui maxime mihi sit visum ad demonstrandum I. *Scholasticam* accidentium absolutorum *doctrinam tanta donatam non esse certitudine & evidentia, quanta eam pollere, illius patroni putant*. II. Mechanicum *Recentiorum* systema *non omni prorsus ratione destitutum esse; ac proinde illos jure culpari non posse, quasi ob solum amorem novitatis a Scholasticorum opinione recesserint*.

III.

(a) T. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 206.

III. *Catholicæ fidei dogmata de venerabili Eucharistiæ sacramento non adeo dependere ab* accidentibus absolutis, *ut acta de eo res sit, nisi illa admittantur*. IV. *Neque testimonio veterum Patrum, neque summorum Theologorum auctoritate, neque demum ex Conciliorum decretis, & Ecclesiæ doctrina satis evinci*, absoluta *Scholasticorum* accidentia *a Viro catholico, tuta fide, negari non posse*. Nonnemini fortasse videbor in iis, quæ ad Physicum spectant, prolixius versatus, quam opus erat, ut Recentiorum religio vindicaretur. Velim tamen is consideret, jam ferme consultum esse illorum famæ, si semel constiterit, rationem & experientiam ei, quam tuentur, opinioni suffragari. Ut enim optime habet Cl. Muratorius, *verum vero adversari nequit; atque uti cum veritatibus Theologicis Philosophicæ, ita cum Philosophicis Theologicæ revera pugnare non possunt. Quamobrem tam ex his illæ, quam ex illis istæ lucem mutuo accipiunt, & certa incertis dant legem* (a). An autem res cesserit ex voto, viderint alii. *Difficile enim est*, teste S. Augustino, *ut de se quisque perfecte judicet* (b), quod nempe, ut recte observat Lactantius, *ita comparata sit hominum natura omnium, ut aliena melius videant, & dijudicent, quam sua* (c). Non deerunt forte, ut loquar cum Cl. Melchiore Cano, *etiam ex Viris plane doctis, qui me objurgent; erunt etiam, qui vituperent, quod quæstionem multis nominibus invidiosam consulto & cogitato* discutiendam susciperem, *ut rem alias gravissimam, nullius in Christiana religione esse momenti asseverem* (d). At vero id unum cum Lactantio ab æquo Lectore, *humanitatis jure* postulo, *ut non prius damnet, quam universa cognoverit. Nam si sacrilegis, & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam, incognita causa, licet, non injuste petere videmur, ut si quis erit ille, qui inciderit in hæc*

(a) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 24.

(b) Enarrat. in *Psalmum* 147. num. 12.

(c) Lib. III. *Divin. Instit.* cap. 4.

(d) Lib. VII. *de locis Theologicis* cap. 3. ad *concl.* 4.

si leget, perlegat, si audierit, sententiam differat in extremum (a). Summopere porro cavi, ne quid in scribendo mihi excideret, quod præstantissimis iis Viris, contra quos in hac concertatione adversarii partes gero, vel minus honorificum sit, vel molestum esse possit. *Vincat veritas*, dicebam cum Cl. Muratorio, *pondere argumentorum; non opprimat ira, mordacitate & furore dictorum* (b). Nam, ut Cl. Joannes Clericus egregie observat, *victoria quidem gaudet* veritas, *sed clemente, & in qua tetrum illud*: væ victis, *non audiatur; sed tranquilla, & in qua victi victoribus ita postmodum miscentur, ut eos secernere amplius non liceat; quia æqua sors est omnibus, & par gaudium ob defensam, vel retectam veritatem* (c). Sicubi tamen peccatum a me fuerit, Lectorem meum precor obtestorque, id ne ex industria a me factum putet, sed inadvertenti potius animo illud totum, quidquid est, elapsum referat. Tandem ad rem quod attinet, per me cuique liceat, opinionem, quæ sibi magis placet, nedum amplecti, sed ad ravim usque defendere. Neque enim de me ita magnifice sentio, ut nunquam hallucinari, vel falli putem, Ixionemque pro Junone nunquam accipere. Satis mihi est, si in re, *de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiunt* (d), *non minus probabiles, quam quivis alius, rationes attulerim. Æquum est enim meminisse, & me, qui edisseram, & vos, qui judicabitis, homines esse, ut si probabilia dicentur, nihil ulterius requiratis* (e). *Si quid autem*, erudite Lector, *de istis rebus invenisti melius, sive invenire potueris, gratissimum habebimus, si nos feceris nosse*. EGO ENIM MAGIS AMO DISCERE, QUAM DOCERE (f). Vale.

ELEN-

(a) Lib. V. *Divin. Instit.* cap. 1.

(b) Lib. II. *de moderamine ingeniorum* cap. 3.

(c) Tom. III. *Artis Criticæ* Differt. ethica: *an semper respondendum sit calumniis* &c. pag. 394. edit. laudatæ.

(d) Tullius lib. I. *de natura Deorum* cap. 2.

(e) Plato in *Timæo*.

(f) S. Augustinus lib. *octo qq. ad Dulcitium* q. 5. n. 4.

ELENCHUS
Propositionum, que in hac Dissertatione demonstrantur.

PROPOSITIO I.

Corporis magnitudo non est accidens absolutum in sensu Scholastico. pag. 41.

PROPOSITIO II.

Nulla corporis affectio est entitas extensa quoad se, & natura sua impenetrabilis. pag. 50.

PROPOSITIO III.

Nullum accidens absolutum, si quod hujusmodi in corporibus admittatur, est natura sua sensibile. pag. 59.

PROPOSITIO IV.

Compositum quodcunque naturale hoc ipso formaliter est sensibile, quod ex solidis corpusculis certa magnitudine, & figura affectis, certoque artificio simul intextis, motuque, aut quiete donatis intrinsecus coalescat. pag. 60.

PROPOSITIO V.

Nulla qualitas, sive affectio corporum sensibilis est accidens absolutum in sensu Scholastico. pag. 63.

PROPOSITIO VI.

Qualitates sensibiles corporis naturalis ex mechanicis affectionibus particularum materiæ, ex quibus illud compositum est, unice proveniunt. pag. 94.

PROPOSITIO VII.

Realis præsentia Christi Domini in venerabili Eucharistiæ sacramento non exigit, ut qualitates sensibiles panis, & vini sint accidentia absoluta in sensu Scholastico. pag. 176.

PRO-

PROPOSITIO VIII.

Stare optime potest transubstantiatio, licet qualitates sensibiles panis, & vini non sint accidentia absoluta in sensu Scholastico. pag. 177.

PROPOSITIO IX.

Necessarium non est, qualitates sensibiles panis, & vini, adeoque etiam corporum reliquorum, sint accidentia absoluta, quæ, consecratione peracta, sine illarum rerum substantia remaneant, ut Corpus Christi Domini sub speciebus panis, ejusque sanguis sub speciebus vini vere & realiter sint in Eucharistia, nobisque sub illis tradantur. pag. 192.

PROPOSITIO X.

Absolutis Scholasticorum accidentibus opus necessario non est, ut Eucharistia tam extra, quam intra pixidem posita, in eaque latens, sit vere & proprie Sacramentum. pag. 230.

PROPOSITIO XI.

Neque testimonio veterum Patrum, qui decem prioribus Christi sæculis in Ecclesia floruerunt, neque Theologorum auctoritate potest evinci, panis, vinique sensibilitatem, sub qua Christus Dominus in Eucharistia existit, oriri ex illarum rerum accidentibus, quæ in hoc sacramento divinitus sine subjecto supersint. pag. 239.

PROPOSITIO XII.

Hactenus definitum ab Ecclesia non est, neque nobis, tamquam certo indubitanterque credendum, ab illa expresse traditum, dari absoluta Scholasticorum accidentia, ex quibus, divinitus in Eucharistia remanentibus, ea oriatur panis, vinique sensibilitas, sub qua Christus Dominus vere, realiter, & substantialiter in hoc Sacramento existit. pag. 274.

APPROBATIONES.

JUssu Reverendissimi Patris Raphaelis a Lugagnano totius Ordinis Min. Ministri Generalis opus accurate prelegimus, cui titulus: *Dissertatio Physico-Theologica de qualitatibus corporum sensibilibus*, secundis curis plurimum aucta, & vindicata, a R. P. Fortunato a Brixia compositum: cumque in eo non nisi sana doctrina, & Catholicæ Fidei consona occurrerit, dignum illud censemus, ut prælo tradatur. In quorum fidem &c.

Dat. Brixiæ in nostro Conv. Corporis Christi die 13. Februarii, anno 1749.

F. Dorotheus a Vir. Min. Ref. S. Theol. Lect.
F. Prosper a Brixia Lect. Theologus.

Fr. RAPHAEL A LUGAGNANO Lector Emeritus, Catholicæ Majestatis in Regali Congressu Matritensi pro Immaculata Conceptione Theologus, ac Totius Ordinis Fratrum Minorum S. P. N. FRANC. Minister Generalis, Commissarius, Visitator Apostolicus, & in Domino Servus.

CUm a duobus Patribus Theologis revisum de Ordine nostro, & approbatum fuerit Opus, cujus titulus est: *Dissertatio Physico-Theologica &c.* compositum a Patre Fortunato a Brixia nostræ Reform. Provinciæ Brixiæ Lectore Theologo, præsentium tenore facultatem eidem tribuimus, quatenus servatis servandis illud Typis mandare possit, & valeat.

Dat. Romæ ex nostro Aracælitano Conventu die 11. Martii 1749.

F. Raphael a Lugagnano Minister Gener.

L. ✠ S.

De mandato Rmi in Christo Patris
Fr. Cæsarius a Bononia Secret. Gener. Ordinis.

Reg.

NOI RIFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Giacinto Maria Marini Inquisitor Generale del Sant'Officio di Brescia, nel Libro intitolato: *De qualitatibus Corporum sensibilibus Dissertatio Physico-Theologica*, non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concedemo Licenza a Gian-Maria Rizzardi Stampatore di Brescia, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 30. Marzo 1749.

(
(BARBON MOROSINI Cav. Ref.
(MARCO FOSCARINI Cav. Proc. Ref.

Regist. in Libro a car. 2. al num. 18.

Michiel Angelo Marino Segret.

ER-

ERRATA CORRIGE

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 3. lin. 10.	falsi eos	falli eos
pag. 16. l. 22.	quod sit	quod sic
pag. 44. l. 2.	*Si hoc demus*	*Si hoc demas*
pag. 47. l. 31.	fidem habenda	fides habenda
pag. 57. l. 1.	non satis distinxerint.	non satis distinxerit.
Ibidem l. 37.	*in ordine a se*	*in ordine ad se*
pag. 91. l. 1.	*vincantur*	*vincatur*
Ibid. §. 77. l. 19.	(§§. 63. 64.).	(§§. 72. 73.)
pag. 115, l. 29.	*calorem*	*colorem*
pag. 120. l. 34.	*calorem*	*colorem*
pag. 133. l. 28.	*adoratum*	*odoratum.*
pag. 136. l. 9.	memori	memorari
pag. 154. §. 99. l. 3.	(§. 77.)	(§. 76.).
pag. 176. l. 2.	Christum Dominus	Christum Dominum
pag. 180. l. 8.	Non ita neque.	Non ita de natura .... ac proinde neque &c.
pag. 182 l. 2.	dirimire	dirimere
pag. 213. §. 119. l. 29.	memento	momento
pag. 267. l. 22.	*ab cujus*	*ab ejus*
pag. 297. l. 30.	ex uno sensum	ex uno sensuum

Alia, si qua occurrerint, Lector ipse patienter corrigat.

DIS-



DISSERTATIO PHYSICO-THEOLOGICA

De qualitatibus corporum ſenſibilibus.



Uas corpus quodcunque habere *qualitates*, quibus *formaliter*, ut Scholæ verbo utar, *ſenſibile* redditur, neſcius nemo eſt; at quæ ſit phyſica illarum natura, quod earum principium, quæ origo, etiam doctioribus aqua hæret. Nil minus certe, quam cum agitur de *qualitatibus* corporum, inter Philoſophos convenit. Scholaſtici namque, ſive Peripatetici, quos vocant *rigidiores*, ratum fixumque habent, eas eſſe *entitates* talis naturæ, *quæ a corporea ſubſtantia, cui inſunt, quamque nobis ſenſibilem reddunt, ſeparari divinitus poſſint, & ſine illa exiſtere*. Illas idcirco *accidentia abſoluta* appellant, ut a *modalibus*, quæ ſine ſubjecto, quod afficiunt, neque eſſe, neque concipi poſſunt, apte diſcernant. Contra vero Recentioribus, qui mechanicam a Pythagora, Democrito, Platone, aliiſque vetuſtiſſimis Philoſophis inventam, ſemperque excultam, philoſophandi rationem ſequuntur, perſuaſum eſt, nullam *ſenſibilem* corporum *qualitatem* eſſe *accidens abſolutum*, prout illud ſumunt Scholaſtici; ſed ex *mechanicis* materiæ *affectionibus*, ſcilicet ex *magnitudine*, *figura*, *motu*, *quiete*, atque *textura* corpuſculorum, quibus ſenſibilia quæque corpora componuntur, eas omnes immediate provenire. Quam porro grande bellum hanc ob cauſam inter eos exarſerit, dici vix poteſt. Queruntur enim Scholaſtici, exagerant,

gerant, prædicant, *mechanicam* Recentiorum *Philosophiam*, potissimum ubi de *corporum qualitatibus* agitur, tacitas Religioni insidias moliri, ansamque dare heterodoxis, ut Catholicæ fidei dogmata irrideant, contemnent, rejiciant. *Solliciti propterea*, inquit Vir eximius, *nullum non movent lapidem, quo Auctores novarum opinionum, licet nihil cum sancta Religione habentium, infament, eorumque libros dilacerent, proscribant, & supremis Ecclesiæ tribunalibus configendos exhibeant* (a). Nihil vero ex adverso Recentioribus frequentius est, nihil solemnius, quam Scholasticorum laborem atque operam, in eo unice esse positam, *ut multitudinis, & vulgi opiniones verborum involucris contegant, & his, quasi arcanis reconditisque principiis, scientiæ naturalis fundamenta inædificent, quæ, demta vocabulorum obscuritate, communia sunt, & vulgo trita* (b). Verum enimvero quantum graviora ea scommata, atque convicia, quibus eorum plerique sese mutuo impetunt, pungunt, atque dilacerant, Christianum Philosophum dedeceant, ipsique veritati, sive invenienda ea sit, sive aliis demonstranda, quantum officiant, neminem esse puto cordatum Virum, qui non videat. Velim, persuasum habeant, quicunque suis in disceptationibus Plautino sale plurimum delectantur, non dicteriis, sed rationibus servatam esse palmam, seque scommatibus conviciisque defendi, veritatem indignari quammaxime. Velim quoque, animo sibi alte infigant, modeste semper circumspectoque judicio de magnis Viris pronunciandum esse, ne scilicet, ut sapienter monet Quintilianus (c), & ipso auctore, plerisque accidit, *damnent, quæ non intelligunt*. Dissimulare tamen nequeo cum Viro Cl. Alphonso de Castro, *me non posse cohibere iracundiam, quoties video aliquos ita addictos hominum aliquorum scriptis, ut impium autument, si vel in modica re quis ab eorum sententia discedat. Volunt enim hominum scripta, velut divorum oracula, recipi, illumque honorem illis exhiberi, qui solis sacris Literis debetur. Non enim juravimus in verba hominum, sed in verba Dei. Ego autem miserrimam hanc dicerem servitutem, sic esse humanæ sententiæ addictum, ut non liceat ullo modo illi repugnare........ Paulus quidem jussit captivare intellectum nostrum, sed in obsequium Christi, non in obsequium hominis* (d). *Et revera*, inquit Cl. Muratorius, *non animadvertunt interdum docti pariter, piique Viri, se unius Aristotelis causam agere, cum religionis causam tueri videntur. Peripatetica* Phi-

(a) Ludovicus Antonius Muratorius Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 21.

(b) Ludovicus a Ripa *Dissert. meteorolog.* pag. 49.

(c) Lib. X. *Instit. Oratoriarum* cap. 1.

(d) Lib. 1. *contra hæreses* cap. 7.

Philosophia capti, atque distenti, quidquid ab ista abhorret, continuo falsum dicunt. Tantum nempe amoris, ac venerationis huic uni Scriptori, aliisque antiquis Auctoribus præjudicata opinio comparavit, ut eorum adversarios, & contraria quæque non odisse eorum amasii nequeant usque adeo, ut quando nulla alia ratio succurrat nova inventa dejiciendi, facile, & crebro ad auctoritatem Principum, Academiarum, & Religionis confugiatur, quasi de regnis, de veritate, de fide actum sit, si nuova hæc recipiantur in Scholis (a).

Non ego tamen is sum, qui recentiores Philosophos, quorum caussam suscepisse jam videor, tanti faciam, ut nunquam desipere, & falsi eos putem. Habent enim & ipsi sua, in quæ censoria virga cadere non immerito potest. *Nam*, ut Quintiliani verbis utar, *& labuntur aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum suorum voluptati, nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur. Summi sunt, homines tamen* (b). Illud dumtaxat in præsens mihi videtur eis perperam vitio verti, atque ob id reos ipsos fieri violatæ fidei, quod nolint, eam esse physicam *sensibilium qualitatum* naturam, quam vetustiores Scholastici tradidere. Ea non est enim rigido Peripateticæ doctrinæ evidentia, non illud, quibus ipsa innititur, rationum pondus, ut opinatores inconsulti censendi jure ac merito sint, qui secus sentiunt.

Itaque, ut Viros de rerum naturalium scientia præclare meritos, quantum mihi fas est, a crimine vindicem, hæc mea in eo versabitur disceptatio, ut palam fiat, recentiores Philosophos in explicandis *sensibilibus* corporum *qualitatibus* neque sine sufficienti ratione ab Scholasticorum sententia recessisse; neque commentitiam excogitasse hypothesim; neque Catholicæ fidei dogmatibus, S.S. Patrum doctrinæ, Conciliorumque decretis manifeste adeo refragari, ut tamquam malam redolentes fidem, digni jure ac merito sint, qui habeantur. *Neminem tamen velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errasse perspexerit* (c). *Nos enim, qui sequimur probabilia, nec ultra id, quam quod verisimile occurrerit, progredi possumus, & refellere sine pertinacia, & refelli sine iracundia, parati sumus* (d). Candidi quippe hominis proprium est, *vel eminus conspecta veritate, quam etiam in hoste venerabitur, arma deponere* (e): *quod ii ferunt animo iniquo, qui certis quibusdam destinatisque sententiis quasi addicti, & consecrati sunt, eaque necessitate constricti, ut etiam*

(a) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* c. 21.
(b) Lib. X. *Instit. Oratoriarum* cap. 1.
(c) S. Augustinus lib. *de dono perseverantiæ* num. 55., *alias* cap. 21.
(d) Tullius lib. II. *qq. Tuscul.* cap. 2.
(e) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. c. 4.

qua non probare soleant, ea cogantur constantiæ causa defendere (a). Itaque ut ad rem veniam,

DEFINITIO I.

1. *Natura sua impenetrabile* voco *illud, quod ita locum occupat, ut non sinat, locum ipsum ab alio ejusdem generis simul occupari*. Sic lignum, & lapis dicuntur *natura sua impenetrabilia*, quia ejusmodi ipsa sunt, ut, spectatis naturæ viribus, in eodem simul loco esse non possint.

SCHOLION.

2. Cavendum est, ne *impenetrabile* cum *duro* confundatur. *Impenetrabilitas* enim, cujus notionem modo tradidimus, non *duris* tantum, verum etiam *fluidis* corporibus ex æquo convenit.

DEFINITIO II.

3. *Extensum* entitative, *sive* quoad se, *ut ajunt Scholæ, vocatur illud, quod ex pluribus partibus constat ita simul unitis, ut* entitas *unius extra alterius* entitatem *tota existat*. Hujusmodi est *e. c.* lignum palmare. Componentes enim illius partes ita se habent, ut extra se invicem singulæ quoad suam *entitatem* existant.

COROLLARIUM.

4. *Hoc ipso, quod plura sint impenetrabilia, totum* entitative extensum *ex illorum unione consurgit*. Hoc enim ipso fit totum, cujus singulæ partes extra se invicem quoad suam *entitatem* existunt.

DEFINITIO III.

5. *Extensum* localiter, *sive, ut vocant*, quoad locum, *dicitur illud, quod extensum spatium occupat*. Sic corpus replens locum, sive spatium *palmaris* e. c. *magnitudinis*, *localiter extensum* nuncupatur.

DEFINITIO IV.

6. *Dicitur* sensibile, *quod, qua tale* formaliter, *ita potest sensoria nostra*

(a) Tullius *loco citato*.

nostra afficere, ut sensum in nobis excitet. Sic lignum, qua *durum* est, vel *coloratum*, dicitur *sensibile*, quia, si sensoriis nostris applicetur, ita ea afficit, quatenus tale, ut hinc anima sentiat.

COROLLARIUM.

7. *Corpus per id* formaliter *est* sensibile, *per quod* formaliter *ejusmodi est, ut applicatum externis sensoriis, ita ipsa afficiat, ut hinc anima ad sentiendum determinetur*.

DEFINITIO V.

8. Nomine *sensibilis qualitatis* ea corporis affectio intelligitur, *per quam* formaliter *corpus est sensibile*. Sic *color*, *sapor*, *odor*, aliæque id genus corporum affectiones dicuntur *qualitates* ipsorum corporum *sensibiles*, quatenus per illas *formaliter* habent corpora, ut externorum sensuum ministerio a nobis percipiantur. *Qualitas est*, inquit Gassendus, *quidquid* visui, tactui, *cæterisque* sensibus *patet*. *Et quamvis oculus dicatur videre non tantum* colorem, *sed* coloratum *etiam* corpus, *uti & manus tangere non tantum* duritiem, *sed etiam* rem duram; *attamen hoc ipsum esse* coloratum, *esse* durum, qualitas *est*. *Quod autem* substantiam, *cui insit, simul nominamus, ob inductionem facimus, qua subesse aliquod subjectum* qualitati *ratiocinamur*. *Nam, si nulla quidem* qualitas *in Mundo, aut re aliqua, præter* colorem *unicum, foret, tunc non subesset, cur mens* colorem a colorato *distingueret; verum, quia percepto oculis* colore, *ubi illi manus admovetur*, resistentiam *quoque, sive* duritiem *percipit, esse debere infert commune subjectum, cui* color, *&* durities *insit; ac illud proinde* colore, *&* duritie *præditum, seu, quod idem est, cum commune subjectum, substantiamve esse in confesso sit, ea tamen semper obvelata manet; neque aut intelligere, aut dicere, cujusmodi sit, possumus, nisi per ipsas, quibus afficitur, quæque sensibus patent*, qualitates (a).

COROLLARIUM I.

9. Qualitas sensibilis *in eo* physice *posita est, per quod* formaliter *habet corpus, ut eam in externo sensorio, cui applicatur, passionem excitet, quam in anima sensatio consequitur*. Per id enim *formaliter* corpus est sensibile, per quod *formaliter* ad illam passionem in externo sensorio excitandam proxime aptum est (§. 7.).

Co-

(a) Sect. I. *Physices* Lib. VI. cap. I.

Corollarium II.

10. *Existentia* sensibilium qualitatum *in corporibus certissima est*. Id enim in corporibus certissime existit, per quod externa sensoria ita ab ipsis corporibus, si illis applicata debite fuerint, afficiuntur, ut aliqua sensatio hinc in nobis excitetur.

Scholion.

11. Qui negant *accidentia absoluta* in sensu Scholastico, *qualitatum sensibilium* existentiam non idcirco inficiantur. Et ipsi namque fatentur, id vere esse in corporibus, per quod habent *formaliter*, ut externorum sensuum organa pro sensationis negotio immutent, certoque modo afficiant. Negant tamen, ejus illud esse naturæ, ut sine corporea substantia, quam afficit, quamque nobis reddit sensibilem, existere divinitus possit.

Definitio VI.

12. Nervi *sunt albicantes quidem veluti funiculi, qui ex intima cerebri substantia tamquam ex radice prodeuntes, per totam animalis machinam stupendo prorsus artificio disseminantur*. Ita Anatomici omnes.

Animadversio.

13. *Nervorum* substantia, docente Cl. Heistero (a), tota fibrosa est, *ex quamplurimis* nempe *fibris, & quasi fasciculo filamentorum cylindricorum, albicantiumque composita*. Horum præterea filamenta non omnino solida sunt, sed, sicuti ille pluribus demonstrat (b), intus cava, ut proinde tamquam vera vascula haberi possint.

Definitio VII.

14. Spirituum animalium *nomine intelligitur substantia quædam subtilissima, summe fluida, & maxime mobilis, ex arterioso sanguine in cerebro elaborata, qua, nervos omnes luminis instar irradiante, viventis sensitivi functiones peraguntur*. Dicimus, inquit Thomas Villis,

(a) Compend. Anatom. *num.* 301.
(b) Ibidem.

lis, *spiritus animales esse corpuscula subtilissima, summeque agilia, e sanguine accenso in cerebrum, & appendicem ejus instillata, quæ partim ex sua natura, quatenus lucida sunt, & aerea, & partim ex concinno organorum apparatu, quatenus intra ductus, quasi tubos, aliasque machinas concluduntur, virtute pollent tum objectiva, qua plusquam lucis radii in sensibilium omnium simulacra promptissime coeunt, sensionesque cujusque generis efficiunt; tum activa, qua supra venti, aut flatus cujuscunque machinis inclusi impetus, aut instinctus, potentiæ locomotivæ, ut & affectionis spasmodicæ actus exequuntur* (a).

SCHOLION.

15. Existentia *spirituum animalium* omnibus ferme probatur tum Medicis, tum Philosophis. *Ab antiquissimis temporibus perpetua traditione creditum est*, inquit Cl. Haller, *motum, & sensum perfici per nervorum ministerium; nervos vero agere per* ἐνορμῶ, *per* principium fluidissimum, *quod per nervos feratur; & actionum animalium causa sit, & animæ cum corpore quoddam quasi vinculum constituat* (b). Neque rationes desunt, quibus, ut in Physica vidimus (Tom. IV. §. 4401), *spirituum animalium* existentia suadeatur.

DEFINITIO VIII.

16. Organum sensus externi *dicitur ea nostri corporis pars, cujus passionem, ex sensibilis rei appulsu provenientem, sensatio in anima consequitur*. Sic oculus dicitur *organum visus*, lingua *organum gustus*, & ita porro; quia mutatio facta in oculo a lumine, & in lingua a re sapida animam ad *visionis*, & *gustus* sensationes eliciendas determinat.

DEFINITIO IX.

17. *Videtur* sub propria specie, *quod tale per sensus nobis apparet, quale natura sua aptum est, ut per illos a nobis percipiatur*. Sic homo *sub specie propria* nobis apparet, dum talis, ministerio sensuum, a nobis percipitur, qualis aptus est natura sua, ut, illorum ministerio, a nobis cognoscatur.

DE-

(a) De anima Brutorum *cap*. 4.
(b) Not. I. in num. 234. Prælect. Boerhaavii in suas *Instit. Medicas*.

DEFINITIO X.

18. *Contra vero* sub aliena specie *nobis apparere dicitur, quod diversum ab eo, quod nobis per sensus naturaliter apparet, sese nobis conspiciendum exhibet*. Sic sub *aliena specie*, puta sub *specie vini*, nobis apparebit aqua, si sensibus nostris ita illa occurrat, ut eorum ministerio discerni a vino non possit.

Hypothesis I.

19 Persuasum mihi hoc loco est, *substantiam corpoream ita esse natura sua* solidam, *sive* impenetrabilem, *ut* impenetrabilitas *sit vel* formalis *ipsa* ratio *substantiæ corporeæ, vel ea ipsius* proprietas, *quæ illi uni conveniat*.

Tangere enim, & tangi, nisi corpus, nulla potest res,

ut olim cecinit Lucretius (a); sique ad notionem ipsam *corporis*, quam nobis quodammodo impressit natura, animum attendamus, fateri cogimur vel inviti, non aliud menti nostræ sua veluti sponte occurrere, cum *corpus* concipit, nisi rem, quæ tactui resistat. Certe & ipse Christus Dominus ex hoc uno, quod resisteret tactui, Discipulis suis ostendit, se etiam quoad corpus e sepulchro resurrexisse. *Palpate enim*, inquit illis, *& videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere* (b): quod profecto argumentum non valeret, si res alia a corpore tactui resistere posset. Unde locum illum explicans S. Ambrosius, ait: *non per incorpoream naturam, sed per resurrectionis qualitatem impervia usu clausa* (Christus) *penetravit. Nam quod tangitur*, corpus *est; quod palpatur*, corpus *est* (c).

Hypothesis II.

20. Certum itidem puto, *substantiam extensi corporis habere ex se* partes integrales, *in quas, cum illud dividitur, & ipsa dividatur*. Neque enim, cum extensum corpus in partes secatur, nova aliqua substantia, vel substantiæ pars in illis *entitative* producitur.

Hypo-

(a) Lib. I. *de natura rerum* v. 305.
(b) Lucæ XXIV. v. 39.
(c) Lib. X. in Lucam.

Hypothesis III.

21. Velim quoque pro comperto habeatur, *corporis* magnitudinem, *sive* quantitatem molis, *ut vocant*, *nihil esse diversum a certa ipsius corporis entitativa extensione*. Id sane ex hoc uno vel maxime patere arbitror, quod nonnisi penes *entitativam* illorum *extensionem* conferantur corpora inter se, ut ipsorum *magnitudo*, sive *quantitas molis* definiatur.

Hypothesis IV.

22. Velim præterea, persuasum sit omnibus, *ex passione*, *quæ ex rei sensibilis appulsu in externo sensorio efficitur*, *nullam in nobis sensationem contingere*, *nisi passio ipsa cerebro communicetur*. Hujus demonstrationem dedimus Tom. IV. *Physicæ* §. 4425.

Hypothesis V.

23. Ratum postremo fixumque mihi est, utpote manifesta experientia, omniumque Philosophorum consensione probatum, *organum* externi *cujusque* sensus *positum esse in subtilissimis quibusdam nervorum fibris*, *dissimili artificio pro specifico sensuum discrimine simul intextis*, *eique nostri corporis parti* respective *insertis*, *quæ dum ab re sensibili afficitur*, *sensatio in anima contingit*. Id manifeste sequitur, ut vidimus in Physica, ex eo quod soli *nervi* cum *cerebro*, prout sensatio necessario postulat, *immediate* communicent. Positum est itaque

I.

24. Organum *visus* in ea oculi membrana, quæ *opticorum nervorum* expansio est, & vulgo *retina* nuncupatur. (Tom. IV. *Physicæ* §. 4493.)

I I.

25. Organum *auditus* in iis nervorum filamentis, quæ, ex molliori *septimi paris* ramo sumta origine, per intimum *cochleæ* gyrum disseminantur. (*Ibidem* §. 4735.)

III.

26. Organum *gustus* in iis *nerveis pyramidalibus*, *arcuatis*, & *globosis papillulis*, quæ, trajecta reticulari linguæ membrana, ad extimam ejusdem tunicam, qua teguntur, appellunt, perque totam ipsius linguæ superficiem, quamvis non ubique in æquali copia, sese diffundunt (*Ibidem* §. 4739.)

IV.

27. Organum *olfactus* in illis itidem *nerveis papillulis*, quibus membrana, narium anfractus investiens, instructa est (*Ibid.* §. 4745.)

V.

28. Organum demum *tactus* in iis *nerveis pyramidalibus papillulis*, quæ, ut ait Cl. Malpighius, a quo primum observatæ fuere, *e cute erumpentes, tandem in cuticulam desinunt, & singulæ in plures veluti fibrulas dividi videntur* (a).

PRINCIPIUM I. FUNDAMENTALE.

Passio externi sensorii ex sensibilis rei appulsu proveniens, quam sensatio ipsius rei in anima consequitur, non est, physice loquendo, nisi certa quædam motio in iis nervorum fibris, quæ externum sensorium constituunt, ex rei ipsius appulsu excitata.

29. *Probatur* 1. ex natura partis, quæ dum a re externa afficitur, sensus in nobis excitatur. Cum enim illa pars componatur tota ex minutissimis *nervorum* fibris, diversa ratione pro specifico sensoriorum discrimine simul artificiose intextis (§. 23.), videtur profecto, non aliud pati ipsam posse ex rei sensibilis appulsu, nisi motum quemdam, quo componentes illius fibræ alternatim veluti contrahantur, & sese restituant. Ergo &c.

Probatur 2., simulque præcedens ratio confirmatur. Certum est, nullam sensationem fieri in nobis posse, dum externa sensoria a proprii

(a) Epist. de *externo* tactus *organo*. Vide Tom. IV. *Physicæ* §. 4753.

priis objectis immutantur, nisi sensoriorum ipsorum passio *cerebro* communicetur (§. 22.). Hæc autem propagatio externæ passionis ad *cerebrum* facilis captu est, si passio ipsa non sit aliud, *physice* loquendo, nisi certa quædam fibrarum nervearum sensorium ipsum constituentium motio; contra vero est intellectu perquam difficilis, ne dicam impossibilis, si in alio, quam in illarum fibrarum motione, passio ipsa *physice* statuatur. Facilis est captu, si passio externi sensorii nihil sit a nervearum fibrarum motione diversum. Cum enim omnes nervi ex intima *cerebri* substantia, veluti ex radice, prodeant, adeoque cum illa immediate communicent (§. 12.), aperte patet, extremas nervorum partes, quæ externa sensoria constituunt, concuti, vellicari, aliove modo moveri non posse, quin ipsum quoque *cerebrum* resultu quodam commoveatur. *Nempe*, ut præclare habet Gassendus, *turgescentes spiritibus nervi concipi possunt, quasi radiorum spirituosorum manipuli, adeout cum quivis spirituosus radius intentus sit ex cerebro ad extremum usque sensorium, idcirco premi, urgerive in ipso externo sensorio tantillum non valeat, quin resultu quodam ipsum cerebrum, e quo usque tenditur, feriat* (a). Neque enim, quemadmodum egregie explicat idem Vir doctissimus, *nervus, nervulusve potest contingi* (a re sensibili) *quin aliquatenus prematur; neque potest ullatenus premi, quin ob distentionem spiritus contentus urgeatur; neque spiritus illeic sic urgeri, quin pellat, seu potius repellat vicinum instantem, ac pari ratione advenientem ex cerebro; neque iste porro repelli, quin, tota serie ob repletionem, continuitatemque compulsa, spiritus existens ad ipsam originem nervi, nervulive in cerebrum quasi resiliat* (b); motumque propterea illi non dissimilem, qui in nerveis externi sensorii fibrillis ab re sensibili excitatus est, in ipso quoque *cerebro* efficiat. Quod si nervi, musicarum chordarum instar, ut plerisque placet, tensi concipiantur, non minus aperte relucet, nervos ipsos concuti, vellicari, impellive in extremis suis partibus ab sensibili objecto neutiquam posse, quin illa motio per totam eorum longitudinem propagetur, atque ad ipsorum usque originem, ad *cerebrum* scilicet, diffundatur, eique communicetur. Quo facilius autem id concipitur, & explicatur, si passio externi sensorii nihil sit aliud, quam motio quædam nervearum fibrillarum externum ipsum sensorium constituentium, eo difficilius intelligi, & exponi hoc phoenomenon potest, si in alio, quam in illarum fibrillarum motione, passio ipsa statuatur. Adhuc certe desideratur ex Scholasticis unus, qui modo intel-

(a) Sect. III. *Physices* Memb. II Lib. VIII. cap. 2.
(b) Ibidem Lib. VI. cap. 1.

telligibili id palam efficiat. Dicunt, ab re sensibili *speciem* sui imprimi externo sensorio, eamque *cerebro* communicari, per quam deinde sensitiva animæ potentia ad sentiendum determinetur. At quid physice sint illæ sensibilium rerum *species*, si plane diversæ dicantur a motione in nerveis externi sensorii fibrillis ab sensibili objecto excitata, atque *cerebro* vel *immediate*, vel *spirituum animalium*, quibus illæ turgent, ministerio impressa, etiamnum in votis est, qui id ostendat. Neque enim ad physicam illarum *specierum* naturam explicandam sufficit dicere, ut videtur Scholasticis, eas esse *qualitates, objectum, a quo producuntur, repræsentantes potentiæ, cum qua concurrunt ad sensationem eliciendam*. Necesse siquidem est, explicetur primo, *quæ sit physica illarum qualitatum natura*. Secundo, *quomodo producantur ab objecto, cujus dicuntur species*. Tertio, *quomodo objectum ipsum repræsentent*. Postremo, *qua ratione cum potentia sensitiva ad sensationem producendam concurrant*. Adde, scholasticam hanc *specierum* definitionem etiam motioni, quam dicimus in nerveis externorum sensoriorum fibris a rebus sensibilibus excitari, quadrare penitissime. Et illa namque motio est *affectio*, seu *qualitas repræsentativa objecti, a quo sensorio imprimitur, animam determinans, ut sensationem eliciat*; unde apparet, scholasticam illam *specierum* definitionem nimis vagam esse, quam ut in ea conquiescere ingenuus Philosophus possit.

Confirmatur assertio. Agens corporeum non agit, nisi per motum localem, videlicet nonnisi quatenus localiter movet id, in quod agit. Nulla certe corporea actio est, quæ partium motu, ut patebit consideranti, non absolvatur. Ergo nullum quoque corpus patitur aliquid ab agente corporeo, nisi quatenus ab illo movetur. Patiuntur autem sensoria a rebus sensibilibus, dum illa ab hisce pro sensationis negotio immutantur. Ergo in sola motione fibrarum nervearum, ex quibus ipsa sensoria composita sunt, illorum passio consistit.

Objecta diluuntur.

I.

30. *Opponit primo* P. Josephus Antonius Ferrari (a), in sola motione fibrarum nervearum, externa sensoria constituentium, statui non posse impressionem, quam a propriis objectis sensoria ipsa recipiunt, quin dicamus, *organum illud, cujus est omnes impressiones discernere*, nempe cerebrum, *præditum esse tactu exquisitissimo*. *Atqui* tan-

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. II. q. 2. *pag.* 325.

tantum abest, inquit ille, *ut cerebrum gaudeat exquisito tactu, quin potius obtusissimum sit, ac pene stupidum. Igitur impressiones sensibilium non sunt mere locales motiones.*

Confirmat argumentum. *Si enim*, ait, *omne sensibile est tactile, si omnis sensus est tactus, si sentire non est, nisi discernere motiones, & tactiones exteriorum corporum, idque fit, similes in se motiones recipiendo; ille solus sensus esse poterit perfectissime perceptivus omnium tactilium, qui est perfectissime tactivus. Ergo sensus communis debuisset statui exquisite tactivus.*

℞. *primo*, hoc argumentum, si quid habet roboris, ab omnibus Scholasticis, ac proinde etiam ab suo Auctore, solvi debere. Quocunque enim modo explicetur passio, quæ fit in externis sensoriis a proprio objecto, dum a nobis sentitur, illud certum est, compertumque, organum *sensus*, quem *communem* Scholastici ipsi appellant, in solo *cerebro* residere. Si ergo *cerebrum præditum esse debet*, ut ait Cl. Adversarius, *tactu exquisitissimo, ut quamlibet possit motionem excipere, suamque singulis objectis, a quibus provenit, tribuere*; pollere quoque illud debet sensu exquisitissimo, ut passiones omnium sensuum, quæcumque demum sit illarum natura, ab eo recipi, discerni, & conferri inter se mutuo possint. Id enim, ipsorummet etiam Scholasticorum judicio, munus est *sensus communis*. Falsum est autem, *cerebrum* donari sensu exquisitissimo. Ipso siquidem Cl. Adversario teste, *obtusissimum* illud *est*, *ac pene stupidum*. Ergo neque exquisitissimo tactu pollere ipsum debet, ut omnium sensuum motiones possit excipere. Vel si ad id muneris necessario opus sit, ut *cerebrum* sit tactus exquisitissimi, ostendant Scholastici, cur non sit necesse, donetur *cerebrum* sensu exquisitissimo, ut particulares omnes sensationes recipere ipsum possit.

℞. 2. *distinguo majorem*: impressio, quæ fit in externis sensoriis ex rei sensibilis appulsu, nequit statui in motione fibrarum nervearum sensoria ipsa constituentium, nisi *cerebrum* polleat tactu exquisitissimo, hoc est, nisi medullaris illius substantia ejus sit naturæ, ut valeat externorum omnium sensuum motiones recipere, *concedo majorem*; nisi tota ejus substantia capax sit sensus, si vel levissime a re externa tangatur, *nego majorem*; & eodem modo *distinguo minorem*: cerebrum caret tactu, hoc est, intima illius substantia nequit omnium sensuum impressiones recipere, *nego minorem*; hoc est, nullus fit sensus, si pars illius extima tangatur, *concedo minorem*, & *nego consequentiam*. Itaque, ut argumentum concludat, evincere debet illius Auctor, medullarem *cerebri* substantiam, ex qua sensorii nervi

pro-

proveniunt, recipere non posse motiones, quæ in externorum sensuum organis ab sensibilibus rebus excitantur, nisi cinerea ipsius *cerebri* substantia tangi ne levissime quidem possit, quin anima pressionem ipsam sentiat. Id enim nisi ab illo demonstretur, in ævum stabit, passionem externi sensorii, quam sensatio in anima consequitur, positam esse in certa quadam motione fibrillarum nervearum sensorium ipsum constituentium; & ideo omnia externa sensoria per contactum vel *mediatum*, vel *immediatum* a proprio objecto, ut ajunt Recentiores, immutari, quin propterea necesse sit, tactu exquisitissimo *cerebrum* polleat. Nunquam autem fore, ut id ille demonstret, certum ex eo vel maxime puto, quod motiones factæ ab re sensibili in cinereo *cerebri* cortice nequeant medullari ipsius *cerebri* substantiæ communicari. Cum enim, ut sentiatur corporis passio, necesse sit, illi *cerebri* parti ipsa communicetur, ex qua nervi sensorii, veluti ex radice, oriuntur (§. 22.), manifeste sequitur, passionem in cinereo *cerebri* cortice excitatam sentiri non posse, adeoque illam *cerebri* partem sensus non esse capacem, si pars ipsa hujusmodi sit, ut ejus passio ad originem usque nervorum, scilicet usque ad medullarem *cerebri* substantiam, nequeat propagari. Passionem porro in cinerea parte *cerebri* excitatam, medullari ejusdem parti, ut sentiatur, communicari non posse, ex hoc uno manifeste apparet, quod nulli sint nervi, qui ex *cerebri* medulla provenientes, per cinereum ejusdem corticem, ut illi sensum tribuant, dispergantur.

Ceterum peccat argumentum eo fallaciæ genere, quod Logici *dictionis* appellant. Est nempe error in voce *tactus*. Is enim duplici modo sumi potest, *primo* scilicet pro sensu, qui ex contactu nervi sensorii a re sensibili in nobis excitatur. *Secundo* pro sensu, quo *calida*, & *frigida*, *humida*, & *sicca*, *dura*, & *mollia*, & id genus alia a nobis percipiuntur. Primo modo sumto *tactu*, omnis sensus dici *tactus* potest; quia omnis sensus contactu perficitur. *Visus*, inquit Cl. Boerhaavius, *est nervi optici in pulposam retinam dilatati* adtactus *per focum radiorum lucis*. *Olfactus fit*, adtacta *nervi olfactorii superficie in naribus expansa*. *Gustus est species* tactus, *quam in papillis linguæ, ramisque noni paris contingit fieri*. *Tactus est motus excitatus in pulpa papillarum subcutanearum a corpore, quod epidermidi* adfricatur. *Auditus denique fit, quando undæ sonoræ aeris per tremores fenestræ ovalis harmonice contremiscentis* impelluntur *in superficiem nervi acustici* (a). Sumtus vero *tactus* secundo modo, peculiaris *sensus* est, id tantum commune habens cum sensibus reliquis, ut, quemadmodum il-

(a) Tom. IV. Prælect. in *suas Instit. Medicas* ad n. 566.

illi, ita etiam ipse in nobis non excitetur, nisi nervi, qui ei peragendo inserviunt, a proprio objecto contingantur. Hac igitur *tactus* distinctione posita, non est, cur P. Ferrari vitio vertat Recentioribus, quod omnes sensus externos ad unum *tactum* revocent, quasi nempe ipsi tunc sumant *tactum* pro eo speciali sensu, quo *calor*, *frigus*, ceteræque id genus *qualitates* a nobis percipiuntur. Id quippe tam longe ab illorum mente est, ut nihil magis.

Ex hisce patet responsio ad *confirmationem*. Patet nempe, concedendum quidem esse Cl. Adversario, *omne sensibile*, Recentiorum sententia, *esse tactile, & omnem sensum esse tactum*, si *tactile* pro eo sumatur, quod sentiri non potest, nisi sensorium tangat, premat, & moveat; & sensus *tactus* pro eo sensu, qui ex contactu sensorii a re sensibili in nobis excitatur; at dicendum contra, si sumatur *tactile* pro eo, quod speciali sensu *tactus* percipitur, & sensus *tactus* pro eo, qui inter quinque sensus exteriores vulgo jam notos postremum locum occupat. Falsissimum est enim, necessario tunc futurum, Recentiorum opinione admissa, omne sensibile esse *tactile* hoc sensu, & omnem sensum esse *tactum* hoc modo sumtum; quemadmodum ex adverso verissimum est, nihil posse a nobis sentiri, nisi sensorium contingat, & omnem sensum externum oriri ex tactu, ipsoque absolvi. Ad id vero, quod Vir Cl. ex hisce colligit, videlicet *sensum communem debere statui exquisite tactivum*, si omne sensibile sit tactile, si omnis sensus sit tactus, sique sentire non sit, nisi discernere motiones, & tactiones corporum, patet quoque, dicendum, sensum communem, sive melius, organum *sensus communis* nempe *cerebrum* debere esse *exquisite tactivum*, hoc est, maxime aptum ad recipiendas omnes motiones, quæ in externis sensoriis ex ipsorum contactu a rebus sensibilibus excitantur; at minime ipsum debere esse *exquisite tactivum*, hoc est, exquisitissimo *tactus* sensu ipsum pollere. Hoc enim postremum ex præmissis, ut satis ex dictis patet, nullatenus sequitur; bene vero primum; cumque nihil prorsus ex hoc sequatur, quod rationi, vel experientiæ contrarium sit, hoc admittitur a Recentioribus, illud negatur.

I I.

31. *Opponit.* 2. frustraneam esse specificam organorum sensationi inservientium diversitatem, *si sensus non sit, nisi tactus. Neque enim*, inquit, *parandum fuisset organum, quam quod tactui, ut est nomen specialis sensus a ceteris distincti, ac per totum corpus diffusi, reipsa*

para-

paratum est. Quandoquidem hoc unum satis esset omnino ad omnes motuum differentias dignoscendas, & perficiendam omnem externam sensationem; nam percussio, titillatio, corrosio, constrictio, laxatio, undulatio, ceteraque hujusmodi nomina sunt a vulgaris tactus perceptionibus desumpta, & manu etiam omnia dignosci possunt. Atqui Deus nihil egit frustra, & omnia prorsus in numero, pondere, & mensura disposuit. Igitur &c.

Confirmat primo hanc rationem, quia *quæcunque contingit in sensibilium impressionibus diversitas, ea per nervos, fibras, aut spiritus cerebro communicatur. Atqui in omni corporis parte præsto sunt, & quidem ejusdem rationis, nervi, fibræ, & spiritus animales; in iis enim fas non est essentialem effingere diversitatem; nervi siquidem tibiarum prorsus apparent ejusdem rationis cum nervis brachiorum, idemque videtur in aliis. Ergo in omni corporis parte extant organa, quæ nata sunt excipere omnium sensibilium impressionem, sive motionem. Igitur in solo vulgari tactu sensitiva vis absolvetur, & hoc uno lucem, saporem, odorem, si superis placet, percipiemus; adeoque superflua omnino essent tot organa humani corporis.*

Confirmat 2. rationem eandem. *Si vera enim est*, inquit, *exposita Recentiorum sententia, quinarius sensuum numerus, communi gentium omnium consensione firmatus prorsus concidit*. Etenim *sub tactu innumeræ deberent admitti sensuum species*: quod sic probat. *Innumerabilis pene est varietas motus aliter, atque aliter modificati. Ergo quemadmodum quinque admittuntur sensuum species propter variam motus modificationem, ita propter innumerabilem pene motuum variam modificationem, innumerabiles etiam sensuum species forent sub tactu asseverandæ. Profecto enim, si sensus non est nisi tactus motum unum percipere natus, & sensibile non est nisi corpus motu uno natum percipi, ut exinde quinque asserantur sensus, quinque dumtaxat sensibilia ostendenda forent, hoc est corpora, quæ valeant dumtaxat efficere quinque modificationes motuum. Cum ergo hæ innumeræ pene sint pro varia corporum figura, mobilitate, & affectione, innumeri quoque statuendi sunt sensus: quod absurdum est*. Hæc ille.

℞. ad argumentum principale, & primo quidem dico, illud urgeri ex æquo posse non tantum contra Aristotelem, verum & contra suum Auctorem. Urgeri potest contra Aristotelem. Is enim non uno, sed pluribus in locis tradit apertissime, *gustum* esse speciem *tactus*. Ait quippe *lib. II.* de anima, *sapor unum quid est eorum, quæ tactu percipiuntur* (a); *lib. III.* itidem de anima, *necesse est, ipsum gu-* *stum*

(a) Cap. III. *tex.* 28.

stum tactum quemdam esse, quia rei tangibilis, ac nutritivæ est sensus (a); *lib.* de sensu, & sensibili, *degustandi facultas quædam tactus species est* (c); & lib. II. de partibus animalium, *gustus*, inquit, *tactus quidam est* (b). Ita ergo conficitur argumentum: specifica organorum diversitas dicitur frustranea, si *sensus* non sit nisi *tactus*. *Gustus* autem ex Aristotele *tactus* est, ut jam vidimus. Ergo frustra organum *gustus* ab *tactus* organo distinguitur; & ideo argumentum, sumtum ex hoc capite, etiam ab Aristotele solvendum est. At solvendum est etiam ab suo Cl. Auctore. *Soni* quippe naturam explicans Vir Cl. (d) in eam sententiam maxime & ipse propendit, quæ illum *formaliter* statuit in tremulo aeris motu, omni prorsus rejecta *absoluta qualitate* ab illo motu distincta; & ideo quæ ponit, *motum illum*, adeoque sonum, *ab auditu percipi, quando etiam ex magna distantia propter impetum, & reciprocationem primi aeris commoti, usque ad aures propagatur, similemque tremorem interno aeri auris communicat, concutitque membranam cochleæ*. Jure ergo negare non potest Cl. P. Ferrari, probabile plurimum esse, *auditionem* oriri ex tremore, fibris nervorum *cochleam* investientium ab externo tremente aere communicato; ac proinde passionem sensorii, quam *auditio* consequitur, in certo dumtaxat nervearum fibrarum motu tremoreque consistere; & ideo sensum hunc *tactu* absolvi; atque hinc ab ipsomet quoque Viro Cl. explicandum fore, quamobrem frustraneum minime sit discrimen organi *auditus* ab organo *vulgaris tactus*, tametsi passio utriusque organi in sola fibrarum nervearum motione physice consistat, & sensus uterque ex contactu sensorii a proprio objecto perficiatur. Non sum nescius, negari ab eodem Viro doctissimo (e), auditionem fieri ex contactu, propterea quia, inquit, *si auditio esset tactus, utique esset tactus perceptivus tremoris*: quod tamen est falsum; cum *tota caro tremere quandoque tactu percipiat, neque tamen audiat*. Verum satis comprehendere animo non possum, cur ille deinde dicat (f), licere cuique pro arbitrio, *sonum* statuere *formaliter* vel in solo *motu tremulo, & reciproco aeris*, vel in *qualitate absoluta* aeri superaddita. Cum enim statui nequeat *sonus* in solo aeris tremore, nisi in solo itidem motu fibrarum nervi acustici statuatur passio, quam *soni* auditio consequitur; atque hinc nisi ex solo contactu illarum fibrarum ab tremente aere auditio *soni* fieri dicatur, ipsi certe Viro Cl. neganti, passionem organi auditus positam esse in solo motu fibrarum nervi

(a) Cap. XII. *tex.* 64.
(b) Cap. II.
(c) Cap. XVII.
(d) T.III. P.III. *Physicę* Disp.III. q.4.p.384.
(e) Ibidem *pag.* 378.
(f) Ibidem *pag.* 384.

acustici, illamque ex contactu oriri, non licet, in solo tremulo aeris motu sonum *formaliter* collocare. Itaque vel frustranea non est organorum sensationibus inservientium essentialis diversitas, tametsi eorum omnium passio in solo motu componentium fibrarum posita sit, & contactu perficiatur; vel etiam diversitatem specificam organorum, quibus sensationes *gustus*, *auditus*, & *tactus* absolvuntur, necesse est, haud dissimili profecto ratione, frustraneam dicamus.

℞. 2. frustraneam non esse specificam externorum sensoriorum diversitatem, quamvis illorum omnium immutatio ex contactu oriatur. Cum enim & maxime inter se differant sensibilia ea corpora, a quibus externa sensoria immutantur, & plane dissimilis sit modus, quo sensoria ipsa ab illis afficiuntur, factum non est frustra, sed summo Divini Opificis consilio, maximaque necessitate naturæ, ut notabiliter quoque diversa sit externorum ipsorum sensoriorum structura. *Corpora exteriora*, inquit Cl. Villis, *quia particulis varii generis, iisque diversimode configuratis constant, ideo cum alia aliis applicantur, eorum adinvicem appulsus, non semper uno, eodemque modo, verum multiplici ritu, ac cum insigni varietate fiunt, scilicet aut per* contactus corporeos, *aut per* effluvia ab iis decidua, *aut per* aeris, auræque, *sive* lucis particulas ab illis reflexas, & velut tela quaquaversus jaculata. *Porro & cuilibet horum generum plures species accensentur; diversa quippe non tantum concreta, sed etiam ejusdem subjecti varia corpuscula multiplices edunt, imprimuntque contactuum suorum typos, quorum singuli ut ab animalibus distincte excipiantur, adeoque dignoscantur, anima sensitiva organis corporeis utens, plura sensoria tantæ objectorum varietati, & diversis rerum occursibus accommodata habet, in quibus singulis tum pororum conformatio, tum spirituum animalium dispositio ad corpuscula ab objecto immissa, quæ tantum unius generis sunt, apte suscipienda proportionantur. Hac ratione sensibilium impressiones, saltem quæ animali cuilibet ex usu esse possunt, percipiuntur, & ab hac multiplici sensionis via omnis rerum notitia procedit, juxta illud Philosophi*: omnis scientia fit a sensu; *cum e contra, si corpora, eorumque particulæ nudæ animæ systasim, aut partem ejus semper uno eodemque modo ferirent, nihil prorsus sciretur; quia aliud ab alio, aut partes, aut membra hæc ab illis minime distinguerentur. Quapropter ut præcipua quævis objecta, eorumque accidentia distincte notentur, ita comparatum est, ut particulæ quædam hoc organum feriant*, & *non illud*, *adeoque singula sua tantum respectiva sensoria, ceteris intactis, afficiant* (a). Itaque, licet omnis externa sensatio oriatur ex contactu, & ex inde

orta

(a) De anima Brutorum *cap.* 10.

orta motione in nerveis externorum ſenſoriorum fibris a rebus ſenſibilibus excitata, negamus tamen Cl. Adverſario, non aliud *parandum fuiſſe organum, quam quod* tactui, *ut eſt nomen* ſpecialis ſenſus *a ceteris diſtincti, ac per totum corpus diffuſi, reipſa paratum eſt*; pro comperto habentes, tantam eſſe, ratione *magnitudinis*, *figuræ*, atque *texturæ*, diverſitatem particularum, ex quibus res ſenſibiles componuntur, tamque diſſimili modo particulas ipſas nobis occurrere, ut ad omnes illarum impreſſiones ſuſcipiendas, & cerebro communicandas, unum *tactus* organum, ſumto *tactu* pro ſpeciali ſenſu, nequaquam ſufficiat.

Ad *primam* autem argumenti *confirmationem* reſpondeo, concedendo, omnes impreſſiones, quæ ex rerum externarum appulſu in nobis fiunt, per *nervos*, *fibras* (ſupple *nerveas*) & *ſpiritus* cerebro communicari; ſed negando, in omni corporis parte preſto eſſe *nervos*, & *fibras* ejuſdem rationis, adeo nimirum ut inter partes ex nervorum fibris compoſitas nullum plane ſit eſſentiale diſcrimen. Illud enim ſi ita intelligat Cl. Adverſarius, parcat, ſi Anatomicus aliquis dixerit, ipſum tunc aperte falli, Autopſia nimirum demonſtrante, eas humani corporis partes, quæ ſenſationibus peragendis inſerviunt, maxime differre inter ſe, quamvis ex nervorum filamentis ſingulæ componantur. Do equidem Viro Cl., primitivas nervorum fibras eſſe ubique ejuſdem rationis; at nego, eas in omnibus corporis partibus eodem artificio ſimul eſſe intextas. Hoc enim artificium, ipſa teſte experientia, plane diſſimile eſt pro ſpecifico ipſarum partium diſcrimine. Negamus itaque, quod ille inde colligit, *in omni* ſcilicet *corporis parte extare organa, quæ nata ſunt excipere omnium ſenſibilium impreſſionem, ſive motionem*; & ideo *in ſolo vulgari tactu ſenſitivam vim abſolvi, & hoc uno* lucem, ſaporem, odorem, *ſi ſuperis placet*, ut ille ait, *percipi*; atque hinc *tot organa humani corporis eſſe ſuperflua*. Nam licet in omni parte corporis habeantur nervi, ii tamen non in partibus ſingulis apti ſunt ad omnium externarum rerum impreſſiones recipiendas, quod ſcilicet in illis omnibus eodem modo, eodemque artificio minime ſint conformati. Hinc etenim fit, quemadmodum ex Epicuro obſervat Gaſſendus, *ut corpuſcula ſolum, ex quibus* ſpecies colorum *conſtant*, *penetrare poſſint in* ſenſorium viſus, *ipſumque adeo commovere, & afficere*; *non item vero corpuſcula, quæ ſola, ac ſolummodo ſubire poſſunt, ac movere, & afficere* ſenſorium auditus; *neque rurſus alia, quæ ſola, ac ſolummodo* ſenſorium olfactus; *atque ita de ceteris* (a). Quod, eodem Gaſſendo referente (b),

 do-

(a) Sect.III.*Phyſices* Memb.II.lib.VI.cap.2. (b) Ibidem.

docuit etiam Empedocles, cum ait, *juxta concinnitates meatulorum sensus distingui, sensibili proprio unicuique sensui congruente*. At vero, quoniam Cl. Adversarius, utpote uni addictus Aristoteli, ne flocci fortasse faciet memorata Epicuri, atque Empedoclis testimonia, Alexandrum Aphrodisæum audiat, Virum scilicet, cui non ultimus profecto inter Peripateticos locus debetur. Is ergo quærens, *quam ob causam, cum nervi iidem a cerebro, & dorsi medulla in partes membrorum omnium transmittantur, non eadem actio, sed varia soleat provenire? Quoniam*, inquit, *non modo ratione essentiæ, verum etiam structuræ variat actio. Alia enim strues, & effigies* nervi conspectus *est*, *alia* auditorii, *alia* gustatorii, *alia ejus, qui in ore ventris positus est* (a). Itaque etsi omnia externa sensoria ex nervorum fibris componantur, verumtamen quia illorum structura plane diversa est, fit ut nonnisi a rebus dissimilibus immutari pro sensationis negotio ipsa possint, videlicet ut a *lucis* radiis eæ tantum nervorum fibræ valeant commoveri, quæ *reticularem* oculi *membranam* constituunt; ab undis *sonoris*, sive a tremulo aeris motu illæ dumtaxat, quæ per *cochleæ* antrum disseminatæ sunt; a particulis *sapidi* corporis eæ solum, quæ in *papillulas* desinentes, sub externa linguæ tunica latent; ab odori corporis *effluvio* illæ tantummodo, quæ per membranam *interiores* narium *anfractus* investientem dispergunturs; ac demum a *tactilibus* corporum *particulis* eæ dumtaxat, quæ itidem conformatæ in *papillulas*, sub cuticula delitescunt. Hinc non immerito (absit verbo invidia) illud risu excipiendum censet Cl. Constantinus Grimaldi, quod sententiæ Recentiorum statuentium, passionem externi cujuslibet sensorii in sola motione fibrarum nervearum, quibus illud constat, opponit Cl. Petitus, & post ipsum P. de Benedictis sub nomine Benedicti Aletini, quamobrem scilicet, cum in pede, ut in membris reliquis, sint *nervi*, & *fibræ*, non propterea sensibilia quæque unius pedis ministerio, a nobis discernantur. *A questa dimanda ridicolosissima è agevole*, inquit ille, *il risponder con altra dimanda: cioè, se con la man noi facciam tante, e sì ammirabili operazioni, quali sono lo* scrivere, *il* ricamare, *lo* scolpire, *e tante e tante sì nobili, e sì fine opere, che recan meraviglia; e ciò, per aver essa dita, e muscoli, che si muovono a nostro talento: per qual ragione l'istesse operazioni non facciam co' piedi, in cui certo è trovarsi le dita, e i muscoli? Or chi non ismacellerebbe dalle risa, si fatta dimanda udendo? E pure è vero, che altrettale è quella del Petito; poichè se bene in tutti gli organi de' nostri sensi ritrovansi i nervi, e con essi le fibre, non pertanto v' intervien tra essi una differen-*

(a) Lib. II. *Problematum* num. 73.

renza assai maggiore, che non è tra le mani, e i piedi; perocchè alcuno d'essi averà le fibrille coverte da tuniche più dure, che l'altro; onde un movimento leggiero, che in questo opererà, in quello non sarà valevole a far nulla; di più altro di essi costerà di fibre più grosse; l'altro di più sottili; altro ne avrà maggior copia, altro minore; altro avrà le fibre più distese, altro meno; altro l'avrà tessute in una guisa, ed altro in diversa maniera: dalle quali differenze può certamente avvenire, che uno di essi atto sia a ricevere un' impression degli esterni oggetti, che l'altro ricever non possa (a).

Ceterum, quoniam ipse etiam Cl. Adversarius statuit cum Recentioribus sensorium *tactus* in *papillulis nerveis*, quæ latent sub cuticula (b); sensorium *gustus* in *nerveis* itidem *papillulis* sub extima linguæ tunica delitescentibus (c); sensorium *olfactus* in *fibrillis nerveis* per tenuem membranam, interiores narium anfractus investientem, disseminatis (d); sensorium *auditus* præcipue in *zona nervea*, quæ *cochleæ* antrum investit (e); ac demum sensorium *visus* in oculi *retina* (f); necesse est, hoc suum argumentum, si quid concludit, ab ipso quoque solvatur. Sic enim arguo: cum omnia ejusmodi sensoria ex nervorum fibris componantur; neque fas sit in illis fibris *essentialem*, ut ipse ait, *effingere diversitatem*, stat, illa, ejus quoque judicio, non differre inter se, nisi quatenus diverso artificio, pro specifico ipsorum sensoriorum discrimine, simul intextæ sint fibræ, ex quibus componuntur. Hæc igitur dissimilis, pro sensoriorum discrimine, textura fibrarum vel est sufficiens ratio, quamobrem non in omni corporis parte extent organa apta ad rerum omnium impressiones recipiendas, vel non. Si illa sit ratio sufficiens, jam corruit argumentum. Hoc enim ipso apertum manet, non placere diis, ut uno *tactus* sensu sensibilia quæque a nobis percipiantur. Sin autem dissimile illud artificium non sufficit, ostendat, quæso, Cl. Adversarius, quomodo impedire illud possit, ne Scholasticæ sensibilium omnium rerum sive *species*, sive *qualitates* omnibus sensoriis ex æquo imprimantur; & ideo eodem jure, ne omnia sensibilia uno sensu *tactus* homo attingat. Neque enim video, cur, si, ut ille docet, *in omni corporis parte præsto sint, & quidem* ejusdem rationis, *nervi, fibræ, & spiritus animales*, non in omni corporis parte habeatur organum, quo *sensibilis* quævis *qualitas* a nobis sentiatur; cum, ejus quoque sententia, ut vi-

(a) Discussioni Istoriche, Teologiche, e Filosofiche P. III. *risposta alla terza lettera Apologetica* n. 544.
(b) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. 3. q. 1. *pag.* 339.
(c) Ibidem q. 2. *pag.* 336.
(d) Ibidem q. 3. *pag.* 370.
(e) Ibidem q. 4. *pag.* 376.
(f) Ibidem q. 5. *pag.* 388.

visum est, organum externi cujuslibet sensus in solis nervorum fibris consistat. Animo siquidem complecti non possum, quidnam prohibeat, quominus decantatæ adeo a Scholasticis sensibilium rerum *species* non omni parti corporis, pro sensationis negotio, imprimantur.

Ad *secundam confirmationem* respondeo, negando assumtum, corruere scilicet *quinarium* sensuum *numerum*, *communi gentium omnium consensione firmatum*, si passio externi sensorii, quam sensatio consequitur, in sola fibrarum nervearum, ex quibus illud constat, motione statuatur. Ad probationem autem dico, falsum esse, *sub* tactu *innumeras debere admitti sensuum species*. Quamvis enim *innumerabilis pene sit varietas motus, aliter, atque aliter modificati*, non propterea, ut hinc ille colligit, *innumerabiles sensuum species sunt* idcirco *sub* tactu *asseverandæ*. Falsum quippe est, quod perinde ac certum ab eo assumitur, *quinque* nimirum *admitti* ab Recentioribus *sensuum species propter variam motus modificationem*; & *sensum*, illorum judicio, *non esse, nisi tactum, motum unum percipere natum*, adeo ut quot *dissimiles motus* excitari ex rerum sensibilium appulsu in nobis possunt, tot illi *sensuum species* in nobis distinguant. *Quinarium* enim externorum sensuum *numerum* non ex motionum diversitate, sed ex hoc uno potissimum Recentiores derivant, quod quinque in nobis sint dissimilia organa, quibus res sensibiles a nobis percipiuntur. *Olfactus, visus, & auditus*, inquit Cl. Gassendus, *cum non sine contactu quodam functiones suas obeant, videntur posse quasi species* tactus *perfectiores haberi; ac in eo tamen a tactu communi distinctæ, quod ad communem quidem sufficiat communis crassaque in externo sensorio, parteve contacta dispositio, ut pars illa interior communi crassoque afficiatur modo, neque secus ipsum contactum, aut rem contingentem percipiat; ad illas vero specialior quædam, exquisitiorque contextura ad hoc exigatur in sensorio, ut pars interna specialius exquisitiusque afficiatur, ac percipiat rem non tam per seipsam, quam per subtile quidpiam ab ea emissum, contingentem. Unde & efficiatur, ut quia alia longe ratione comparata est auris*, exempli gratia, *quam oculus, ideo alia ratione percipiatur, quod percellit aurem, quam quod percellit oculum* (a). Non inficior, ea quoque differre inter se, quæ dissimilibus organis sensoriis percipiuntur. Moneo solum, ex hoc discrimine minime posse *quinarium* externorum sensuum *numerum* satis evinci. *Quæso* enim, inquit laudatus Vir Cl., *annon sit aliud a* tactu *sensus* caloris, *&* frigoris? *quippe* tactus *notæ proprie solum est ex applicatione ad res* duras, molleis, siccas, humi-

(a) Sect. III. *Physices* Memb. II. lib. VI. cap. 3.

humidas, asperas, glabras, *& si quæ sint tales ; cum diversissimum tamen quidpiam sit* caloris , *&* frigoris *sensus ? Quid dicam vero de ipso* sensu ponderis, *atque* levitatis? *anne ibi nihil præter* tactum *est? Et nonne ipsemet Aristoteles multiplicitatem* sensuum *pro* contrarietatum *multiplicitate distinguens, & eam ad* visum *spectare dicens, quæ est* albi, *&* nigri; *eam ad* auditum, *quæ* acuti, *&* gravis; *eam ad* gustatum, *quæ* dulcis, *&* amari? *distinguat oportet* sensus varios, *ad quorum unum spectet* contrarietas calidi, *&* frigidi; *ad alium* humidi, *&* sicci; *ad alium* duri, *&* mollis; *ad alium* levis, *&* gravis &c. (a)? Hæc autem dixi, ut pateat Cl. Adversario, jure non esse, cur in quinario externorum sensuum numero nimiam contra Recentiores spem collocet, cum defuturus fortasse non sit, qui piaculum nequaquam ducat, numerum illum, tametsi *communi gentium omnium consensione firmatum*, augere, aut etiam minuere. Tale præterea hoc suum argumentum est, ut, penitius inspectum, vel Recentiores non urgeat, vel etiam Scholasticos ex æquo premat. Sive enim sit *motus*, sive *species*, sive *qualitas* id, quod externo sensorio ab re sensibili imprimitur, nósque ad sentiendum determinat, certum est perspicuumque, illud non minus debere esse multiplex & varium, ac multiplex sit atque varius motus ille, qui juxta Recentiorum hypothesim sensorio communicatur. Igitur si, Cl. Adversarii judicio, corruit *quinarius* sensuum *numerus*, propterea quia *innumerabilis pene sit varietas motus aliter, atque aliter modificati*; eadem prorsus ratione debet ille idem sensuum numerus nutare prorsus atque corruere etiam in hypothesi Scholasticorum; cum æque innumerabilis sit varietas *specierum*, quæ sensorio imprimuntur. Nam *quemadmodum*, ut ille ait, *quinque admittuntur* a Recentioribus *sensuum species propter variam motus modificationem*, ita, dicent Recentiores, quinque species sensuum a Scholasticis statuuntur propter variam *specierum impressarum* naturam; unde, *quemadmodum propter innumerabilem pene motuum variam modificationem innumerabiles sensuum species sub tactu* a Recentioribus, ut ille ait, *asseverandæ* sunt; ita, dicam ego, propter innumerabilem pene *impressarum specierum* diversitatem innumerabiles sensuum species sub uno *tactu* a Scholasticis eodem jure sunt admittendæ.

Urget autem Vir Cl., *si sensus non est nisi tactus motum unum percipere natus, & sensibile non est, nisi corpus motu uno natum percipi; ut exinde quinque asserantur sensus, quinque dumtaxat sensibilia ostendenda forent, hoc est, corpora, quæ valeant dumtaxat efficere quin-*

(a) Sect.III.*Physices* Memb.II.lib.VI.cap.1.

quinque modificationes motuum. Cum ergo hæ innumeræ pene sint pro varia corporum figura, mobilitate, & affectione, innumeri quoque statuendi sunt sensus. At vero ita quoque urgebunt Recentiores: si sensus non est nisi animæ actio ab una *impressa* rei *specie* determinata; & *sensibile* non est, nisi corpus aptum, ut per unam *impressam speciem* a nobis percipiatur; ergo pari ratione *quinque* dumtaxat *sensibilia*, quæ valeant *quinque* tantum *dissimiles species* externis sensoriis imprimere, ostendenda sunt a Scholasticis, ut nonnisi quinarium esse numerum *sensuum*, ipsi quoque evincant. Cum ergo hæ *species* innumeræ pene sint, pro variis nimirum corporum *qualitatibus*, innumeri sensus etiam a Scholasticis sunt statuendi. Quod si dicat Cl. Adversarius, non multiplicari sensus a Scholasticis pro multiplicatione *specierum dissimilium*, quæ externis sensoriis a corporibus imprimuntur, sciat velim, neque pro multiplicatione *dissimilium motuum*, quos nerveis sensoriorum fibris sensibilia externa corpora communicant, sensus a Recentioribus multiplicari.

III.

32. *Opponit* 3. commentitiam esse, neque posse defendi viam illam, *qua, ex Recentiorum sententia, sensibilium impressiones ad cerebrum per sensus externos derivantur. Non enim per fibras, aut nervos, aut spiritus fieri potest illa motuum communicatio.* Non per fibras, *motum impediente, ac retundente molli carne, qua nervi, & fibræ circumambiuntur, & ossibus, quibus illæ incumbunt.* Sed neque per spiritus. *Neque enim tanta celeritate possunt ad cerebrum ferri, quanta omnino necessaria est, ut pedis tactio momento eodem percipiatur, quo fit, sicuti docente experientia novimus contingere* (a). Ergo &c.

Id porro ex eo confirmat, quia *vel hæc motus communicatio fit, quia spiritus in extima corporis parte existentes ad cerebrum usque promoveantur, vel quia commoti hi spiritus aliis item similem communicant motum, aliique aliis usque ad cerebrum. Si primum: illud prorsus irrationabile est; quoniam & instantanea deberet esse motio, & alii spiritus varie commoti, atque jam in nervis existentes, motum certe retunderent, perturbarent, & impedirent aliorum, qui in locum ipsorum subire conarentur. Secundum item in instanti credibile non est fieri, & cum persæpe spiritus jam in nervis existentes jam contrarium motum habeant ex animæ determinatione impressum, infe-*

rio-

(a) Tom. III. P. III. *Physices* Disp. II. q. 2. *pag.* 329.

riores spiritus, qui suum illis motum communicare tentarent, ab illis potius repellerentur, maxime si levis sit motus in manu (a). *Respondeo*, passionem, sive motionem in externo sensorio ex rei sensibilis appulsu excitatam, non per *nervos*, & *fibras*, sed per *spiritus animales*, quibus illi turgent, probabilius, mea quidem sententia, *cerebro* communicari. Dicere namque, illam passionem *cerebro* imprimi, quatenus, ut nonnulli præstantes Viri putant, tota, quanta est, nervi longitudo, musicæ chordæ instar, tremat quodammodo, dum extrema ejus pars, quæ externum sensorium constituit, a re sensibili percellitur, *repugnat*, inquit Cl. Boerhaavius, *naturæ mollis, pulposi, flacidi, & sæpe inflexu curvati nervi* (b). Fallitur autem Cl. Adversarius, dum ait, *spiritus non sufficere ad illam motuum communicationem*; idcirco quia nequeant *illi tanta celeritate ad cerebrum ferri, quanta omnino necessaria est, ut pedis tactiv momento eodem percipiatur, quo fit*: fallitur, inquam, si de momento temporis penitus indivisibili mens ejus sit. Passio externi sensorii defertur quidem ad *cerebrum* tanta celeritate, ut inter momentum, quo pungitur pes, & illud, quo punctio sentitur, nullum plane tempus mens nostra discernat. Verum non propterea dici potest, punctionem illam, ejusque sensionem eodem penitus indivisibili temporis momento absolvi. In instanti non propagatur lux, ut cum Recentioribus fateri vel invitus cogitur Vir ipse Cl. (c); neque tamen aliqua successio in illa propagatione a nobis distinguitur; sed uno pene temporis momento etiam per immensum spatium ipsa fieri, nobis apparet. Ergo passio quoque, sive motio externi sensorii videri nobis potest uno momento temporis ad *cerebrum* deferri, quamvis reapse non uno momento, sed tempore divisibili illa absolvatur. Non assumat itaque P. Ferrari veluti experientia notum perspicuumque, punctionem pedis, & universaliter passionem externi sensorii, eodem penitus momento, quo fit, a nobis percipi, sed id demonstret; & tunc fateri ipsi quoque non detrectabimus, passionem externi sensorii neutiquam posse per *spiritus animales* cerebro communicari. Parcat tamen, si dixero, id nunquam ab eo demonstratum iri, quemadmodum nunquam ab eo demonstrabitur, *species* illas, quæ, Scholasticorum, adeoque & ipsiusmet Cl. Viri sententia, externis sensoriis a rebus sensibilibus pro sensationis negotio imprimuntur, uno indivisibili temporis puncto ad sedem *sensus communis*, nempe ad *cerebrum* deferri.

(a) Tom. III. P. III. *Physices* Disp. II. q. 2. *pag.* 329.

(b) Tom. II. *Instit. Medic.* n. 285. Vide, quæ diximus in *Physica* Tom. IV. §. 4426.

(c) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *pag.* 421. in responsione ad VI. *objectionem*.

Hinc retorqueri hoc modo potest argumentum: sensibilium rerum *species* externis sensoriis *impressæ* vel deferuntur ad *cerebrum* uno indivisibili temporis momento, vel spatio temporis exiguo quidem, sed divisibili. Si primum: ostendant Scholastici, quomodo hæc *specierum* delatio uno indivisibili momento, tametsi externum sensorium notabili intervallo ab *cerebro* distet, peragi possit; videantque, an tantumdem de *spiritibus animalibus* dicere etiam Recentiores queant. Sin alterum: ergo falsum est, passionem externi sensorii eodem plane momento, quo fit, ab anima sentiri.

Dicet aliquis Scholasticorum, discrimen esse, quia delatio externæ passionis ad *cerebrum* per *species impressas* fit sine motu locali; non sic autem delatio ejusdem per *spiritus*.

Verum contra est. Nam, cum illæ *species* dicantur, & vere sint *entitates materiales*, & *divisibiles*, repugnat, ut ab externo sensorio, cui imprimuntur, ad *cerebrum* usque sine locali motu perveniant. Id certe tam arduum captu est, ut Delio natatore, mea quidem sententia, indigeat.

Porro ad argumenti *confirmationem* quod attinet, dico, passionem externi sensorii communicari cerebro, *non quia spiritus in extima corporis parte existentes ad cerebrum usque promoveantur*; sed quia *commoti hi spiritus aliis item similem communicant motum, aliique aliis usque ad cerebrum*. Concedo Viro Cl., non solum minime esse credibile, verum nec esse possibile, ut ejusmodi communicatio motus in instanti perficiatur; sed nego, necessarium esse, ut communicatio ipsa uno indivisibili momento temporis tota fiat. Nulla quippe ratione, ut diximus, nulloque experimento evinci potest, passionem externi sensorii eodem plane momento a nobis sentiri, quo in illo efficitur. Miror tamen, P. Ferrari in eo maxime esse, ut demonstret, *spiritus animales*, qui in externo sensorio ex appulsu rei sensibilis ad motum excitantur, minime posse motum ipsum aliis sibi vicinis communicare, & ita porro usque ad *cerebrum*; cum non uno, sed pluribus in locis ipse quoque teneat, doceatque apertissime, ab hoc motu *spirituum animalium* per nervos sensationem, ceterasque animalis functiones necessario dependere. Docet enim, *evocatos ad cutem, & excitatos spiritus animales longe diversam sui speciem imprimere in phantastica virtute, ac efficiant partes corporis discolligatæ, vel discontinuatæ*; atque hinc *oriri variam illam perceptionem titillationis* ex levi, *doloris* ex forti fricatione (a). Fatetur, *motum spirituum, rectamque organorum dispositionem requiri, sive ut conditionem habendæ sensatio-*

(a) Tom. III. P. III. *Physices* Disp. II. q. 2. *pag.* 333.

ſationis , *ſive ut partialem cauſam ſenſationum ; unde ex illorum defectu*, aſſerit, *impediri virtutem animæ, & ſenſationem* (a). Docet, *occluſis meatibus, & impedito ſpirituum vitalium* (ſed melius dixiſſet animalium) *affluxu ad ſenſoria, aut ex nimia attentione, ſpiritibus in cerebro detentis, perceptionem tolli* (b). Explicans præterea, quamobrem fiat, *ut cubito diutius innixi ſtuporem in digito auriculari ſentiamus*; ait, id propterea contingere, *quia, conſtricto nervo, major ſpirituum copia ad extremitatem digiti confluit, atque hi ſpiritus multitudine ſua motum invicem retardant, & impediunt* (c). Cauſam quoque ut afferat, cur homines, quibus manus, vel tibia reſecta fuit, *videantur ſibi in manu ſentire dolorem, licet manum non amplius habeant*, ait, id ex eo fieri, *quia ſpiritus animales ad brachii extremitatem confluentes, memoriam excitant doloris, quem olim in manu experti ſunt* (d). Docet etiam, naturalem extaſim in Presbytero, quem memorat S. Auguſtinus (e), contigiſſe *evocatione ſpirituum ad cerebrum, qui etiam ibi vi magnæ attentionis detinentur ; unde externa ſenſatio impeditur, quæ ſine ſpirituum effluxu .... fieri non poteſt* (f). Quærens itidem, *cur interdum, præſertim in apopleticis, caro obſtupeſcat*, ait, hujus eſſe cauſam, *quoniam ſpirituum animalium per fibrillas nerveas propagatio impeditur* (g). Univerſaliter etiam *certum eſſe*, fatetur, *nullam fieri ſenſationem ſine ſpirituum animalium agitatione, & motu, quibus anima utitur, velut inſtrumentis ad ſuas operationes exercendas. Itaque*, concludit, *ſenſibili objecto externos ſenſus percellente, excitantur ſpiritus, & anima per ſenſitivam facultatem in externis ſenſibus operatur, & hanc ſenſuum operationem attingit, ſimulque ſe agere animadvertit. Fit etiam in cerebro* (pergit ille) *impreſſio aliqua tum rei attactæ, tum ſenſationis; adeoque illa externa ſenſatio communicari interno ſenſui dicitur, quatenus illa ſine hujus operatione propter potentiarum ordinem non habetur* (h). Somnum demum explicans, ipſum oriri docet *ex defectu ſpirituum, quibus operationes animalis exercentur. Diſſipantur enim*, inquit, *actione ſpiritus animales ; unde iterum ſomni tempore alii eliiciuntur; vel, ut nonnullis placet, obſtruuntur orificia fibrarum, per quæ ſpiritus tranſire debent a ſenſibus ad cerebrum, a cerebro ad externos ſenſus. Sed hoc ipſum ex ſola ſpirituum deficientia contingere novimus* (i). Hinc explicans ea,

 quæ

(a) Tom.III. P.III. *Phyſices* Diſp.II. q. 2. *pag.* 334.
(b) Ibidem *q.* 3. *pag.* 339.
(c) Ibidem.
(d) Ibidem *pag.* 341.
(e) Lib. XIV. *de civitate Dei* cap. 24.
(f) Loco citato *pag.* 342.
(g) Ibidem Diſp. III. *q.* 1. *pag.* 360.
(h) Ibidem *pag.* 364.
(i) Ibidem Diſput. II. *q.* 1. *pag.* 322.

quæ de somnambulis referuntur, ait, causam illorum esse, quia *spirituum naturalis motus non est omnino impeditus*; unde *nec somnus perfectus est* (a). Hæc igitur cum ita sint, Cl. Adversario, æque profecto ac Recentioribus incumbit explicare modum, quo *spiritus animales* ita per nervos moveantur, ut motus in externo sensorio, dum a re sensibili percellitur, illis impressus, ad *cerebrum* usque propagetur; & vicissim, quem illi, dum *phantasiæ*, *imaginationis*, aliasque *internorum sensuum* functiones anima exercet, in *cerebro* motum concipiunt, ad partes corporis ab ipso *cerebro* valde remotas diffundatur. Quocumque enim modo hanc motus communicationem, diffusionemque per *nervos* exposuerit Vir Cl., Recentioribus perinde omnino est, utpote qui hoc loco non aliud habent in animo, nisi passionem externi sensorii in motione fibrarum nervearum, ex quibus illud componitur, positam esse, demonstrare. Accedit, inficiari neminem posse, passionem, quæ in externis sensoriis, dum a rebus sensibilibus pro sensationis negotio percelluntur, efficitur, in motione fibrillarum nervearum, ex quibus ipsa sensoria composita sunt, unice consistere; idcirco quia nobis plane ignotus sit modus, quo illa externorum sensoriorum motio *cerebro* communicetur. Negare quippe non licet, quod clarum est, quia quod est obscurum, non potest comprehendi. Clarum est autem, id, quod in externo sensorio ex appulsu rei sensibilis contingit, nihil omnino esse a nervearum fibrarum, quibus illud constat (§. 23.), motione diversum. Non aliud certe, nisi motio quædam, fatentibus Scholasticis, ipsoque etiam Cl. Adversario adsentiente, fit in nerveis papillulis *tactus*, dum a duro corpore premuntur, ejusque *durities* a nobis sentitur; neque aliud, iisdem testibus, nisi motio, in fibrillis *nervi acustici* itidem contingit, dum percelluntur a motu aeris tremulo, & *soni* sensatio in nobis excitatur. Quemadmodum ergo non idcirco negandum est, horum sensoriorum passiones in sola nervorum motione consistere, quia a nobis ignoratur modus, quo motio illa *cerebro* communicetur; ita negari non debet, passionem externi cujusvis sensorii, quam sensatio consequitur, haud esse a certa componentium nervearum fibrillarum motione diversum, propterea quia modus nos lateat, quo ipsa motio deferatur usque ad *cerebrum*, eique, ut anima sentiat, imprimatur.

IV.

33. *Opponit* postremo laudatus Vir Cl. hoc dilemma: *aut potest ali-*

(a) Ibidem Disput. II. *q.* 1. *pag.* 324.

aliqua sensatio sine motu percipi, aut non potest. Si potest, ruat oportet omnis Recentiorum doctrina. Si non potest, ruat oportet omnis memoria, omnisque sensatio a dormientibus peracta, quæ certe contingit, nulla locali impressione facta ab externis objectis tunc absentibus. Deinde (pergit ille) *si ab objectis non aliud recipimus, nisi motum, ergo non aliam deberemus ideam habere, nisi ideam motus; alioquin enim experimentalis cognitio esset falsa, quia objectum repræsentaret aliter, ac sit in se. Atqui etiam ipsi Recentiores fatentur, non percipi a nobis motum, dum videmus, & audimus, sed cognosci colorem, sonum. Igitur* &c. (a).

Respondeo, nullam externam sensationem, de qua dumtaxat res nobis in præsens est, fieri sine motu. Impossibile est enim, rem aliquam externo sensu a nobis attingi, quin illius organum ab ipsa re immutetur; ac proinde quin tum nerveæ fibræ, quibus illud constat, tum qui in ipsis fibris latent *animales spiritus*, motum aliquem concipiant. Falso autem sibi blanditur Cl Auctor, docens, si nulla sensatio fit sine motu, *ruere omnem memoriam, omnemque sensationem a dormientibus peractam*, utpote *quæ contingit, nulla locali impressione facta ab externis objectis tunc absentibus*. Etenim vel loquitur de *sensatione interna*, vel de *externa*. Si de *interna*, miror, eum non vidisse, ad rem, de qua modo agimus, *internam sensationem* non pertinere; cum præsens quæstio versetur tota circa modum, non quo *interna*, sed quo *externa* tantum *sensatio* in nobis perficitur; ut proinde Recentioribus sufficiat, nullam *externam sensationem* fieri sine motu, quocunque demum modo *sensatio interna* absolvatur. Si vero de *externa* intelligat, vehementius obstupesco, quod non viderit, se tunc non experientiæ solum, verum & sibimetipsi adversari. Adversatur experientiæ; nam ex illa certo constat, sensus omnes externos in dormientibus otiari. Adversatur sibimetipsi. *Somnum* quippe definiens, illum vocat *sensuum omnium externorum naturalem ab opere cessationem, ortam ex defectu spirituum, quibus operationes animalis exercentur* (b). *Somni* quoque causas enumerans, eas inter recenset *sensibilis objecti defectum, & lucis carentiam*, *quatenus iis*, inquit, *externi sensus non vellicantur, nec subinde spiritus in capite commoventur* (c). Ceterum nullam seu *internam*, seu *externam sensationem* fieri sine motu, ipse etiam aperte docet alio loco. *Certum est enim*, inquit, *nullam fieri sensationem sine spirituum animalium agitatione, & motu, quibus anima utitur velut instrumentis ad suas operationes exercendas* (d).

Ad

(a) Loco citato *pag.* 330.
(b) Ibidem *pag.* 322.
(c) Ibidem *pag.* 323.
(d) Ibidem Disp. III. q. 1. *pag.* 364.

Ad id demum, quod ille addit, fore scilicet, *si ab objectis non aliud recipimus, nisi motum, ut non aliam debeamus ideam habere, nisi ideam motus*, dicam *primo*, hanc instantiam ab ipsomet etiam solvi oportere. Cum enim de *sono* disserens, in eam, ut modo innuimus, opinionem propendat, quæ statuit, *sonum* non in aliqua a motu distincta *reali qualitate*, sed in solo tremulo interjecti aeris motu consistere, ipsumque *sonum* a nobis idcirco sentiri, quatenus motus ille aeris tremulus *usque ad aures propagatur, similemque tremorem interno aeri auris communicat, concutitque membranam cochleæ* (a), ipse quoque Vir Cl. explicet necesse est, quamobrem, licet *sonus* nonnisi motum sensorio communicet, non *motum*, dum audimus, sed *sonum* percipiamus. Dicam *secundo*, difficultatem hanc nihil prorsus negotii iis facessere, qui cum Cartesio (b), Malebranchio (c), Boerhaavio (d), aliisque putant, motus, qui in externis sensoriis ab sensibilibus rebus fiunt, non esse causas idearum, quæ tunc in anima excitantur, nisi *occasionales*: videlicet qui ajunt, nos sentire, dum externa sensoria a rebus sensibilibus immutantur, non quia motiones, quæ in sensoriis tunc fiunt, ipsi percipiamus; sed quia ea a Deo mentem inter atque corpus constituta lex est, ut, certis quibus motibus factis in corpore, certę ideæ in anima consequantur. Dicam *postremo*, non aliam nos habere ideam, dum sentimus, nisi ideam motus, non quidem *formaliter*, adeo nempe ut sensatio generatim sumta, aliud non sit, nisi perceptio corporis diversa successive loca occupantis; sed tantum *materialiter*, quatenus scilicet passio externi sensorii, quam sentiens anima percipit, in certa fibrarum nervearum, quibus illud constat, & *spirituum animalium*, quibus fibræ ipsæ turgent, motione consistit. Neque propterea falsa censenda est experimentalis cognitio, quasi objectum, a quo sensorium afficitur, aliter, ac sit in se, animæ sentienti per eam exhibeatur. Tale quippe per sensum nobis exhibetur objectum sensibile, quale per passionem ab eo excitatam in externo sensorio, & ad *cerebrum* usque propagatam, illud menti occurrit. *Coloratum* nempe a nobis percipitur objectum, si ejus sit naturæ, ut *reticularem* oculi *membranam*, luminis ministerio, afficiat; *sapidum*, si *nerveas* linguæ *papillas* moveat; *odorum*, si per membranam, interiores narium anfractus investientem, disseminatas *nerveas fibrillas* vellicet, & ita porro. Fatentur quidem Recentiores, motum, hoc est, corpus plura successive loca occupans, a no-

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 4. *pag.* 383, 384.
(b) P. IV. *Principiorum* num. 197.
(e) Lib. I. *de inquirenda veritate* cap. 10.
(f) Tom. IV. *Instit. Medicarum* n. 570, & ibidem in *Prælectionibus*.

nobis non percipi, dum videmus, & audimus; at ſimul docent, non aliud, niſi diſſimiles in diſſimilibus, diſſimilique modo ſibi mutuo intextis, externorum ſenſoriorum fibris excitatas, motiones tunc a nobis ſentiri.

Corollarium I.

34. *Illud* itaque *ex ſe* formaliter *ſenſibile eſt, quod externis ſenſoriis debite applicatum, nerveas illorum fibras premere, vellicare, aliave ratione movere poteſt*. Ejuſmodi enim hoc ipſo illud eſt, ut, quemadmodum *ſenſibilitas* poſtulat (*§.6.*), ea ex illius appulſu ad externa ſenſoria paſſio in ipſis excitetur, quam ſenſatio conſequitur.

Corollarium II.

35. *Ab eo* formaliter *habet corpus, ut ſit* ſenſibile, *a quo habet* formaliter, *ut externis ſenſoriis debite applicatum, fibras nervorum, ex quibus illa compoſita ſunt, movere certa ratione poſſit, premere, & vellicare*. Corpus namque per id *formaliter* eſt *ſenſibile*, per quod *formaliter*, externis ſenſoriis applicatum, valet illa immutare (§.7.).

Corollarium III.

36. Qualitas ſenſibilis *in eo* phyſice *poſita eſt, ratione cujus corpus ſenſibile eſt proxime aptum ad ita movendas nerveas fibras externi ſenſorii, cui applicatur, ut aliqua in nobis ex illa motione ſenſatio contingat*. In eo enim *qualitas ſenſibilis* phyſice conſiſtit, per quod *formaliter* habet corpus, ut eam in externo ſenſorio, ad quod appellit, paſſionem excitet, quam ſenſatio in anima comitatur (*§.9.*).

Corollarium IV.

37. *Vel nullæ ſunt* ſpecies, *quæ externis ſenſoriis ab rebus ſenſibilibus imprimi dicuntur pro negotio ſenſationis, vel ab certa ipſorum ſenſoriorum motione illæ non diſtinguuntur*. Res enim ſenſibiles, dum externis ſenſoriis applicantur, nonniſi certam quamdam motionem illis, ut modo viſum eſt, communicant.

Prin-

Principium II. fundamentale.

Id, quod objecti instar nobis in sensatione occurrit, & ab sentiente anima immediate percipitur, non est res ipsa sensibilis, a qua sensorium immutatur, sed passio dumtaxat, sive motio in ipso sensorio ab illa excitata.

38. *Probatur*. Certum est, ac, nisi mea me opinio fallat, plane perspicuum, non rem ipsam, quam intuemur, sed illius tantum imaginem in oculorum fundo depictam, id esse, quod visu conspicimus, & circa quod, tamquam objectum, mens nostra videndo versatur. Constat etenim *primo*, si oculorum alter tunc leviter digito prematur, duplatam, tametsi unica sit in se, rem ipsam nobis apparere: cujus phœnomeni cum ea sit causa, quod puncta imaginis in unius oculi fundo depictæ, ob deturbatum axium concursum, iis in locis tunc non appareant, quibus homologa puncta similis imaginis, quæ in altero oculo depicta est, respondere videntur (Tom. IV. *Physicæ* §. 4579.), dubium esse nequit, quin ipsæ tantum imagines illud sint, quod a nobis visu conspicitur. Constat *secundo*, id, quod intuemur, videri nobis a suo loco recedere, nutare, atque in orbem moveri, si, uno oculo clauso, alter premente digito moveatur huc illucque, ac veluti in gyrum agatur. Tunc autem non movetur res extra nos posita, sed ejus tantum imago in oculi fundo depicta. Ergo hæc dumtaxat, minime vero res, quæ per illam exprimitur, nobis in visione occurrit. Constat *tertio*, oculum *microscopio* armatum videre plura, quæ, sublato *microscopio*, videri ab illo non possunt. Ergo illa non videntur in se, sed tantum in imagine. Neque enim alia hujusce phœnomeni ratio esse potest, nisi quia in oculo nudo nullam imaginem illa efficiunt; contra vero distinctam, si *microscopium* interiiciatur. Constat *quarto*, longe majoris molis, quam sit in se, objectum apparere, si trans *microscopium* conspiciatur. Id autem certo certius ex eo fit, quod objecti imaginem, quæ depingitur in fundo oculi, *microscopium* notabiliter augeat. Ergo hæc sola est illud, in quod visio desinit. Constat *quinto*, objectum trans *polyedricam lentem*, vel in speculo *plurium planorum* inspectum, multiplex nobis se prodere ob id dumtaxat, quod ipsius imago in oculi fundo tunc multiplicetur. Ergo hæc tantummodo, non autem objectum, animæ videnti occurrit. Constat *postremo*, eo in loco plerumque videri objectum, in quo reipsa non est. Patet de

nummo existente in fundo vasis aqua pleni, de Sole infra *horizontem* posito, de remo una sui parte aquæ immerso, deque demum iis omnibus, quæ trans *telescopia* conspiciuntur. Nummus enim altior videtur, quam sit reipsa; Sol apparet supra *horizontem*, licet vere infra illum existat; quæque trans *microscopia*, & *telescopia* intuemur objecta, viciniora, aut remotiora, quam revera sint, nobis se produnt. Hæc autem omnia pendent ab imagine, quam illa in oculi fundo depingunt, sive ex hoc uno, quod objecta ipsa non in se, sed in sui tantum imagine, ut est in *Physica* explicatum, a nobis conspiciantur. Ergo id, quod objecti instar nobis in visione apparet, quodque mens nostra tunc percipit, non est objectum in se, sed ejus dumtaxat imago, sive passio, vel motio, quam res ipsa in visionis sensorio excitat. Indubiam porro rem puto, eodem penitus modo, quo visio fit, & sensationes reliquas in nobis peragi; cum scilicet natura unitatem, quoad potest, affectet, & effectus similes simili modo producat. Ergo, generatim loquendo, non res extra nos posita, a qua externa sensoria, ut fiat sensatio, immutantur, sed passio a re sensibili in externo sensorio excitata, id unice est, quod objecti instar nobis in sensatione occurrit, & ab sentiente anima immediate percipitur.

Observandum autem censet Cl. P. Ferrari, eos omnes hallucinari, qui mecum putant, *id, quod mens percipit, dum aliquod objectum intuemur, non esse objectum ipsum in se, sed illius imaginem dumtaxat in oculi fundo depictam. Nulla quippe ratione*, inquit ille, *idipsum adstruitur. Nam quod, presso digitis oculo, objectum duplex appareat, hoc ex diversa axis optici directione, & animæ tendentia explicatur. Alioquin enim semper duplex videretur objectum; cum duplex sit imago in retina. Eadem ratione, agitato oculo, objectum moveri videtur. Ita & per plura veli foramina, & in speculis plurium facierum objectum ipsum multiplicatum videtur; quia multiplex tunc fit axis optici directio* (a).

Sed contra est. Nam quomodocunque mutetur directio *axis optici*, dum alter oculorum digito premitur, objectum non propterea desinit esse unum. Ergo, si illud videtur in seipso, nullatenus potest ob hanc causam duplatum nobis apparere. Eadem ratione non video, quamobrem ob successive mutatam *opticorum axium* directionem, dum, uno oculo clauso, alter digito in orbem agitur, videri nobis debeat objectum mutare locum, ac veluti huc illucque impelli; sicuti etiam cur, propter multiplicem factam directionem *axium*, dum

(a) Tom. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. pag. 411.

dum objectum vel per plura veli foramina, vel in speculo plurium facierum conspicimus, debeat objectum ipsum tunc nobis videri multiplex. Non enim movetur objectum ad motum *axis optici*, neque ad hujus multiplicatam directionem multiplex redditur. Ergo, si in seipso illud a nobis videtur, profecto & immotum, & unum numero tunc etiam nobis appareat, necesse est.

Quod si dicat Vir Cl., ex directione axis *penicillorum opticorum*, quorum apicibus imago objecti in oculi fundo depingitur, vel mutata, vel mota, vel multiplicata, etiam a Recentioribus, imo & a me memorata visionis phœnomena *respective* derivari; id utique ipsi do libentissime. At simul velim consideret, quibusnam principiis in hisce explicandis phœnomenis illi innitantur. Videbit enim, ideo ex mutata, mota, & multiplicata axium directione ea omnia phœnomena ab illis desumi, quia ratum habent fixumque, I. *id, quod, visu in objectum converso, intuemur, non esse objectum ipsum in se, sed illius dumtaxat imaginem in oculi fundo depictam*. II. *singula puncta imaginis, quæ a radiante externo objecto in oculorum fundo depingitur, eo in loco extra illos apparere, in quo axes penicillorum, quibus ipsa puncta in retina fiunt, directe extra oculos ipsos producti, concurrunt* (a). Hisce ergo positis principiis, optima est, quam illi tradunt, horum effectuum explicatio; contra vero dicendum arbitror, si ejusmodi principia respuantur. Nimis apertum est enim, objectum, si in seipso, non vero in sui imagine a nobis conspicitur, fore, ut tale nobis perpetuo appareat, quale in se est, qualiscunque demum in *opticorum axium* directione mutatio contingat. Unum porro addere liceat, utpote quod, nisi vehementer fallar, ad intentum facit perquammaxime. Certum est, cum faciem nostram in speculo conspimus, non ipsam faciem in se, sed ejus tantum imaginem tunc a nobis videri. Ergo nulla res in se, sed in sui dumtaxat imagine a nobis conspicitur. Qua enim ratione imago faciei nostræ, ita prorsus & imago rei cujusque, in oculi fundo depicta, potest habere rationem objecti, circa quod visio *immediate* versetur. Hinc non propter multiplicem factam directionem *axis optici*, ut ait Cl. Adversarius, sed propter multiplicatam in oculi fundo imaginem objecti, fit, ut objectum ipsum, tam in speculo plurium facierum, quam per plura veli foramina a nobis inspectum, multiplicatum appareat. Meliora ergo nisi dederit Vir Cl., moleste ne ferat, si dixerim, eos non falli, qui mecum putant, *id, quod mens percipit, dum aliquod objectum in-*

(a) Vide, quæ diximus Tom. IV. *Physices* §§. 4525, & 4568.

intuemur, non esse objectum ipsum in se, sed illius imaginem dumtaxat in oculi fundo depictam.

Ajunt vulgo Scholastici, rem externam in se quidem a nobis conspici; verum non *absolute*, sed dependenter a sui *specie*, quam illa oculo imprimit.

Verumtamen illud ipsum contra hanc doctrinam facit *primo*, quod contra Cl. P. Ferrari modo retulimus: videlicet si res videretur in se, ut ille ait, non vero tantum in sui imagine, ut ajunt Recentiores, duplatam nobis apparere eam non posse, dum oculorum alter digito a nobis premitur; neque nutare, dum, uno oculo clauso, huc illucque alter digito urgetur; neque demum posse nobis videri multiplicem, dum in plurium facierum speculo eam ipsi intuemur. Cum enim res non mutet locum, dum oculus, una cum impressa rei *specie*, digito pressus movetur; neque multiplex illa fiat, dum vel oculorum alter, pressus digito, a suo naturali situ recedit, vel ipsius rei *species* in illo multiplicatur; necesse profecto est, una semper, & immota, si conspicitur in se, tunc etiam res ipsa appareat. *Secundo*: quia palam efficere debent Scholastici, non solum quid *physice* sint illæ *species*, & quomodo ab externis rebus oculo imprimantur; verum etiam quomodo illæ ad visionem concurrant, quin ipsæ id sint, ad quod visio terminatur. Quamdiu enim hæc in abdito fuerint, tamdiu dicam, bona Cl. Adversarii venia, nihil prorsus suis hisce speciebus ab illis confici. *Doce me prius sodes*, dicam cum Scaligero Cardanum alloquente, *quid est id, quod video? Dices, puerilem esse interrogationem; rem enim esse, quæ videatur. At doce quæso nos pueros, per salebras hasce naturæ perreptantes. Si sensio est receptio; nec recipitur res, demonstrabitur certissima demonstratione sic: ergo non sentitur res. Ajunt, rem videri per speciem. Intelligo, & concludo: species ergo sentitur. Rem ipsam haud percipit sensus. Species ipsa non est ea res, cujus est species. Isti vero ausi sunt ita dicere, non videri speciem, sed rem per speciem; speciem vero esse videndi rationem. Audio verba: rem haud intelligo Non enim est ratio videndi, ut lux. Quid igitur? Quid, inquiunt? per speciem vides rem. Non potes autem videre speciem; quia necesse esset, ut per speciem videres. Quæ sententia est omnium absurdissima. Dico enim jam, rem non videri, sed speciem* (a), passionem scilicet, sive motionem, quæ ex rei ipsius appulsu in externo sensorio excitatur.

(a) Exercit. CCXCVIII. num. 14.

SCHOLION.

39. Hæc opinio de immediato sensationis termino recens non est, ut forte nonnemini Scholasticorum videbitur, sed pervetusta. Eam quippe expresse docuit S. Augustinus, cum sensationem definiens, eam dixit passionem corporis, quæ per seipsam, scilicet *immediate*, animam non lateat, sive quæ ab anima *immediate* percipiatur. *Sensus*, inquit, *est passio corporis per seipsam non latens animam* (a); sibique videri ait, animam, *cum sentit in corpore, non ab illo aliquid pati, sed in ejus passionibus adtentius agere, & has actiones, sive faciles propter convenientiam, sive difficiles propter inconvenientiam, non eam latere, hoc totum esse, quod* sentire *dicitur* (b). Rationem quoque afferens S. Doctor, quamobrem, etsi corpus nostrum patiatur, *cum crescimus, vel senescimus*, neque *id tamen animam lateat*, non propterea *sensus* appellari id possit (c), causam esse ait, quia passiones hujusmodi non *immediate*, sive *per se ipsas*, sed per discursum, seu *conjectatione* ab anima cognoscuntur (d). Unde Evodius, quem inter, atque S. Augustinum in libro *de quantitate animæ* disputatio est, minime dubitat, quin ita definiendus sit *sensus*, ut *sit passio corporis per seipsam non latens animam. Nam & omnis sensus*, inquit, *hoc est, & omne hoc, ut opinor, sensus est* (e). Dubitandum non est igitur, quominus etiam S. Augustino persuasum fuerit, non rem extra nos positam, a qua sensoria nostra afficiuntur, sed passionem dumtaxat, quæ ex rei ipsius appulsu in illis efficitur, esse id, quod sentienti animæ, objecti instar, occurrit, ab eaque, dum sentit, immediate percipitur. Profecto, si secus, per passionem corporis, quæ per seipsam non lateat animam, jure, ut arbitror, definiri *sensus* non posset. A vero idcirco aberrat Cl. P. Ferrari, dum ait (f), nos, Recentiores si audiamus, *ratione sentire*, eosque propterea hac super re adversari S. Augustino expresse docenti, non ad *sensum*, sed ad *scientiam* id pertinere, quod nos *per rationem non latet* (g). Errat, inquam, Vir Cl. Etenim *rationis* nomine vel intelligit *percipiendi* vim, vel *ratiocinandi* potentiam. Si hoc alterum: Recentioribus sane imponit, cum nemo eorum dixerit unquam, neque dicat modo, eam cor-

poreæ

(a) Lib. *de quantitate animæ* num. 48. *alias* cap. 25.

(b) Lib. VI. *de Musica* num. 10. *alias* cap. 5.

(c) Lib. *de quantitate animæ* num 46. *alias* cap. 24.

(d) Ibidem num. 48. *alias* cap. 25.

(e) Ibidem.

(f) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. II. q. 3. pag. 342. *prope finem*.

(g) Lib. *de quantitate animæ* num. 58. *alias* cap. 30.

poreæ passionis perceptionem, quam *sensum* appellant, a *ratiocinatione* dependere. Homo quippe sentit, illorum judicio, hoc ipso dumtaxat, quod passio, sive motio a re sensibili in externo sensorio excitata, deferatur ad cerebrum, & ab sentiente anima, quæ in illo potissimum residet, percipiatur. Sin vero primum intelligat: hoc quidem asserunt, propugnantque Recentiores, sed illud neque falsum est, neque S. Augustini doctrinæ adversatur. Non est falsum; quia ipso intimo sensu constat, nos passionem illam corporis percipere, quam sentimus; eamque nos ideo sentire, quia ipsam percipimus; unde Plutarchus, *necessarium esse*, dixit, *omnibus, quibus sit* sensus, *etiam* mentem *obtingere; quia nulla alia re, quam* mente *sentimus* (a); & Tertullianus, *quid*, inquit, *erit* sensus, *nisi ejus rei, quæ sentitur*, intellectus? *Quid erit* intellectus, *nisi ejus rei, quæ intelligitur*, sensus? *Unde ista tormenta cruciandæ simplicitatis, & suspendendæ veritatis? Quis mihi exhibebit* sensum *non intelligentem, quod sentit? aut* intellectum *non sentientem, quod intelligit* (b)? Sed neque S. Augustini doctrinæ id adversum est. Quid enim aliud intelligit S. Doctor, cum *sensum* definit passionem, quæ per se ipsam non latet animam, nisi corporis passionem, cum sentitur, ab anima immediate percipi? Sane, explicans S. Doctor, in quonam consentiant *sensus*, & *scientia*, & per quid differant, *quamquam* inquit, *sit aliud* sensus, *aliud* scientia, *illud tamen non latere* (scilicet percipi) *utrique commune est; ut ipsi homini, & bestiæ, quamvis plurimum differant, animal tamen esse, commune est. Non latet enim, quidquid animæ apparet sive per temperationem corporis, sive per intelligentiæ puritatem; atque illud primum* sensus, *hoc alterum* scientia *sibi vindicavit* (c) Quod si, cum ait Cl. Adversarius (d), nos, Recentiorum judicio, *sentire ratione*, quia *solis ideis mentis nostræ sensationes haberi* illi dicant, mens ejus sit, tradi ab Recentioribus, animam nostram, ut sentiat, nullatenus a corpore dependere, æquo ferat animo, si dixerim, ipsum manifesto in errore versari. *Primo* etenim ad Cartesium quod attinet, meridiana ipsa luce clarius est, tantum Virum pro re comperta habuisse, sensationes nostras dependere a corpore, non quidem ut a *causa* illarum *effectrice*, sed tantum ut a *causa* earundem *occasionali*. Pluribus quippe probare nititur Vir Cl., *talem esse nostræ mentis naturam, ut ex eo solo, quod quidam motus in corpore fiant, ad quaslibet cogitationes, nullam istorum motuum imaginem referentes, possit impelli, & speciatim ad illas confusas, quæ* sensus, *sive* sensationes *dicun-*

(a) Lib. *de industria animalium*.
(b) Lib. *de anima* cap. 18.
(c) Lib. *de quantitate animæ* cap. 30.
(d) Loco citato.

dicuntur (a). Malebranchius quoque, qui sane inter *occasionalistas*, ut ajunt, non ultimus est, *statim*, inquit, *atque mens novas excipit ideas, nova cerebro imprimuntur vestigia, & statim atque objecta efficiunt nova vestigia, mens novas excipit ideas* (b). Boerhaavius demum, Cartesii vestigia & ipse hæc in parte sequutus, *quid ergo*, ait, *sensus est? Nescio. Id solum scio, in corpore nostro certa organa esse certis recipiendis motibus apta: hæc organa cum cerebro conjungi: in cerebro sensum fieri: animam vero percipere, judicare de iis sensis, ac si sentiret ipsa. Nexum vero omnium harum actionum explicare, non hominis est, multo minus nostri* (c). Ad *harmonistas* quod spectat, hæc inter alia plurima habet Volfius: *perceptiones, quarum ratio continetur in mutationibus in organis corporis nostri, qua talibus, contingentibus, dicuntur* sensationes. *Definiri etiam posset* sensatio, *quod sit perceptio per mutationem, quæ fit in organo aliquo corporis nostri, qua tali, intelligibili modo explicabilis* (d). Hinc definit *organum sensorium*, quod sit *pars organica corporis, in cujus mutationibus continentur rationes perceptionum rerum materialium in mundo adspectabili* (e); facultatem vero *sentiendi*, sive *sensum*, quod sit *facultas percipiendi objecta externa, mutationem organis sensoriis, qua talibus, inducentia, convenienter mutationi in organo factæ* (f). Hac demum propositione, ait legem sensationum comprehendi: *si in organo aliquo sensorio ab objecto aliquo sensibili quædam producitur mutatio, in mente eidem coexistit sensatio per illam intelligibili modo explicabilis, rationem sufficientem, cur sit, in illa agnoscens* (g). Postremo ad Gassendum quod spectat, *dico jam*, inquit ille, sensationis negotium explicans, *quia nervus, nervulusve non potest contingi, quin aliquatenus prematur; neque potest aliquatenus premi, quin ob distentionem spiritus contentus urgeatur; neque spiritus illeic sic urgeri, quin pellat, seu potius repellat vicinum instantem, ac pari ratione advenientem ex cerebro; neque iste porro repelli, quin tota serie ob repletionem, continuitatemque compulsa, spiritus existens ad ipsam originem nervi, nervulive in cerebrum quasi resiliat; ideo facultatem sentiendi residentem in cerebro, hoc quasi resultu moveri, factumque attactum percipere, apprehendere, seu cognoscere, ac sentire* (h). Neque dissimili modo sensationem explicat P. Maignan (i); ut jure propterea dici possit, Cl. Adver-

(a) P. IV. *principiorum* num. 197.
(b) Lib. II. *de inquirenda veritate* p. 2. cap. 3.
(c) Tom. IV. Prælect. in suas *Instit. Medicas* num. 570.
(d) Psychol. *empiric.* §. 65.
(e) Ibidem §. 66.
(f) Ibidem §. 67.
(g) Ibidem §. 85.
(h) Sect. III. *Physices* Memb. II. lib. VI. cap. 1.
(i) Philos. *naturæ* cap. 24. num. 18.

verſarium hallucinari, & Recentioribus imponere, ſi velit, ita *ſolis mentis noſtræ ideis* ſenſationes ab illis acceptas referri, ut dicant, mentem noſtram in ſenſationibus eliciendis nullo prorſus modo a corpore, cui jungitur, dependere.

COROLLARIUM I.

40. *Corrigendum* itaque *eorum omnium judicium eſt, qui putant, non in ſenſorio, quod afficitur, ſed in objecto, quod illud afficit, id exiſtere, quod mens noſtra, dum ſentit, immediate percipit*. Satis oſtenſum eſt enim, corporis paſſionem, non vero rem, ex cujus appulſu ſenſorium patitur, a nobis *immediate* percipi, dum ſentimus.

COROLLARIUM II.

41. *Non aliud, miniſterio ſenſuum, ſi ſani ſint, recteque valentes, de rebus ſenſibilibus pronunciare tuto poſſumus, niſi id in illis eſſe, ratione cujus aptæ ſunt ad eas motiones in externis ipſorum ſenſuum organis excitandas, quas ipſi, dum ſentimus, immediate percipimus*. Sic de re, quæ per *viſum* nobis *alba* apparet, & per *guſtum* ſimul *dulcis* ſentitur, non aliud pronunciare jure valemus, niſi id in illa haberi, per quod in *viſus*, atque *guſtatus* organo eas ipſa poteſt motiones efficere, quas *albedinis*, & *dulcedinis* ſenſatio in anima neceſſario conſequitur. Si namque non aliud percipit mens, dum ſentit, niſi motionem a re ſenſibili in externo ſenſorio, dum ad illud appellit, excitatam; aliud ſane de ipſa re pronunciare tunc illa non poteſt, niſi rem ipſam eſſe ejuſmodi, cujuſmodi eſſe debet, ut motionem, quam ipſa mens ſentiendo percipit, in externo ſenſorio valeat excitare.

SCHOLION.

42. Dixi: *ſi ſenſus ſani ſint, recteque valentes*. Plerumque enim fit illorum vitio, ut motio, quæ ex rei ſenſibilis appulſu in ipſis efficitur, plane diverſa ab ea nobis videatur, ad quam excitandam res ipſa, natura ſua, deſtinata eſt. Sic ob vitiatum *guſtatus* organum, nobis *amarum* videtur haud raro, quod ad *dulcedinis* ſenſum excitandum natura ſua aptum eſt.

Co-

Corollarium III.

43. *Si motio externis sensoriis ab re sensibili impressa, in illis, etiam ipsa re absente, conservaretur, nobis præsens, licet absens, illa appareret, perinde prorsus ac si revera coram nobis res ipsa existeret.* Ut si imago, quam homo coram nobis positus, in nostrorum oculorum fundo depingit, non evanesceret, dum ille a nobis recedit, sed in iisdem, ut antea, permaneret, homo ipse minime a nobis recessisse videretur. Manente enim illius imagine in oculorum fundo, id sentienti animæ præsens tunc manet, quod illa, hominem sibi præsentem dum cernit, intuetur.

Corollarium IV.

44. *Ut sub* aliena specie *res nobis appareat, sufficit, ut eas ipsas motiones in externis nostri corporis sensoriis excitet, quæ ab ea re, sub cujus* specie *apparere illa dicitur, in iisdem naturaliter producuntur.* Sic aqua ut *sub vini specie* nobis se prodat, satis est, ut *visus*, *gustus*, atque *olfactus* organa eodem penitus modo ab illa moveantur, quo naturaliter a vino moveri solent. Quod enim sentienti animæ tunc occurrit, ab eo nullatenus diversum est, quod eidem occurrit, dum vinum percipit.

Scholion.

45. Hoc principio eæ omnes apparitiones explicari possunt, quæ sensuum illusione fieri dicuntur. Dici nimirum potest, illas ex hoc uno provenire, quod externa nostri corporis sensoria iis motibus a bono, vel a malo angelo afficiantur, quibus ab illis rebus affici naturaliter solent, quæ tunc nobis apparent. Nempe, *causa exempli*, ut Christus Dominus cruci affixus a nobis conspici videatur, sufficit, ut ejus imago imprimatur oculorum nostrorum fundo, eoque toto tempore in illo conservetur, quo apparitio ipsa nobis durat. De hujusmodi proinde apparitionibus loquens S. Augustinus, ait, in illis falli animam, *cum in ipsis corporibus fieri putat, quod fit in sensibus* (a).

PRO-

(a) Lib. XII. *super Genesim* num. 52, *alias* cap. 25.

PROPOSITIO I.

Corporis magnitudo non eſt accidens abſolutum in ſenſu Scholaſtico.

46. *Probatur* 1. Corporis *magnitudo* non eſt *accidens abſolutum* in ſenſu Scholaſtico, ſi partes corporeæ ſubſtantiæ valeant ex ipſa ſua natura, omni ſcilicet *abſoluto accidente* ſecluſo, ita ſimul conjungi, ut totum *entitative extenſum* illæ conſtituant. Cum enim *corporea magnitudo* in ejuſmodi *extenſione* poſita ſit (§. 21.), illa certe nihil erit *reale abſolutum* a corporea ſubſtantia diſtinctum, ſi nihil ejuſmodi in ipſa ſubſtantia, ut ex illius partibus *extenſum* fiat, requiratur. Certum eſt autem, integrales corporeæ ſubſtantiæ partes poſſe ex ſe ita ſimul conjungi, ut totum *entitative extenſum* inde conſurgat. Sunt enim natura ſua impenetrabiles (§. 19.): quod ſufficit, ut totum *entitative extenſum* ex illarum unione componatur (§. 4.). Ergo *magnitudo* corporum non eſt *accidens abſolutum* in ſenſu Scholaſtico.

Confirmatur hæc ratio: integrales partes *abſolutæ* illius *entitatis*, in qua corporis *magnitudinem* Scholaſtici poſitam eſſe dicunt, vel indigent *abſoluto accidente*, ut totum *entitative extenſum* ſimul unitæ conſtituant, vel non indigent. Si indigent: quæro de illo, per quid *formaliter* id præſtet. Si non indigent: quæro, cur partes quoque corporeæ ipſius ſubſtantiæ nequeant ex ſe ita conjungi, ut, quemadmodum ex partibus illius *entitatis*, totum *entitative extenſum* inde conſurgat. Neque enim illis deeſt *impenetrabilitas*, quæ ſola requiri videtur, ut ſimul hac ratione conjungantur. Ergo &c.

Probatur 2. aſſertio. *Multitudo* non eſt *accidens abſolutum*, ab iis reipſa diſtinctum, & divinitus ſeparabile, quæ dicuntur *multa*. Ergo neque *magnitudo* eſt ſimile *accidens* a rebus illis eodem modo diſtinctum, & ſeparabile, quæ *extenſæ*, ſive quantæ *quantitate molis* nuncupantur. *Conſequentia* eſt evidens. Utraque enim *quantitas*, *continua* ſcilicet, atque *diſcreta*, ſub eodem *quantitatis* genere ex æquo continetur; unde neutra tamquam *abſolutum accidens* habenda eſt, ſi alterutra veluti *accidens* hujuſmodi haberi non poſſit. *Añs* vero probatur. Etenim *primo* datur *multitudo*, nempe *quantitas diſcreta*, etiam in *attributis* rerum *modalibus*, iiſque *relationibus*, quas ipſimet Scholaſtici *reales* appellant; quin propterea, eorundem Scholaſticorum judicio, detur *abſolutum* aliquod *accidens*, ex quo illa *multitudo* re-

repetatur. *Secundo*: quia *multitudo* ex sola rei divisione ac propterea quin, ut est perspicuum, *absolutum* aliquod *accidens* producatur, emergit. Ergo &c.

Confirmatur. Enimvero eædem ipsæ partes corporeæ substantiæ, quæ simul junctæ constituunt *magnitudinem*, a se mutuo divisæ *multitudinem* efficiunt. Nullum autem *accidens absolutum* producitur in substantia, dum ejus partes vel junguntur inter se, si antea erant a se mutuo separatæ, vel a se mutuo reipsa separantur, si antea erant simul junctæ. Ergo neutra *quantitas* est *accidens absolutum*.

Solvuntur argumenta in oppositum.

I.

47. *Opponitur primo*. Ex Aristotele, *magnitudo* non est *substantia*. Ait enim: *longitudo, latitudo, & profunditas quantitates quædam sunt, non substantia* (a). Ergo *quantitas* realiter a substantia distinguitur.

℞. *primo*, concedendo *añs*, & negando *consequentiam*. Neque enim Aristoteles is est, qui nec falli possit, nec fallere. Dabunt itaque Recentiores, si ita placet Scholasticis, traditam fuisse ab Aristotele distinctionem *quantitatis* a *substantia*. At non dabunt propterea, licitum nemini esse, contra sentire. *Non enim æquum est*, inquit Cl. Melchior Canus, *ut apud Christi discipulos tantum ethnici unius auctoritas possit, ut etiam sine ratione vincat* (b).

℞. 2. *disting. añs*: *magnitudo* non est *substantia* reipsa, *nego añs*; consideratione, *concedo añs*, *& nego conseq.* Docet ergo Aristoteles, *magnitudinem* non esse *substantiam*, non quia, ejus judicio, *magnitudo* sit *entitas* aliqua *absoluta*, reipsa a *corporea substantia* distincta; sed quia dum consideratur *substantia*, quatenus præcise aliquod *extensum* est, certæque magnitudinis, physica ipsius substantiæ natura, nimirum an *lignum* sit, num vero *lapis*, prorsus negligitur. Profecto neque *unitas*, neque *multitudo* est *substantia*; & tamen nemo Scholasticorum contendet, *unitatem*, & *multitudinem* non consideratione solum, verum etiam re ab iis distingui, quæ *unum*, vel *multa* reapse sunt, atque dicuntur.

II.

48. *Opponitur* 2. ex S. Augustino. Docet enim, aliud esse *magnitu-*

(a) Lib. VII. *Metaph.* tex. 8

(b) Lib. X. *de locis Theologicis* cap. 5.

tudinem, aliud *ſubſtantiam*, quæ *magna* nuncupatur. *In rebus*, inquit, *quæ participatione* magnitudinis *magnæ ſunt*, *quibus eſt aliud* eſſe, *aliud* magnas *eſſe*, *ſicut magna domus*, *magnus mons*, *& magnus animus*. *In his ergo rebus aliud eſt* magnitudo, *aliud quod ab ea magnitudine* magnum *eſt*, *& prorſus non hoc eſt* magnitudo, *quod eſt* magna domus. *Sed illa eſt vera* magnitudo, *qua non ſolum* magna *eſt domus*, *quæ* magna *eſt*, *& qua* magnus *eſt mons*, *quiſquis* magnus *eſt*; *ſed etiam qua* magnum *eſt*, *quidquid aliud* magnum *dicitur*; *ut aliud ſit ipſa* magnitudo, *aliud ea*, *qua ab illa* magna *dicuntur* (a). Ergo &c.

℞. 1. eodem modo, quo ſupra ad Ariſtotelem, videlicet aliud quidem eſſe, S. Auguſtini judicio, *magnitudinem*, aliud *ſubſtantiam*; verum non *re*, ſed tantum *cogitatione*, quatenus nempe in *eſſentiali* notione rei habentis *magnitudinem* non venit ipſa *magnitudo*, quemadmodum neque *unitas*, neque *multitudo* in eadem notione occurrit; & viciſſim in notione *magnitudinis*, ſpectatæ in abſtracto, non veniunt *eſſentialia* ipſius rei *attributa*, ſicuti hæc ipſa menti non relucent, dum res tantum ut *una*, vel *multiplex* a nobis ſpectatur.

℞. 2. *magnitudinem* eſſe aliud a re, quæ dicitur *magna*, non *abſolutum* quidem, ſed *modale*. Enimvero, cum omnino contingens ſit, ut plures, paucioreſve ſubſtantiæ partes ſimul copulentur, ac propterea ut modo majoris, modo minoris illa ſit molis, ſive *quantitatis*, relinquitur, *magnitudinem* quamlibet certam & determinatam, veluti corporeæ ſubſtantiæ *modum*, ſpectari a nobis poſſe; cumque *modus* dici queat aliud a re, cujus eſt *modus*, non immerito dixit S. Auguſtinus, *aliud eſſe* magnitudinem, *aliud ea*, *quæ ab illa* magna *dicuntur*. Ceterum *magnitudinem* non ita eſſe aliud, S. Auguſtini ſententia, a corporea ſubſtantia, quæ *magna* per illam nuncupatur, ut eadem prorſus fuerit tanti Doctoris, quæ Scholaſticorum, de *magnitudinis* natura, ejuſque a corpore diſtinctione opinio, conſtabit profecto, ſi conſiderabimus, quomodo Vir ille ſummus *phyſicum corpus* definiat. Ita namque ipſum exprimit, deque eo ita loquitur S. Doctor, ut in *extenſione*, quemadmodum deinde Carteſius, *formalem* illius *rationem* collocare videatur. Contra eos ſiquidem diſſerens, qui rationalem animam ex *quinto* quodam corpore conſtare arbitrabantur, ſi, inquit, *qui hoc ſentiunt*, *hoc dicunt* corpus, *quod & nos*, *id eſt*, *naturam quamlibet* longitudine, latitudine, altitudine *ſpatium loci occupantem*, *neque hoc eſt anima*, *neque inde facta credenda eſt* (b). Agens itidem de animæ quantitate, ita Evodium interrogat: *prius*

(a) Lib. V. *de Trinitate* num. 11. *alias* cap. 10.

(b) Lib. VII. *ſuper Geneſim* num. 27. *alias* cap. 21.

abs te quæro, utrum corpus *ullum esse putes, quod non pro modo suo habeat* longitudinem, latitudinem, & profunditatem......... *Si hoc demus* corporibus, *quantum mea opinio est, neque sentiri possunt, neque* corpora *recte existimari* (a). Nisi ergo velimus, quod absit omnino, S. Augustinum non ubique sibimetipsi consentire, dicamus oportet, ipsum, cum dixit, *aliud esse* magnitudinem, *aliud ea, quæ ab illa* magna *dicuntur*, non *re*, sed tantum *cogitatione* inter *corpus*, ejusque *magnitudinem* discrimen posuisse.

III.

49. *Opponitur* 3. Certum est, *magnitudinem* constituere prædicamentum diversum a prædicamento *substantiæ*. Prædicamenta autem *realiter* distinguuntur inter se. Ergo *magnitudo* a *substantia* non cogitatione solum, sed re distinguitur.

℞. *primo*, hoc argumentum eo vitio laborare, quod Logici dicunt *petitionis principii*. Dato namque, corporis *magnitudinem* peculiare prædicamentum constituere, assumi tamen nequit, tamquam certum & evidens, prædicamenta *realiter* discriminari inter se, nisi pro comperto habeatur, quod ex hoc principio demonstrandum assumitur, *magnitudinem* scilicet corporis ab ejus *substantia* reipsa distingui. Certum quippe est, argumentum ab *inductione* desumtum, id unum necessario postulare, ut de partibus, seu membris singulis illud primo demonstretur, quod demum de omnibus in conclusione enunciatur. Ergo vel peccat vitio *imperfectæ enumerationis*, qui ex demonstrata aliquorum dumtaxat prædicamentorum *reali* distinctione absolute infert, omnia hoc modo inter se distingui; vel culpa *petitionis principii* non caret, qui ut evincat *realem* distinctionem *quantitatis* a *substantia*, assumit veluti notum ex suis terminis, omnia prorsus prædicamenta inter se hoc modo discriminari.

℞. 2. concedi posse, *magnitudinem* reipsa distingui a *substantia*, propterea quia prædicamenta realiter distinguantur inter se, & *magnitudo* peculiare prædicamentum constituat, quin inferre idcirco liceat, quod dumtaxat hoc loco negamus, *magnitudinem* scilicet esse *accidens absolutum* in sensu Scholastico. Id namque si colligi ex illis principiis posset, nedum *quantitas discreta*, *spatium*, & *tempus*, sed etiam *relatio*, *ubi*, *quando*, & *situs* essent *accidentia absoluta*; cum singula ejusmodi attributa, æque ac *magnitudo*, peculiare prædicamen-

(a) Lib. *de quantitate Animæ* num. 6., *alias* cap. 4.

mentum, ut omnes norunt, constituant. Itaque non aliud, ut recte habeat Cl. Du-Hamel, hoc argumento efficitur, *quam id ipsum, quod ultro concedimus, quantitatem* scilicet *formaliter, & logice distingui a corpore, aut esse novum prædicamentum; est enim id, quod respondetur, cum quæritur,* quantum *quidque sit; est denique accidens metaphysicum, non physicum* (a).

I V.

50. Opponitur 4. ex Cl. P. Amort: *potest dari spatium imaginarium cum trina dimensione saltem per conceptum, quin detur* corpus. *Ergo* corpus, *&* extensio *non sunt idem* (b).

℞. *disting. cons:* corpus, & extensio *positiva* non sunt idem, *nego conseq.* corpus, & extensio *negativa* non sunt idem, *concedo conseq.* At quid inde sequatur contra identitatem *quantitatis* cum *substantia*, quam ille hoc argumento impugnandam assumit, plane non video. Fateor, dari spatium, quod vocant *imaginarium*, illudque non esse *corpus*; cum non sit aliquod *reale positivum*, sed purum nihil: quod tamen, ut egregie dixerat Gassendus, *instar corporearum, quæ in sensum cadunt, dimensionum imaginamur* (c), quatenus nempe extensa, divisibilis, & mensurabilis substantia in illo existit, eique quodammodo commensuratur. Verum sicuti hinc non sequitur, *extensionem realem*, & *positivam*, qua corporea substantia prædita est, (undecunque demum ea derivetur) ab ipso imaginario spatio neutiquam esse diversam; ita inferri nullatenus potest, *positivam* illam *extensionem*, quemadmodum ipsum spatium, a corporea substantia *realiter* distingui. Molesto autem ne ferat animo Cl. P. Amort, si dixerim, hoc suum argumentum cum iis, quæ de *interminatis* materiæ *dimensionibus* ipse antea tradiderat, minime posse componi. Ita namque probat, materiam habere dimensiones interminatas: *si ex materia fit corpus, eoipso est extensa. Sed ex materia fit corpus. Ergo est extensa. Major probatur: si ex materia fit corpus, tunc est corporea, & corpus. Sed si hoc, tunc est extensa. Ergo. Major patet; quia ex incorporeo non fit corpus, nec ex non corpore corpus* (d). Jam vero ut hæc ratio rem conficiat, necesse est, materia prima sit *extensa* non per *accidens absolutum, realiter* ab ipsa distinctum, eique superadditum, sed ex se; quippe si secus, haud recte inferret Vir Cl., materiam propterea esse *extensam*, quia sit *corporea*, & *corpus*; quemadmodum

(a) Tom. III. *Philos. ad usum Burgundiæ* Tract. I. Differt. II. q. 2.

(b) Philos. *Polling.* P. III. *Physices Generalis* Sect. I. q. 2.

(c) Sect. I. *Physices* lib. II. cap. 1.

(d) Philos. *Polling.* P. II. *Physices* Sect. II. q. 5.

modum ex hoc, quod sit *corporea*, colligi nequit, ipsam esse *albam*; cum scilicet *albedine* carere illa possit, quin desinat esse *corporea*. Id autem ex illa ratione confirmatur, qua assertionem suam ipse postremo demonstrat. Ait enim: *si detractis omnibus reliquis proprietatibus, in materia adhuc remanet extensio saltem indefinita, tunc est* (extensio) *de essentia materiæ. Sed. Ergo.* Minor prob. *quando* v. g. *a lapide separamus rotunditatem, duritiem, colorem, adhuc tamen remanet extensio, & hac ablata, nihil omnino remanet quoad nostrum modum concipiendi. Ergo* &c. (a). Igitur, si *extensio* est de *essentia materiæ*, tantum abest, materiam carere posse omni *extensione*, ut sine illa ne concipi quidem valeat; ac proinde tam longe a vero est, *extensionem* esse *accidens physicum absolutum* materiæ, quin potius *formalis* materiæ *ratio* in ipsa *extensione* cum Cartesio statuenda videatur. Neque demum aliud evincunt auctoritates Aristotelis, & Averrois, quas pro sua de *interminatis* materiæ *dimensionibus* stabilienda opinione recenset Vir ipse Cl. Refert enim inter alia, profecto non pauca, hæc tradi ab Aristotele: *cum terminus, & affectiones globi detractæ fuerint, nil relinquitur præter materiam.* Hæc vero ab Averroe: *quoniam* (Aristoteles) *invenit, omnes formas communicari in dimensionibus nondum terminatis per formam, intulit, quod prima materia nunquam denudatur a dimensionibus non terminatis; quia si denudaretur, tunc corpus fieret ex non corpore, & dimensio ex non dimensione; & sic formæ corporeitatis essent contrariæ, & sibi succedentes in materia, sicuti de facto loquimur de formis substantialibus.* Igitur ex Aristotele, & Averroe, ipsiusmet Cl. Viri sententia, *extensio* ad *materiæ* essentiam pertinet; & ideo sibimetipsi ille non consentit, dum, corporum *quantitatem* non discernens ab eorum *extensione*, aperte deinde docet, a corporea substantia eam *realiter* distingui.

V.

51. *Opponitur ultimo*: fidei doctrina est, in venerabili Eucharistiæ sacramento manere *quantitatem* panis, non superstite illius substantia. Si hoc, minime dubitandum videtur, *quantitatem* esse *accidens absolutum* in sensu Scholastico. Ergo &c.

℞. *nego majorem*. Nullibi enim definitum legitur, in venerabili Eucharistiæ sacramento ita haberi eandem ipsam *quantitatem*, quæ ante consecrationem fuit in substantia panis, ut eadem numero *entitas physica*, in qua *formaliter*, ut ajunt, *quantitas* ipsa posita est, super-

(a) Loco citato.

perstes maneat. Nisi enim ostenderint Scholastici, hoc sensu definitum fuisse ab Ecclesia, *quantitatem* panis in Eucharistia remanere, nihil plane habent ex hoc capite, de quo contra Recentiores jure glorientur. Sicuti namque vulgo dicitur, duo ligna palmaris longitudinis esse *ejusdem quantitatis*, non quia eadem numero *entitas realis*, & *physica* in utroque sit, sed tantum quia eorum dimensiones sunt æquales; ita dicere poterit non nemo, eandem panis *quantitatem* in Eucharistia manere, non quia eadem numero *entitativa extensio* substantiæ panis post consecrationem remaneat; verum quia *species* panis, quæ remanent (quæcunque demum sit *physica* illarum natura) dimensiones habent iis omnino æquales, quæ in panis substantia ante consecrationem habebantur. Dixit quidem Ecclesia, post hostiæ consecrationem manere *species* panis, non amplius existente ejusdem substantia; verum quid *specierum* nomine intellexerit, nullibi ab ea, ut fuse suo loco dicemus, traditum est, quemadmodum nullibi quoque ab ea est definitum, sub *specierum* nomine etiam *quantitatem* comprehendi. Ceterum, velint, nolint, fateri debent Scholastici rigidiores, vel identitatem *quantitatis* cum substantia a nobis assertam ne levissime quidem doctrinæ Catholicæ de venerabili Eucharistiæ sacramento adversari; vel quamplures Viros æque pios, ac doctos perperam quoque de hoc sacramento sentire. Hæc enim in primis habet Petrus de Alliaco S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Cameracensis, qui floruit sæculo XV. Quærens, *utrum in Eucharistia accidentia panis maneant in subjecto*, inquit: *primo fuit quorundam opinio, quod quantitas potest esse sine subjecto, sed qualitas corporalis non, quoniam non potest esse sine quantitate, cum necessario sit extensa; & secundum istam viam posset imaginari, quod quantitas panis est hic sine subjecto; alia vero accidentia sunt in ea tamquam iu subjecto. Sed hæc est falsa; quia nulla ponenda est quantitas distincta a substantia, vel qualitate* (a). Idipsum docuere Aureolus, Ochamus, Gabriel, Major, Adamus, & Albertus de Saxonia, si Cl. P. Suarezio fidem habenda est. Hoc enim teste, communis illorum omnium opinio fuit, constansque sententia, *quantitatem molis non esse rem distinctam a substantia, & qualitatibus materialibus; sed unamquamque earum entitatum per seipsam habere hanc molem, & extensionem partium, quæ est in corporibus; sed illammet entitatem vocari* materiam *v. g., quatenus est substantiale subjectum; vocari autem* quantitatem, *quatenus habet partium extensionem, ac distinctionem, idemque proportionaliter dicunt de* formis, & qualitatibus materialibus. *Unde inferunt, in unoquoque composi-*

(a) In IV. *Sententiarum* q. 6. artic. 3.

posito materiali tot esse quantitates, *quot sunt* entitates materiales *realiter distinctæ, quæ ita possunt se se penetrare, sicut ipsæmet entitates* (a). Celeberrimus quoque Melchior Canus Ord. Prædicatorum, Episcopus Canariensis, qui seculo XVI. doctrina maxime claruit, dolens *extrema quorumdam Theologorum vitia in usu Philosophiæ*, quis, inquit, ferre potest disputationes illas *de universalibus, de nominum analogia, de primo cognito, de principio individuationis, de distinctione* quantitatis *a* re quanta .... *Puderet me dicere non intelligere, si ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt* (b). Hisce addendi sunt ii omnes Scholastici, præcipue e schola Scotistarum, qui corporum *quantitatem* non in *entitativa* illorum *extensione*, sed in ipsorum *impenetrabilitate* statuendam censent ob id potissimum, quod *extensio* non sit *accidens absolutum* a corporea substantia *realiter* distinctum, sed substantia ipsa sit ex se, omni scilicet *absoluto accidente* secluso, *encitative extensa*. Sic enim contra illos argumentum conficitur: identitas *extensionis* cum *substantia corporea* vel officit doctrinæ Ecclesiæ de venerabili Eucharistiæ sacramento, vel non officit. Si officit: ergo ipsi quoque, æque ac Recentiores, rei sunt violatæ fidei. Si non officit: ergo injuste prorsus notam hanc Recentioribus inurunt; cùm *quantitatis* nomine non aliud, nisi *entitativam* substantiæ *extensionem* illi intelligant, dum ajunt, *quantitatem a corporea substantia* reipsa non distingui. Neque enim futurum aliquem puto, qui velit, *quantitatem corpoream* minime posse, salva fide, in *extensione* collocari. Non est igitur, cur ad sacram Religionis anchoram confugiant Scholastici, ut suam de reali distinctione *quantitatis* a re *quanta* sententiam tueantur.

SCHOLION.

52. Doctori Subtili, cujus *firmioribus rationibus adversus veteres, & recentiores præsertim Philosophos* Philosophiam Peripateticam ab se propugnandam promittit, aperte adversatur Cl. P. Ferrari, dum se *minime iis assentiri posse*, ait, *qui* quantitatis *naturam in ipsa tantum* extensione *constituunt*, propterea nimirum quia, inquit ipse, *id cuique corporeæ rei proprium sit, & notionem illam* corporis *faciat, qua a* spiritu *secernitur per partium integralium pluralitatem* (c). Primo namque constans Scoti sententia est, *quantitatem continuam permanentem* in *extensione* consistere. Dico siquidem, ait Scotus, *quod positio, quæ est*

(a) Disp. XL. *Metaph.* Sect. 2.
(b) Lib. IX. *de locis Theolog.* cap. 7.
(c) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 6. *pag.* 60.

est differentia quantitatis, *necessario inest quanto continuo permanenti; & istam oportet salvari in proposito, scilicet, quæ dicit* ordinem partium in toto. *Non est enim bene intelligibile, aliquod esse quantum dimensionatum, quin sit signare in toto ordinem hujus partis ad illam secundum quantitatem, vel positionem interjacentem. Positio autem, quæ ponitur prædicamentum a quibusdam, aliud addit. Præsupposito enim ordine partium in toto, positio dicit ultra hoc ordinem partium ad locum, sive ad partes loci, vel locantis, hoc est dictu, quod partes coextendantur partibus loci, sicut totum dicitur primo commensurari toti loco, in quo habet* ubi, *ita quod* positio *prædicamentum præsupponit positionem differentiam quantitatis, & specificat* ubi. *Per modum autem* quantitativum, *sive* dimensivum, *quocunque modo nominetur, non intelligo, nisi* positionem *dictam secundo* (a). Unde Cl. P. Hiquæus hæc Subtilis Doctoris verba exponens, ait, ab illo tradi I. *essentiam* quantitatis *consistere in ordine partium in toto, seu in ordine ad se invicem in toto, loquendo de* quantitate continua, *quæ est sententia communis*. II. *positionem in ordine ad locum superaddere coextensionem ad partes loci*. III. *possibilem esse separationem hujus extensionis ab illa* (b). Secundo: quia stando doctrinæ Scoti, dicere nequit P. Ferrari, *extensionem entitativam* ita propriam esse substantiæ corporeæ, ut ab illa *realiter* non distinguatur, nisi etiam dicat, *impenetrabilitatem* eodem modo ipsi substantiæ competere; atque hinc *quantitatem corpoream*, utpote ab *impenetrabilitate*, ejus judicio (c), minime diversam, ab ipsa eadem substantia *realiter* non distingui. Docet enim Scotus, *dimensionem*, sive *extensionem entitativam* esse rationem, quamobrem duo corpora nequeant simul esse in eodem loco *virtute naturali, quæ non potest facere causam sine suo effectu naturali* (d). Argumentum quoque approbat, quo per *rationem*, ut ipse ait (e), *divisivam* objectum fuerat in quæstionis limine, *impenetrabilitatem* corporum ex sola eorum *extensione* provenire. Ad illud quippe argumentum respondens, *dico*, inquit, *quod verum est, quod non invenitur aliud, quod sit causa illius repugnantiæ, nisi dimensio* (f). Igitur, cum Cl. P. Ferrari in eo statuat (g) corporum *quantitatem*, quod est ratio, sive causa, cur duo corpora in eodem simul loco esse non possint, debet vel refragari Scoto, vel *quantitatem* ipse quoque in *extensione* collocare. At ve-

(a) In IV. *Sententiarum* Distin. 10. q. 1. num. 14.
(b) Comment. ibidem.
(c) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 6. *pag.* 60.
(d) In IV. *Sententiarum* Distin. 49. q. 16. num. 6.
(e) Ibidem num. 3.
(f) Ibidem num. 7.
(g) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 6. *pag.* 60.

ro, nisi inconstantiæ tunc arguatur, necesse est, dicat, *quantitatem* a corporea substantia *realiter* non distingui, neque esse *accidens absolutum* in sensu Scholastico; cum *extensio*, ut ipse tradit, *propria sit cujusque rei corporeæ, & notionem illam* corporis *faciat, qua* a spiritu *secernitur*, sive, ut apertius docet alio loco (a), *essentia corporis consistat in extensione ejusdem corporis in ordine ad se*, nempe in *extensione entitativa*. Equidem scio, P. Ferrari non jurasse in verba Scoti; non unus enim locus est, in quo ille ab Scoti doctrina manifeste recedit. Hæc tantum dixi, ne cui, ut facile est, fucum faciat titulus, quo Philosophiam suam ipse inscripsit.

COROLLARIUM.

53. Ex modo ostensa identitate *quantitatis* cum *substantia corporea*, manifeste apparet, eorum opinionem corruere, *qui* sensibiles *corporum* qualitates *ex mechanicis affectionibus non quidem* substantiæ corporeæ, *sed* quantitatis *derivant*. Si namque nulla plane sit *extensio solida* a *corporea substantia* realiter distincta, eique inhærens, quæ, destructa ipsa *substantia*, conservari divinitus possit, nullum sane subjectum superest ab *substantia* diversum, ex quo *mechanice modificato qualitates* corporum *sensibiles* valeant derivari. Unde necesse est, vel dicamus cum Scholasticis, *sensibiles* corporum *qualitates* esse *accidentia absoluta*, apta divinitus ad existendum sine substantia, quam afficiunt, vel *qualitates* ipsas ex *mechanicis* materiæ *affectionibus* cum Recentioribus repetamus.

PROPOSITIO II.

Nulla corporis affectio est entitas extensa quoad se, & natura sua impenetrabilis.

54. *Probatur*. Si qua enim affectio corporis esset *entitas* quoad se *extensa*, & natura sua *impenetrabilis*, ea esset corpus. Est enim corpus quidquid *entitative* extensum est, & tactui resistit (§. 19.). Repugnat autem, ut est perspicuum, affectionem corporis esse corpus. Ergo &c.

Dices, *entitativam extensionem*, & *naturalem impenetrabilitatem* efficere quidem, ut affectiones corporis, quæ *entitative* extensæ sunt, &

(a) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. III. q. 2. *pag.* 181.

& impenetrabiles sint *materiales*, sive *corporeæ*; minime vero ut sint *materia*, seu *corpus*, quod nempe ad *corporis* rationem requiratur præterea, ut quod *extensum* est & *impenetrabile*, sit *substantia*.

Sed contra. Nam *primo* Christus Dominus tunc haud recte ostendisset discipulis suis, se post resurrectionem verum corpus habere ex hoc, quod etiam tunc tactui resisteret (a). Si namque non omne, quod resistit tactui, corpus est, profecto ejusmodi resistentia nequit esse medium, ex quo existentia corporis legitime colligatur. Sequeretur *secundo*, S. Augustinum falso appellasse corpus, *quidquid per loci spatia distenditur* (b), nempe quidquid *extensum* est; atque ex hac notione perperam collegisse, animam rationalem non esse corpus, cum ait, *si hoc dicunt* corpus, *quod & nos, naturam quamlibet* longitudine, latitudine, altitudine *spatium loci occupantem, neque hoc est anima* (c); cum illa, utpote *entitative* inextensa, locum hoc modo non occupet. *Tertio*: quia si *extensio*, & *impenetrabilitas* sint ratio, quare affectiones corporis sint *materiales*, nulla erit affectio materialis, quæ non sit *entitative extensa*, & *impenetrabilis*, quemadmodum, quia *perseitas* est ratio, ut Scholastici ipsi ajunt, cur *ens* sit *substantia*, nihil potest esse *substantia*, nisi *per se* existat. Igitur *motus*, *figura*, *situs*, ceteræque *modales* corporum affectiones, utpote *materiales*, erunt *extensæ quoad se*, & *impenetrabiles*: quod quam falsum sit, ipsorummet Scholasticorum judicium esto. *Postremo*: convenit modo inter Philosophos (§. 19.) *entitativam extensionem*, & *impenetrabilitatem naturalem* ita inesse corpori, ut vel in illis posita sit *ratio formalis* ipsius corporis, vel omni & soli corpori ipsæ competant. Jam vero si hoc, nulli *enti* illæ inesse queunt, nisi illud sit corpus, quemadmodum haud dissimili ratione, ut Scholastici ipsi dicunt, nulli competere potest *perseitas*, quin sit *substantia*, nulli *risibilitas*, quin sit *homo*. Ergo nulla corporis affectio esse potest *entitative extensa*, & *impenetrabilis*, quin nedum *corporea*, sed vere & proprie ipsa sit *corpus*.

Confirmatur assertio. Si enim aliqua affectio corporis esset *entitas extensa quoad se*, & *impenetrabilis*, cum ejusmodi sit etiam ipsa corporis substantia, plura *entitative extensa*, & *impenetrabilia* eundem simul locum, ut patet, occuparent. Repugnat autem, ut plura *entitative extensa*, & *impenetrabilia* in eodem simul loco viribus naturæ existant. Contradictio enim est, ut *naturaliter* penetrentur inter se, quæ natura sua sese mutuo penetrare non possunt. Ergo

(a) Lucæ *cap.* XXIV. v. 39.

(b) Lib. VIII. *super Genesim* num. 43. *alias* cap. 22.

(c) Ibidem lib. VII. num. 27., *alias* cap. 21.

nulla corporis affectio potest esse *entitas extensa quoad se*, & ex ipsa sua natura *impenetrabilis*.

Dices, integrales partes unius corporeæ affectionis non posse quidem penetrari inter se, bene vero cum partibus integralibus tum substantiæ, quam afficiunt, tum alterius affectionis *specie* diversæ. Nihil enim *impenetrabile* cum alio est, nisi ejusdem ambo sint naturæ.

Sed contra: etenim *primo* affectiones corporis vel ideo sunt natura sua *impenetrabiles*, quia *materiales*, adeo nimirum ut *materialitas* sit veluti ratio, cur sint *impenetrabiles*, vel non. Si non: ergo nulla affectio corporea est *entitas* natura sua *impenetrabilis*; hoc siquidem munere *materialitati* denegato, nihil profecto, ut patet, superest aliud, cui corporearum affectionum *impenetrabilitas* possit accepta referri. Si vero *materialitas* sit ratio, cur affectiones corporis sint *impenetrabiles*, necesse est, ut non tantum partes integrales unius ejusdemque affectionis, verum etiam, ut integrales partes affectionum *specie* dissimilium neque inter se, neque cum partibus substantiæ corporeæ valeant penetrari. Hac enim admissa causa *impenetrabilitatis*, necessario sequitur *primo* duas quaslibet *entitates*, hoc ipso præcise, quod sint *materiales*, in eodem simul loco viribus naturæ componi non posse, idemque spatium occupare; sicuti quia physica compositio est ratio *corruptibilitatis*, stat, hoc ipso quod duo *physice* composita sint, ut ea, quantumcunque inter se diversa, ex ipsa sua natura corrumpi naturaliter possint, atque perire. Sequitur *secundo*, nullam corporis affectionem posse *intensive*, ut ajunt Scholæ, augeri. Certum est enim, hoc augumentum, si affectio ipsa sit *entitas extensa*, & *impenetrabilis*, fieri non posse, nisi per ejusmodi gradus, quorum quilibet sit *entitas* ex se itidem *extensa*, & *impenetrabilis*. Certum est etiam, omnes gradus ejusdem affectionis esse plane similes inter se, quemadmodum ejusmodi sunt partes illius integrales. Ergo, si duæ partes integrales ejusdem corporeæ affectionis ideo nequeunt sese mutuo penetrare, quia natura similes, neque duo ejusdem affectionis gradus tolerare eadem ratione penetrationem poterunt; ac proinde nulla corporis affectio ex genere *qualitatis* poterit *intensive* augeri. Hoc autem experientiæ plane contrarium est. Ergo eidem quoque adversatur, corporeas affectiones esse *entitates extensas quoad se*, & natura sua *impenetrabiles*.

Co-

Corollarium.

55. *Nullum* accidens abſolutum, *ſi quod datur in corporibus, eſt entitas extenſa quoad ſe, & natura ſua impenetrabilis.* Omne enim ejuſmodi *accidens*, ſi quod in corporibus exiſtit, ita determinat corpus, in quo eſt, ut nonniſi tamquam illius affectio haberi queat.

Scholion I.

56. Quibus rationibus oſtenſum modo eſt, nullam corporis *affectionem* eſſe *entitatem* quoad ſe *extenſam*, & natura ſua *impenetrabilem*, iiſdem ipſis confirmatur, quod de corporis *magnitudine* antea diximus, eam ſcilicet non eſſe *entitatem* reipſa diſtinctam a ſubſtantia corporea, neque ex illa *mechanice* modificata poſſe *affactiones* corporum *ſenſibiles* jure deſumi. Qui namque corpoream *magnitudinem* a corporea ſubſtantia *realiter* diſtinguunt, eam concipiendam volunt tamquam *entitatem*, quæ ſit *extenſa* quoad ſe, & natura ſua *impenetrabilis*.

Scholion II.

57. Nullam corporis *affectionem* eſſe *entitatem* quoad ſe *extenſam*, propterea quia ejuſmodi illa eſſe non poſſit, niſi vere proprieque ſit *corpus*, non inficiabitur P. Ferrari; quippe qui non ſolum docet, *eſſentiam* corporis *conſiſtere in* extenſione *ejuſdem corporis in ordine ad ſe* (a), verum etiam aperte tradit, *accidens abſolutum* eſſe *corpus*. Reſpondens namque Recentioribus, contendentibus, nullum dari *accidens abſolutum*, quia *entitas* hujuſmodi neque ſit *corpus*, neque *ſpiritus*, & omne *ens* ſit aut *corpus*, aut *ſpiritus*, concedo, inquit, *entitatem illam accidentalem eſſe* corpus, *prout* corpus *univerſim accipitur, & a* ſpiritu *ſecernitur per partium pluralitatem* (b). Negat tamen Vir Cl., illam *accidentalem entitatem* eſſe *corpus completum, & ſubſtantiale, nec eſſe materiam primam, quoniam hæc ultra notionem corporeitatis præ ſe fert etiam potentialitatem, & rationem ſubſtantiæ. Quamobrem* (concludit) *cum* ens *dividitur in* corporeum, *& in* ſpirituale, *notio* corporei *unice præ ſe fert pluritatem partium integralium* (c).

Ægre tamen ne ferat Cl. Auctor, ſi doctrina hæc ſua neque cum Philoſophia, neque cum ſancta Religione componi poſſe, non nemini

(a) Tom. II. P.I. *Phyſicæ* Diſp. III. q. 2. *pag.* 181.

(b) Ibidem Diſp. IV. q. 2. *pag.* 220.

(c) Ibidem.

ni videatur. Et primo ad Philosophiam quod attinet, cum ex Porphyrii arbore, quam ipsemet Vir Cl. contra *frigida*, quemadmodum ea ipse appellat (a) Gassendi, & Purchotii *commenta*, aperte tuetur (b), omne *corpus* sit *substantia*, non potest *accidens absolutum* esse *corpus*, quin etiam sit *substantia*, sicuti nihil potest esse *animal*, quin, ut constat ex eadem arbore, sit *vivens*: quo certe nihil in Philosophia absurdius, nihilque magis veritati repugnans. Quod vero spectat ad Religionem, sequitur ex hac doctrina, in venerabili Eucharistiæ sacramento haberi *corpus* panis, ejusque proinde etiam *substantiam*, una simul cum Corpore Christi. Manent quippe post consecrationem *accidentia* panis *absoluta*; ergo, si illa sunt *corpus*, maneat *corpus panis* post consecrationem, consectarium est. Dicet fortasse Cl. Auctor, in pane, sicuti & in quovis alio composito naturali, duplex haberi *corpus*, alterum scilicet *substantiæ*, quod in Christi Corpus, vi consecrationis, convertitur; alterum *accidentium*, quod, consecratione peracta, superstes manet. Verum, omisso, hanc *corporum* dualitatem hactenus invisam fuisse, & rationi repugnare, moneo tantum, apertam hinc ansam dari sectariis, irridendi catholicum *transubstantionis* dogma, quasi nempe hoc duplex *corporis* genus, nonnisi illius dogmatis gratia, a Catholicis fingatur. Non est præterea, hac posita doctrina, cur ille Cartesium criminetur, quod *a veritate deflexerit* (c), cum scripsit, *nihil reale posse intelligi remanere* (in Eucharistia) *nisi quod subsistat, & quamvis verbo vocetur* accidens, *concipi tamen, ut* substantiam; *ideoque in re idem esse, ac si diceretur, totam quidem panis* substantiam *mutari, sed tamen illam ejus* substantiæ *partem, quæ vocatur* accidens reale, *remanere: quod si non in verbis, certe in conceptu contradictionem involvit* (d). Non est, inquam, cur laudatus Vir Cl. Cartesium propterea erroris acerbe insimulet. Nam, si *absoluta* Scholasticorum *accidentia* sunt *corpus*, dicendum necessario est, id, quod panis remanet in Eucharistia post consecrationem, *quamvis verbo vocetur accidens*, revera tamen esse *substantiam*; ut proinde in re idem sit, ac si diceretur, ut ait Cartesius, *totam quidem panis* substantiam *mutari, sed tamen illam ejus* substantiæ *partem, quæ vocatur* accidens reale, *remanere; quod si non in verbis, certe in conceptu contradictionem involvit*. Unde non immerito dixit Purchotius, *communem Scholarum opinionem*, quæ ponit, *quantitatem corpoream* concipiendam a nobis esse ut *entitatem* a materia, seu cor-

(a) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 4. *pag.* 54.
(c) Ibidem.
(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 196.
(d) Responf. *ad quartas objectiones*.

corpore *secretam*, *errore aliquo*, *sin minus in verbis*, *aut in voluntate*, *certe in percipiendi modo non carere*; & *aliquid substantiale* (dixisset *corpus*, si nunc viveret, sibique compertum esset, quod nuperrime tradidit laudatus Auctor) *quod prius fuerat*, *post verba consecrationis in hostia consecrata relinquere*, *quod contra fidem est* (a). Peccat demum Vir Cl. in illis postremis verbis: *cum ens dividitur in* corporeum, & *in* spirituale, *notio* corporei *unice præ se fert pluralitatem partium integralium.* Etenim vel sumit *ens corporeum* pro *corpore*, vel generatim pro omni eo, quod aut *corpus* est, aut *corpus* afficit. Si primum: ergo *modales* saltem corporis *affectiones* non sunt *ens*, quia non sunt *corpus*; sibique propterea ille contradicit, dum eas etiam affectiones inter *prædicamenta* recenset, docetque, in *prædicamentorum* serie *minime constitui* illa attributa, *quorum nulla est realis essentia* (b). Sin alterum: ergo perperam statuit *essentiam* corporis *in* extensione, *quæ pluralitatem partium importat* (c); cum rei cujusvis *essentia* in iis tantum attributis constitui jure possit, quæ illi uni, semperque conveniunt.

Sed non hæc tantum sunt, in quibus a vero aberrare videtur Cl. P. Ferrari, dum ardore nimio (absit verbo invidia) in Recentiores invehitur, eorumque placita insectatur. Quærens enim Vir Cl., *utrum essentia* corporis *consistat in* extensione *in longum*, *latum*, & *profundum juxta Cartesii sententiam*, *aliorumque Philosophorum* (d), primo Cartesium irridet, quod *geometricas opiniones in Physicam inscite transferens*, (illius sunt verba), sententiam Phytagoræ, Epicuri, & Stoicorum statuentium essentiam *corporis* in *extensione*, adoptaverit (e). Hanc quippe *omnino falsam esse*, ait, & *cum ipsa naturali ratione pugnare* (f). Refert secundo opinionem eorum, qui *non quamlibet extensionem* corpus *esse docent*, *sed* corporis *essentiam in ea* extensione *constituunt*, *quæ* actualis *est*, & formalis, *partiumque pluralitatem præ se fert* (g); tum licet dicat Vir Cl., *moderationem hanc in plerisque Cartesianis sibi placere quammaxime*, *utpote quæ* (ait ipse) *sinceram ab illis confessionem exprimat*, *qua se* & *a Cartesio alienos profitentur*, & *falsitatis arguant ideas ab eo propositas* (h); contendit tamen, ne ipsos quidem recte de *corporis* natura sentire, aperte scilicet negans *essentiam* corporis *consistere in* extensione *actuali*, *quæ partium pluralitatem præ se fert* (i). Bona igitur tanti Viri venia, dico, ipsum

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Sect. I. cap. I.
(b) T. I. P. I *Logicæ* Sect. I. cap. 5. *pag.* 55.
(c) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. III. q. 2. *pag.* 181.
(d) Ibidem q. I. *pag.* 164.
(e) Ibidem.
(f) Ibidem *pag.* 165.
(g) Ibidem.
(h) Ibidem.
(i) Ibidem *pag.* 170.

sum in hoc negotio non satis sibi constare, imo adversari apertissime. En quippe, quod ille sentit de *corporis* natura, suismet verbis expressum: *est*, inquit, *assertio nostra*, *essentiam* corporis *consistere in* extensione *ejusdem corporis in ordine ad se*, *quæ* extensio *pluralitatem partium importat* (a). Approbat ergo Vir Cl., quod paulo antea in Cartesio, ejusque asseclis tam acerbe irriserat. Sed Cartesium ipsum audiamus, ut hinc liberum cuique sit judicare, num ego laudato Viro Cl., an vero ille Cartesio imponat. *Sensuum præjudicia* deponentes, *& solo intellectu ad ideas illi a natura inditas* attendentes, inquit Cartesius, *percipiemus*, *naturam* materiæ, *sive* corporis *in universim spectati non consistere in eo*, *quod sit res* dura, *vel* ponderosa, *vel* colorata, *vel alio aliquo modo* sensus afficiens, *sed tantum in eo*, *quod sit* res extensa *in longum*, *latum*, & *profundum* (b). Do equidem Cl. Adversario, in eo peccasse Cartesium, quod *spatium* a *corpore*, sive *extensionem negativam* a *positiva* non distinxerit; at simul opinor, Cartesii sententiam de *corporis* natura haud recte ex hoc capite ab eo impugnari. Enimvero vel necessario repugnare debet, judicio P. Ferrari, *negativa extensio* spatii, ut essentia *corporis* in *extensione* statuatur, ne scilicet, ea admissa, detur *extensio*, quæ non sit *corpus*; vel, ut in *exensione* jure collocetur essentia *corporis*, minime requiritur, *negativa extensio* repugnet. Si primum: ergo, cum ille quoque doceat (c), *vacuum per Dei virtutem esse possibile*, nempe *negativam extensionem* non repugnare, contra seipsum rem agit, dum *corporis* essentiam in *extensione* constituit. Sin alterum: ergo *omnino falsam*, & *cum naturali ratione pugnantem* Cartesii sententiam ille haud recte propterea appellat, quia *vacua extensio*, secus ac Cartesius doceat, non repugnet. Eo siquidem vitio tunc peccat Vir Cl. quod a Logicis *ignoratio elenchi* nuncupatur. Nam id, quod revera ille impugnat, aliud est omnino ab eo, quod impugnandum assumit. Assumit enim demonstrandum, peccasse Cartesium, dum dixit, in eo positam esse essentiam *corporis*, quod sit *res extensa in longum*, *latum*, & *profundum*. At re non demonstrat, nisi ipsum errasse, dum *corpus* a *spatio* nequaquam distinxit.

Dicet forte Cl. Adversarius, vitio ab se non verti Cartesio, quod *corporis* essentiam statuerit in *extensione interna*, ut ajunt, sive *entitativa*; sed quod in *extensione externa*, sive *locali* illam collocaverit.

Verum contra est. Etenim *primo* stat adhuc, Cartesii sententiam illegitime prorsus ab ipso ex eo oppugnari, quod *spatium* a *corpore* non

(a) Loco citato q. 2. *pag.* 181.
(b) P. II. *Princip.* num. 4.
(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. VIII. q. 4. *pag.* 344.

non satis distinxerint. Nemo quippe non videt, *corpus* differre perquammaxime a *spatio*, quamvis occupare *spatium extensum* ad *corporis* essentiam pertinere dicatur. Nescius quoque nemo est, non repugnare *spatium vacuum*, quamvis essentia *corporis* in eo consistat, quod sit res *localiter extensa*. *Secundo*: quia cum de *corporis* natura disserens Cartesius, nullam prorsus duplicis illius *extensionis* mentionem fecerit, nonnisi temere dici posse videtur, in *externa* potius, quam in *interna extensione* essentiam *corporis* illum posuisse. *Tertio*: quia, cum Cartesius dicat, essentiam *corporis* in eo consistere, quod sit *res extensa*, videtur *entitativam extensionem* ille intellexisse, utpote per quam dumtaxat potest res vere & proprie dici *extensa*. *Quarto*: quia certum est, ut ex Laertio, & Plutarcho manifeste constat, de *interna extensione* loquutos fuisse Pythagoram, Epicurum, atque Stoicos, dum *corpus* per *extensionem* definiunt. Id enim dicebant *corpus*, quod *trifariam divisibile* est (a): quod sane nonnisi de *entitative extenso* verum esse potest. Fatetur autem P. Ferrari, ut vidimus, Cartesium id ipsum sensisse de *corporis* essentia, quod illi docuerant. Ergo concedere quoque vel invitus debet, de *interna* itidem *extensione* Cartesium intellexisse. Quæro postremo a Viro Cl., an opinio eorum, qui, ut ipse ait, *non qualemcunque* extensionem *putant esse* corporis *essentiam*, *sed eam solum* extensionem, *quæ partes & partes reipsa præ se fert*, eadem sit cum sententia Cartesii, num vero ab illa diversa. Si dicat, illorum opinionem fuisse eandem cum opinione Cartesii: ergo falso ait, eos *non jam cum Cartesio* hac super re sentire; sibique insuper falso blanditur, inquiens, *moderationem hanc in plerisque Cartesianis sibi placere quammaxime*, quia *sinceram ab illis confessionem exprimat*, *qua se & a Cartesio alienos profitentur*, *& falsitatis arguunt ideas ab eo propositas*. Si vero dicat, illorum opinionem ab Cartesii sententia differre, fateatur, necesse est, ipsos in *extensione interna* essentiam *corporis* posuisse; neque enim, ut puto, datur tertia *extensionis* species, quæ neque *localis* sit, neque *entitativa*, in qua recte illi potuerint *corporis* essentiam collocare. Jam vero si hoc, non video, quomodo Vir Cl., sibi manifeste non contradicat, dum horum opinionem ad trutinam revocans, ait, *essentiam* corporis *non consistere in ea* extensione actuali, *quæ partium realium pluralitatem præ se fert* (b); suam vero sententiam exponens, asserat, *essentiam* corporis *consistere in* extensione *ejusdem corporis in ordine a se*, *quæ extensio pluralitatem partium importat* (c). Cum enim sola *extensio*

(a) Lib. I. *de placitis Philos.* cap. 12.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disput. III. q. 1. *p.* 170.

(c) Ibidem q. 2. *pag.* 181.

sio entitativa pluralitatem partium complectatur, ab eaque dependeat, relinquitur, *entitativam* eam esse *extensionem*, tum quam a *corporis* essentia ille excludit, tum quam pro essentia *corporis* ipse demum assumit.

Ne quid tamen dissimulem, quod Viro Cl. favere aliquo modo posse videatur, dicet nonnemo, *actualem* dumtaxat *extensionem* ab essentia *corporis*, illius sententia, excludi. Verum, si res penitius inspiciatur, fateri cogimur, neque hoc modo nodum solvi. Certum quippe arbitror, Virum Cl., ut nunc reliqui omnes Philosophi, nonnisi duplicem *extensionem* agnoscere, alteram scilicet *in ordine ad se*, alteram *in ordine ad locum*. *Oportet distinguere*, inquit ipse, *extensionem corporis in ordine ad se, & extensionem corporis in ordine ad locum* (a). Alterutram ergo *extensionem* necesse est ille intelligat nomine *extensionis actualis*; alterutram quoque Cartesius, dum *corporis* essentiam in *extensione* constituit. Ponamus, per *extensionem actualem* intelligi *extensionem quoad locum*. Vel igitur eandem intellexit Cartesius, vel non. Si eandem: ergo fallitur Vir Cl., dum putat, qui in *actuali extensione* collocant naturam *corporis*, non jam cum Cartesio sentire. Falso quoque sibi gratulatur, dum maxime gratum sibi esse dixit, illos a Cartesio sese alienos profiteri, & *falsitatis* arguere *ideas*, quas ille proponit. Si diversam: posuit ergo Cartesius essentiam *corporis* in *extensione quoad se*; & ideo, cum in eadem *extensione* ipse etiam Vir Cl. *corporis* essentiam constituat, sibimetipsi adversatur, dum approbat, quod, ut plane falsum, & rationi naturali contrarium, in Cartesio reiiecerat. Quod si statuentes *corporis* naturam in *extensione actuali*, non *extensionem in ordine ad locum*, sed *extensionem in ordine ad se* illi intelligant, jam cum in eadem *extensione* & ipse Vir Cl. *corporis* naturam statuendam censeat, sibi nequaquam consentit, reprobans scilicet in Cartesianis illud ipsum, quod paulo post ipse quoque manifeste propugnat. Sed hac de re fortasse nimis. Verum, ut S. Hieronymi verba usurpem, *si culpa est respondisse*, quæso Cl. Adversarium, patienter ferat: *multo major est provocasse* (b).

PRO-

(a) Tom.II. *Physices* Disp.III. q.1. in respon. ad quartam objectionem *pag.* 177.
(b) Epist. 105.

PROPOSITIO III.

Nullum accidens abſolutum, ſi quod hujuſmodi in corporibus admittatur, eſt natura ſua ſenſibile.

58. *Probatur*. Ut *accidens abſolutum*, ſi quod hujuſmodi detur in corporibus, ſit natura ſua *ſenſibile*, neceſſe eſt, valeat ex ipſa ſua natura nerveas externorum ſenſoriorum fibras premere, vellicare, aliave ratione movere (§. 34.); cumque præſtare id non poſſit, niſi ejus ſit naturæ, ut illæ nervorum fibræ, dum ad eas appellit, ipſius impulſui reſiſtant, perſpicuum manet, *accidens* ipſum eſſe non poſſe natura ſua *ſenſibile*, niſi itidem natura ſua *ſolidum* ſit, ſive *impenetrabile*. Conſtat autem, nullum *accidens abſolutum*, ſi quod hujuſmodi detur in corporibus, eſſe natura ſua *impenetrabile* (§. 55.). Ergo nullum ejuſcemodi *accidens* eſt natura ſua *ſenſibile*.

Dices: vel nulla ſunt *abſoluta accidentia* in corporibus, vel ſi qua ſint ejuſmodi, ea certe manent in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, conſecratione peracta. At ſi hoc, negari non poteſt, ea eſſe *ſenſibilia* ex ſe; cum in illo ſacramento reipſa ſentiantur, nihilque in eo ſit, ex quo eorum *ſenſibilitas* repeti poſſit. Ergo vel nullum admittendum eſt *accidens abſolutum*, vel ſi quod ejuſmodi *accidens* admittatur, dicendum neceſſario eſt, illud eſſe natura ſua *ſenſibile*.

℞. *neg. min.* Dato enim, *ſenſibilitatem* panis, quæ habetur in venerabili Euchariſtiæ ſacramento, ex *abſolutis accidentibus*, quæ in illo ſuperſint, provenire, non propterea ſequitur, dandum quoque eſſe, ejuſmodi *accidentia* ex ipſa ſua natura a nobis poſſe ſentiri. Non enim in illo ſacramento ſentiuntur ex ſe, ſed quia Deus ipſe efficit omnipotenti ſua virtute, ut a nobis ſentiantur, quatenus nempe ita illa tunc conſervat, ut non ſolum impediat, ne integrales eorum partes penetrentur inter ſeſe, verum etiam efficiat, ut & incidentia corpora a ſe ipſis repellant, & nerveis ſenſoriorum noſtrorum fibris, quibus applicantur, reſiſtant. Itaque

COROLLARIUM.

59. *Nihil, quod ſit ex ipſa ſua natura ſenſibile, eſt* accidens abſolutum *in ſenſu Scholaſtico*. Si quod enim hujuſmodi eſſet *accidens abſolutum* in ſenſu Scholaſtico, aliquod *accidens abſolutum*, ſecus atque modo demonſtravimus, eſſet natura ſua *ſenſibile*.

PROPOSITIO IV.

Compositum quodcunque naturale hoc ipso formaliter est sensibile, quod ex solidis corpusculis certa magnitudine, & figura affectis, certoque artificio simul intextis, motuque, aut quiete donatis intrinsecus coalescat.

60. *Probatur*. Naturale quodcunque corpus per id *formaliter* est *sensibile*, per quod habet *formaliter*, ut externis sensoriis applicatum, nerveas illorum fibras movere certa ratione valeat, easque premere, & vellicare (§. 35.). Id autem præstare potest corpus quodcunque naturale hoc ipso *formaliter*, quod ex *solidis* corpusculis certa *magnitudine*, & *figura* præditis, certo *artificio* simul intextis, certoque *motu*, aut *quiete* donatis intrinsecus componatur. Hoc enim ipso, quod ex *solidis* corpusculis constat, ejusmodi ipsum est, ut nerveæ externorum sensoriorum fibræ illi, dum ad eas appellit, resistant. Hoc ipso vero, quod componentia ejusdem corpuscula inæqualem habeant *magnitudinem*, dissimilem *figuram*, diversum *situm*, & *ordinem* inter se, moveantur quoque, aut quiescant, sequitur, corpus ipsum ita respondere omnium externorum sensuum organis, ut non solum in omnibus, tametsi dissimilibus, valeat, dum illis applicatur, aliquam impressionem efficere; verum etiam ut uni eidemque sensorio dissimiles motus communicare optime possit; quippe, inquit Cl. Villis, *quoniam corpora exteriora particulis varii generis, iisque diversimode configuratis constant, ideo cum alia aliis applicantur, eorum ad invicem appulsus non semper uno eodemque modo, verum multiplici ritu, ac cum insigni varietate fiunt, scilicet aut per contactus corporeos, aut per effluvia ab illis decidua, aut per aeris, auræque, sive lucis particulas ab illis reflexas, & velut tela quaquaversus jaculata. Porro & cuilibet horum generum plures species accensentur. Diversa quippe non tantum concreta, sed etiam ejusdem subjecti varia corpuscula multiplices edunt, imprimuntque contactuum suorum typos, quorum singuli ut ab animalibus distincte excipiantur, adeoque dignoscantur, anima sensitiva organis corporeis utens, plura sensoria tantæ objectorum varietati, & diversis rerum occursibus accommodata habet, in quibus singulis tum pororum conformatio, tum spirituum animalium dispositio, ad corpuscula ab objecto immissa, quæ tantum unius generis sunt, apte suscipienda proportionantur* (a). Ergo naturale quodcunque corpus *formaliter*

(a) De anima Brutorum cap. 10.

liter ſenſibile hoc ipſo eſt, quod ex ſolidis particulis certa *magnitudine*, & *figura* affectis, certoque *artificio* ſimul intextis, *motuque* donatis, aut *quiete*, intrinſecus componatur.

COROLLARIUM I.

61. Cum omnis ſenſatio, ut ſatis ex dictis conſtat (§. 30.), ſit quædam veluti ſpecies *tactus*, dici recte poteſt, *corpora naturalia habere a* ſoliditate *particularum, ex quibus componuntur, ut* generice; *a* mechanicis *vero illarum particularum* affectionibus, *ut* ſpecifice *ſint ſenſibilia*. Habent enim a componentium particularum *ſoliditate*, ut premant nerveas externorum ſenſoriorum fibras, in quas incurrunt; a *mechanicis* vero illarum *affectionibus*, ſcilicet a *magnitudine*, *figura*, *combinatione*, *motu*, & *quiete*, quamobrem omnia ſenſoria neque ab illis omnibus affici queant, neque ab omnibus, a quibus afficiuntur, valeant eodem modo, eademque ratione immutari.

COROLLARIUM II.

62. *Nullum* accidens abſolutum *requiritur in compoſito naturali, ut ſit ſenſibile*. Certum eſt enim, nullum ejuſmodi *accidens* requiri, neque ut primitiva corpuſcula compoſiti naturalis ſint *impenetrabilia* (id quippe habent (§. 19.) ex ipſa ſua natura) neque ut ſint inæqualis *magnitudinis*, diſſimilis *figuræ*, varioque *artificio* ſimul intexta; neque demum ut illa moveantur, aut quieſcant. Apertum namque eſt, vel levi conſideratione adhibita, nullam harum affectionum ab *accidente abſoluto* dependere. Conſtat autem, compoſitum quodcunque naturale habere a *ſoliditate* ſuarum particularum componentium, ut *generice*; ab *mechanicis* vero earum *affectionibus*, ut *ſpecifice* ſit ſenſibile (§. 61.). Ergo nullum &c. Propterea

COROLLARIUM III.

63. *Non ſatis conſulunt veritati, qui naturalis compoſiti* ſenſibilitatem *a* mechanicis *componentium particularum* affectionibus *ita derivant, ut ſimul* abſolutum *aliquod* accidens *illis particulis adiiciendum eſſe contendant*. Fruſtraneum quippe eſt ad corporum *ſenſibilitatem* omne hujuſcemodi *accidens*, ſi nullo ejuſmodi *accidente* indigeat corpus, ut ſit ſenſibile.

SCHO-

S C H O L I O N.

64. Eos inter, qui *sensibiles* corporum *qualitates*, eorumque operationes ita explicant per corpuscula exilissima, ut simul velint, *accidentia absoluta* illis esse adiicienda, non ultimum locum tenet Cl. P. Eusebius Amort. Docet enim, *sensibiles* corporum *qualitates* explicari quidem posse per *motum*, & *figuram* partium *quoad causam*, ut ipse ait, *materialem*; sed negat id posse fieri *quoad causam formalem*; unde contendit, illis particulis superaddenda esse *accidentia absoluta*, quibus munus *formalis causæ* in hoc negotio tribuatur. *Accidentia*, inquit Vir Cl., *dicunt duo, nempe* materiam, *&* formam. Lux *v. g. est alicujus corporis* lux. *Corpus illud est* materia *lucis*, *& eatenus* materia lucis *dicit* motum, *&* figuram *partium*, *nempe pressionem subtilis materiæ; sed cum illo motu partium simul conjungitur aliqua alia* forma *a* figura, *&* motu *partium prorsus diversa*, *nempe* lux *sumpta* formaliter; *simili modo*, *quando ex aere*, *& organo resultat* Musica, *datur motus materiæ*; *& hic motus est* materiale Musicæ. *Ipsa* Musica *est aliquid prorsus diversum a* figura, *&* motu *partium organi*, *& aeris* (a). Verum nisi ostenderit, passionem externi sensorii, quam sensatio in anima consequitur, non consistere in certo dumtaxat motu fibrarum nervearum, ex quibus sensorium ipsum constat; neque ad illas fibras movendas satis esse, ut corporis particulæ, a quibus ipsum sensorium afficitur, *solidæ* sint, determinata *magnitudine*, & *figura*, *motu*, vel *quiete* præditæ, certoque *artificio* simul *intextæ*, nemini persuadebit unquam Cl. Auctor, *absolutum* aliquod *accidens*, præter naturalem *soliditatem*, & *mechanicas affectiones*, in illis particulis necessario requiri, ut, quod ex ipsis compositum efficitur, sit sensibile. Neque ipsum juvat exemplum, quod affert ex Musica. Nihil quippe magis alienum a vero est, quam *sonorum* harmoniam, in qua Musica consistit, esse aliquid a certo aeris, & organi motu diversum; sicuti nihil est magis falsum, saniorum Philosophorum judicio, quam *sonum*, qui a sonante corpore ad aures usque per aerem propagatur, esse *qualitatem* distinctam a tremulo aeris motu, eique superadditam. Arbitror itaque, ab iis omnibus aptari quadrata rotundis, qui mechanicam philosphandi rationem cum scholastica Peripateticorum conciliare hac via nituntur.

PRO-

(a) Philos. Polling. P. III. *Physicæ Generalis* Sect. I. q. 1. in responsione ad *primam objectionem* num. 4.

PROPOSITIO V.

Nulla qualitas, ſive affectio corporum ſenſibilis eſt accidens abſolutum in ſenſu Scholaſtico.

65. *Probatur primo.* Certum eſt, nullam *ſenſibilem* corporum *qualitatem* eſſe *accidens abſolutum* in ſenſu Scholaſtico, ſi nullo ejuſmodi *accidente* indigeant corpora, ut ſint ſenſibilia. Omnium quippe Philoſophorum conſenſu, id venit nomine *ſenſibilis qualitatis*, per quod *formaliter* corpus evadit ſenſibile (§. 8.). Conſtat autem, nullo *abſoluto accidente* opus eſſe, ut naturalia corpora ſint ſenſibilia (§. 62.). Ergo nulla *qualitas* corporum *ſenſibilis* eſt *accidens abſolutum*.

Probatur ſecundo. Si enim aliqua *ſenſibilis* corporum *qualitas* eſſet *accidens abſolutum*, aliquod ejuſmodi *accidens* eſſet *entitas* ex ſe, ſive ipſa ſua natura ſenſibilis. Id profecto non negabunt Scholaſtici; cum, ipſos ſi audiamus, ſenſibilia ſint ex ſe, quæ in Euchariſtia manent, *abſoluta* panis, vinique *accidentia*. Oſtenſum eſt autem, nullum *accidens abſolutum*, ſi quod in corporibus exiſtit, eſſe *entitatem* natura ſua *ſenſibilem* (§. 58.). Ergo nulla corporum *qualitas ſenſibilis* eſt *accidens abſolutum*.

Probatur tertio inductione, eas ſcilicet *ſenſibiles qualitates* ſingulatim conſiderando, quæ in corporibus ſunt præcipuæ. Perſpicuum quippe fore arbitror, nullam *ſenſibilem* corporum *qualitatem* eſſe *accidens abſolutum*, cujuſmodi eas ſibi fingunt Scholaſtici, ſi oſtenſum ſemel fuerit, quæ principem inter illas locum tenent, ejuſmodi fingi non poſſe. Poſita ergo diviſione *lucis* in *primariam*, per quam *formaliter* corpus *lucidum* eſt, & in *ſecundariam*, quæ a *lucido* corpore ſecundum rectam lineam quoquoverſus conſtantiſſime diffunditur, & *lumen* vulgo jam nuncupatur, ordiemur a prima. Itaque

I.

66. *Lucem primariam* non eſse *accidens abſolutum*, haud obſcure ſuadetur ex modo, quo corpus, omni penitus *luce* deſtitutum, *lucem* repente concipit. Conſtat igitur, corpora omnia, quæ partibus abundant terreſtribus, & præſertim ſulphureis, *lumen* emittere, ſeu *lucida* fieri, *quotieſcunque*, ut ait Cl. Nevvtonus, *partes iſtæ ſatis ſint agitatæ, ſive id* calore *fiat, ſive* attritu, *ſive* percuſsu, *ſive* putreſcendo, *ſive* motu *aliquo* vitali, *ſive alia quavis de cauſa* (a). Sic, referente Cl.

(a) Optices q. 9.

Cl. Gravesando, *lumen* percipitur, si vitreus tubus sicca manu, vel linteo atteratur, (a). Globus vitreus, aere vacuus, si circum suum axem in loco obscuro velocissime agatur, & sicca manu interea perfricetur, *totus*, eodem teste, *quasi lucidus fit ab interiori parte* (b). Mercurius quoque, ut ille observat, si probe depurgatus in vitro agitetur, *lucidus* apparet (c). Etiam frusta chrystalli inter se mutuo attrita, statim lucescunt. (d). *Oltre alla pietra da fuoco*, inquiunt Academici Florentini, *vi sono alcuni corpi, nè quali par che si faccia maggior conserva di* luce; *imperocchè a batterli insieme, o a romperli al bujo, ne disfavillano. Tali sono il* zucchero candito, *il* zucchero in pane, *ed il* sal gemma lapillato, *i quali pesti nel mortajo mandano fuori in tanta copia la* luce, *che s' arriva a scorger distintamente i lati di esso mortajo, e la forma del pistello. Non c' è già riuscito di veder questa medesima apparenza a pestare il* sal commune in pietra, l'allume, *e il* salnitro, *come nè meno a pestar i* coralli, *l'* ambra gialla, *e la* nera, *i* granati, *e la* marcasita; *ma e l'* cristal di monte, *e l'* agate, *o* diaspri orientali *o percossi insieme, od infranti danno un* lume *chiarissimo* (e). Ex hisce ergo, aliisque etiam id genus plurimis, quæ, ne longior sim, silentio prætereo, sic argumentum conficio: certum est, nullam *absolutam entitatem* ex sola partium agitatione, licet vehementissima, oriri posse; si posset enim, cum motus non sit *entitas absoluta*, effectus suam causam effectricem, plane contra veritatem, perfectione superaret. Oritur autem *lux* in corpore ex sola particularum, quibus constat, agitatione. Ergo *lux* non est *entitas absoluta*.

Dicent Scholastici, non dependere *lucem* a motu partium, tamquam a *causa effectrice*, sed tantum veluti a *conditione*.

Sed contra est. Nam productio *lucis* ab iis corporibus derivari tunc debet, vel ex quibus, dum atteruntur, vel a quibus particulæ illorum corporum, mutuo attritu, ad motum excitantur. Non enim aliud occurrit, cui, tamquam causæ effectrici, queat *absoluta* lucis *entitas* accepta referri. Sed neutra illa corpora præstare id possunt. *Primo* etenim, si non omnia corpora, ex quorum mutuo attritu oritur *lux*, eorum saltem plurima, ut silex, vitrum, crystallus, atque id genus alia, inertia sunt adeo, ut ad nullam prorsus *absolutam entitatem* producendam apta esse videantur. *Secundo*: quia vel illa corpora *lucem* producunt, ut *causa* illius *univoca*, vel ut *causa* ejusdem

(a) Elem. *Physicæ* Mathem. §. 2455.
(b) Ibidem §. 2463.
(c) Ibidem §. 2489.
(d) Ibidem §. 2497.
(e) Saggio di *nat. esperienze*: esper. III. *intorno alla luce, e suoi effetti*.

dem *equivoca*. Non ut *causa univoca*; quippe non sunt lucida, ut patet. Sed neque ut *causa equivoca*; alia siquidem causa tunc assignanda est, a qua ad *lucem* potius, quam ad aliam *qualitatem* producendam, illa corpora determinentur. *Postremo*: quia rationem afferre debent Scholastici, quamobrem si corpora, ex quorum mutuo attritu *lux* erumpit, *lucem efficienter* in seipsis producunt, eandem, postquam producta est, etiam attritu cessante, non conservent? Neque enim *lux*, si ponatur *entitas absoluta*, ita pendere posse videtur a motu partium corporis, ut, quamprimum motus ille cessat, & ipsa destruatur. Certe, nisi Scholastici id palam fecerint, contendent, neque sane immerito, Recentiores, illorum sententiam de *primitivæ lucis* natura ex hoc uno prorsus convelli. Æque obscurum quippe est, captuque difficile, *absolutam formam* dependere a motu partium, ut producatur, & conservetur, ac sit obscurum, captuque difficile, *lucem primitivam* esse, ut ipsi putant, *entitatem absolutam*.

I I.

67. Ad *secundariam* vero *lucem* quod attinet, luce ipsa clarius videtur, eam in *absoluta entitate*, quæ per medium diaphanum propagetur, in eoque a lucido corpore producatur, minime posse constitui. Etenim *primo*, ejusmodi si esset *lumen*, in eo medio, cui semel impressum est, non periret, lucido corpore sublato, a quo producitur. Non enim habet contrarium, a quo perimi possit, nullaque *forma*, ipsis fatentibus Scholasticis, perit in subjecto, nisi ab alia *forma*, cum qua in illo simul esse nequeat, destruatur. Contra autem res se habet, loquendo de *lumine*; experientia demonstrante, eo ipso sensibili momento, quo lucidum corpus removetur, vel extinguitur, *lumen* ab illo diffusum perire. Ergo *lumen* non est *entitas absoluta*.

Respondet Cl. P. Ferrari, *lumen*, *utpote* qualitatem *materialem*, *dependere quidem a subjecto* diaphano *in fieri, & conservari; sed, cum ex speciali naturæ suæ proprietate nullatenus radicetur in subjecto, minime a solo subjecto conservari, quemadmodum alia plura accidentia; proindeque pendere etiam ab aspectu Solis, sive alterius luminosi corporis, quod ipsam in subjecto continuata actione conservat* (a).

Sed contra. Nam necesse est, explicet ille *primo*, quidnam intelligat nomine ejus *radicationis in subjecto*, quam denegat *lumini*, aliis

I vero

(a) Tom. III. P.III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *pag.* 413., & 418.

vero *accidentibus* ipse concedit. Mihi etenim nonnisi duplex modus *essendi in subjecto* ad hæc usque tempora innotuit, alter scilicet, quo *forma* ita in illo est, ut, quemadmodum ajunt Scholæ, in *fieri*, *esse*, & *conservari* necessario ab illo dependeat; alter vero, quo *forma* subjectum afficit, quin ad sui conservationem illud necessario requirat. Persuasum quoque habeo, posteriorem hunc modum *essendi in subjecto* nonnisi formæ, quæ sit *entitative* substantia, convenire. Igitur vel *lumen* non dependet a subjecto *in fieri*, *esse*, & *conservari*, si in illo, ut reliqua *accidentia*, non radicetur; & ideo dicendum, *lumen* non esse *accidens*: vel *lumen* quoque, ut *accidentia* reliqua, in subjecto *radicatur*; atque hinc conservari & ipsum, ut cetera quæque, in illo potest, etiam lucido absente corpore, a quo producitur. Velim *secundo*, nitide quoque ab eo explicetur, quomodo *lumen*, contra ac reliqua *accidentia*, quæ itidem a Sole, aliove corpore aeri communicantur, ita pendeat ab ejus aspectu, ut continuata ejusdem præsentia ad sui conservationem necessario illud indigeat. Quamdiu enim distincta hujusce dependentiæ notio Recentiores latuerit, tamdiu dicent, eam fingi in *lumine* a Viro Cl., ut argumentum, quo nimis premitur, declinet, ejusque vim, ut bonus quandoque Homerus, dormitando evitet. Ait ipse, contra Cartesii globulos, & Malebranchii vortices rem agens, se *non facile assentiri dicentibus*, & *non probantibus* (a). Verum caveat, ne contra hanc suam *luminis* a Solis adspectu dependentiam tantumdem etiam Recentiores dicant. Illa certe longe difficilior captu est, quam sint vel globuli, quos ponit Cartesius, vel vortices, quos Malebranchius assumit. Spero autem, Virum Cl. ad dependentiam hanc demonstrandam exemplo *soni* nequaquam usurum; nam pro certo habeo, tantum Virum non latere, ideo necessariam esse præsentiam corporis indesinenter sonantis, ut *sonus* in aere perseveret, quia non in *accidente absoluto*, sed in solo aeris tremulo motu *sonus* consistit (b).

Secundo: si *lumen* esset *accidens absolutum* medio diaphano a lucido corpore impressum, eo intensius in eadem medii parte illud fieret, quo diutius corpus lucidum ipsi parti præsens conservaretur. Cum enim corpus lucidum indesinenter agat, & *lumen*, si ponatur *accidens absolutum*, sit qualitas *permanenter* adhærens subjecto, cui imprimitur, necesse est, momentis singulis, quibus corpus lucidum medio diaphano præsens existit, novus gradus *luminis* in qualibet ipsius medii parte ab illo producatur. Constat autem experientia, *in-*

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *pag.* 417.

(b) Videantur, quæ diximus Tom. I. *Physicæ* §§. 1070., 1071.

intensive in eadem medii parte non augeri *lumen*, quo diutius corpus lucidum illi præsens existit. Ergo *lumen* non est *accidens absolutum*.

Tum hæc porro, tum præcedens ratio manifeste confirmatur exemplo *caloris*, *frigoris*, *odorum*, aliarumque id genus *qualitatum*, quæ, non secus atque *lumen*, tamquam *accidentia absoluta* a Scholasticis habentur. Perspicua siquidem res est, *qualitates* ejusmodi manere in aere, etiam sublatis corporibus, a quibus in illo productæ fuerunt; easque præterea eo intensiores in eadem aeris parte continuo evadere, quo corpora, a quibus proveniunt, longiori tempore in eodem loco perseverant. Ergo vel danda est ratio, quamobrem *lumen* quoque, si, ut illæ, sit *accidens absolutum*, non conservetur in medio diaphano, sublato lucido, a quo fuerat illi impressum, neque ad diuturnam præsentiam ipsius lucidi *intensive* augeatur; vel necesse est, dicamus, *lumen* non esse *accidens absolutum*.

Postremum hoc *luminis* a *calore*, *frigore*, ceterisque *actuosis qualitatibus* discrimen dissimulavit laudatus P. Ferrari, quod & ipse fortasse viderit, illius causam, quemadmodum hinc habetur causa phœnomeni prioris, derivari ex eo non posse, quod *lumen*, secus ac *qualitates* reliquæ, lucidi corporis adspectu ad sui conservationem, ut ipse docet, indigeat. Certe dato etiam, solius *luminis* proprium esse, ut ejus conservatio a præsentia lucidi corporis necessario dependeat, inferre tamen inde non licet, *lumen* hanc ob causam *intensive* augeri ab eodem lucido corpore nequaquam posse. Cur namque, si corpus lucidum continuata sua actione *lumen* conservat, non efficit quoque eadem ipsa, ut illud *intensive* continuo augeatur? Neque enim *lumen* incapax intensionis est; cum, aucto in eodem loco lampadarum numero, longe intensius vividiusque illud appareat: quod certe non fieret, si plures *luminis* gradus in eadem diaphani corporis parte simul componi nequirent.

Causa postremo afferenda ab Scholasticis est, quare *calor*, *frigus*, & *qualitates* reliquæ *actuosæ* etiam oblique, *lumen* vero nonnisi secundum rectam lineam in medio uniformi constantissime propagetur. Ait P. Ferrari, discrimen esse, *quia lux ita dependet ab aspectu Solis, ut nullibi fiat, nullibi conservetur, nisi ubi Sol respicit*: causa nempe hæc est, inquit ille, *quare Solis radius non per omnes conclavis partes extendatur, sed per eas solum, quas Sol* directe *respicit* (a). Verum, cur *lumen* ita dependeat ab aspectu Solis, *qualitates* vero reliquę

(a) T. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *pag.* 418.

ab aspectu corporum eorum, a quibus, ut *lumen* a Sole, producuntur, non ita dependeant, tametsi illæ etiam, æque ac *lumen*, ponantur *accidentia absoluta*, altum apud Virum ipsum Cl., ut etiam supra innuimus, silentium est, quasi persuasum illi fuerit, sufficere, *ipsum dixisse*, ut id ab omnibus admittatur. Videtur tamen, Virum Cl. de hujusce phœnomeni causa non multo post fuisse aliter opinatum. Respondens enim Cartesianis, contendentibus, *si lux non est motus*, assignari minime posse causam, *cur semper sequatur rectilineum*, ait, *lucem per rectilineum produci, quia linea recta ea est, per quam natura maxime agit; cum illa sit via brevissima, & efficacissima ad operandum, & cum aliunde lux non habeat contrarium positivum* (a). Sed ne flocci quidem facienda hæc ratio est. Si enim corpus lucidum *lucem* producit *per rectilineum*, quia per lineam rectam, utpote quæ *brevissima* est, & *efficacissima ad operandum*, natura *maxime agit*, cur eadem ratione etiam corpus calidum per haud dissimilem lineam *calorem* non producit? Fortene in *caloris* productione, sicuti in productione *luminis*, non agit natura? Quod si etiam corpus calidum agit secundum rectam lineam, dum *calorem* diffundit, eccur *calor* quoque, ut *lumen*, per lineam rectam constantissime non propagatur? Fateor, *lucem* non habere *contrarium positivum*. Sed non video, quonam jure hinc inferat Vir Cl., nonnisi secundum rectam lineam posse *lucem* in medio uniformi propagari. Tantum sane abest, rectilineam *lucis* propagationem ex illo principio deduci posse, quin contrarium potius dicendum videatur. Si namque *lumini* nihil *positive* contrarium est, cur etiam in spatio extra rectilineam directionem posito *lux* non diffunditur? Nihil certe in eo est, quod impediat, quominus *lux* etiam per illud propagetur. Sane, licet *calor*, & *frigus* habeant, quod *positive* opponatur illorum propagationi, adhuc tamen non *recte* tantum, verum etiam *oblique* diffunduntur. Ergo potiori ratione id etiam de *lumine* dicendum est, utpote cui nihil occurrit, quod illius propagationi *positive* resistat. Igitur vel demus oportet, etiam *oblique* in medio uniformi, plane contra experientiam, diffundi *lumen* posse, vel dicamus necesse est, peccare Scholasticos, dum in *accidente absoluto* statuendum illud esse contendunt.

III.

68. Sed non minus peccant, dum corporum *diaphaneitatem*, & opa-

(a) Tom. III. P. III. Physicæ Disp. III. q. 5. pag. 424. in responsione ad 8. objectionem.

opacitatem inter *absoluta accidentia* iidem ipsi recensent. *Diaphanum* dicitur, quod *lumini* pervium est; *opacum*, quod est *lumini* impervium. Neutram harum affectionum esse *entitatem absolutam* corporeæ substantiæ inhærentem, ex hoc uno plane ad evidentiam ostenditur, quod *entitas* hujusmodi plerumque fieret, atque periret sine causa. Omnibus enim notum est, perspicuumque. I. vitrum, & crystallum, quæ sunt corpora *diaphana*, in pulveream *opacam* massam abire, si conterantur. II. aquam, quæ maxime *diaphana* est, in *opacam* spumam concrescere, si agitetur, tum *diaphaneitatem* pristinam recuperare, si suo, ut ita dicam, genio iterum relinquatur. III. si plures planæ laminæ vitreæ sibi invicem secundum earum planitiem superponantur, *opacum* corpus emergere, & eo quidem magis *opacum*, quo numero plures illæ fuerint, tametsi divisim sumtæ, sint maxime *diaphanæ*. Manifesta autem res est, nullam *absolutam entitatem* produci, nullamque destrui, dum vitrum in pulverem redigitur; neque dum aqua vel concrescit in spumam, vel ex spuma ad pristinum statum redit; neque demum dum plures vitreæ laminæ simul junguntur secundum earum planitiem, vel dum, antea simul junctæ, a se mutuo separantur. Sola enim fit integralium partium secretio, & confusa earum mixtio, dum vitrum atteritur; sola mutatio situs in haud dissimilibus aquæ particulis, dum illa spumescit; sola demum loci mutatio, dum vitrum vitro apponitur, vel unum ab alio removetur. Ergo neque *diaphaneitas*, neque *opacitas* est *entitas absoluta*, sive *accidens* in sensu Scholastico. Videtur porro minime negligendum, quod post Nevvtonum (a) tradit Gravesandus (b), nullum scilicet dari corpus, *cujus partes minimæ non sint pellucidæ. Hoc in dubium*, inquit ille, *nemo vocabit, qui microscopiis sæpe usus est*. Jam si hoc, quis non videt, Scholasticorum sententiam de *opacitatis*, & *diaphaneitatis* natura plane corruere? Si namque *opacitas*, & *diaphaneitas* sunt *accidentia absoluta*, repugnat sane, ut plura minima *diaphana*, quin *diaphana* esse desinant, *opacum* corpus, dum simul uniuntur, constituant.

IV.

69. Non minori evidentia ostenditur, etiam in *colorum* natura definienda Scholasticos a vero aberrare, nempe dum ajunt, *colores* esse *entitates absolutas* ita afficientes substantiam colorati corporis, ut, velaminis instar, eam circumquaque tegant quodammodo, ac veluti ve-

(a) Lib. II. *Optices* P. III. prop. 2.
(b) Elem. *Physices* Mathem. §. 3443.

vestiant. Quam igitur hæc explicatio sit a vero aliena, ita *primo* ostenditur. Indubium est, nullam *absolutam entitatem* in aqua produci, dum illa validissime agitata in spumam abit; nullam fieri in vitro, dum in pulverem attritione redigitur. Nulla quippe tunc habetur actio, ut patet, cui productio *absolutæ entitatis* jure valeat accepta referri. Constat autem, tam aquam, quam vitrum tunc albescere. Ergo *albedo*, eademque ratione nullus *color*, tamquam *entitas absoluta* habenda non est. *Secundo*: perit *albedo* in spuma, dum ad pristinum statum redit. Nulla autem tunc destruitur *entitas absoluta*, quemadmodum nulla producitur, dum aqua spumescit. Ergo &c. *Tertio*: friabilia colorata corpora, si atterantur, suum *colorem* mutant, adeo nimirum, ut, ne ipso quidem nigerrimo marmore excepto, omnia tunc albescant. Nulla autem tunc in illis perit *entitas absoluta*, nulla ejusmodi *entitas* in illis tunc, ut patet, emergit. Ergo &c. *Postremo*: explicari hac in hypothesi minime potest, quamobrem ad *colores* conspiciendos *lumine* opus sit, & quomodo ad illorum visionem *lumen* ipsum concurrat. Ea etenim *absoluta* coloris *entitas*, quæ in colorato objecto fingitur, vel aliquid communicat *lumini*, quod resiliens ex objecto colorato spectatoris oculum ad *coloris* visionem determinat, vel nihil prorsus illi imprimit. Si nihil, ut proinde sit purum *lumen*, quod ex colorato objecto ad oculum pervenit, explicent, quæso Scholastici, quomodo visus organum ita ab eo *lumine* immutetur, ut *colorem* objecti, ex quo resilit, hinc visus conspiciat. Si autem *objectivus color* aliquid resilienti *lumini* communicat, quæro, an id sit *color* ei similis, a quo illud *lumini* imprimitur, num vero aliquid ab *objectivo colore* diversum. Si diversum: quomodo, quæso, visus organum potest ad *objectivi coloris* visionem ab illo determinari? Si vero a *colore objectivo* illud non differt: causa danda est, cur *color objectivus* opus habeat *lumine*, ut *colorem* sui similem ad oculos usque diffundat. Eccur enim ille *colorem* aeri non imprimit, quemadmodum corpora odora ex seipsis *odorem* suum per aerem spargunt, eique communicant? Sequitur præterea, quemadmodum *lumine* perfusum, ita & *colore* imbutum videndum esse medium, quod oculum inter, ipsumque coloratum objectum interiicitur. Hoc autem, experientia teste, falsum est. Ergo nihil *coloris* a *colorato* corpore *lumini* resilienti imprimitur; & ideo dicamus oportet, organum visus affici a *colore*, qui in objecto est, quin aliquid sui, a quo sensorium immutetur, *color* ipse emittat: quo sane nihil in Philosophia absurdius.

Dices, non a *lumine*, quod *coloratum* objectum regerit, sed a *speciebus* sui *coloris*, quas illud quoquoversus diffundit, visus organum

ad

ad *coloris* visionem determinari: verum illas *species* a colorato objecto non emitti, nisi objectum *lumine* perfusum fuerit.

Sed contra. Nam *primo* palam fieri debet, quomodo *lumen* ad illarum *specierum* productionem concurrat. Id enim nisi in aprico ponatur, dicent Recentiores, illud fingi a Scholasticis, ut verborum involucris contegant, quod ne ipsi quidem animo comprehendunt. *Secundo*: quia cum illæ *colorum species* non habeant contrarium, a quo perimantur (nihil certe hujusmodi assignari a Scholasticis potest) manebunt illæ in aere, in quo semel productæ sunt, etiam absente *colorato* corpore, a quo productæ dicuntur; quemadmodum in eodem aere conservantur *species odorum*, eo etiam sublato corpore, quod illas emiserat. Ergo, sicuti ablato corpore *odoro*, *odor* adhuc sentitur, ita *colorato* corpore absente, *color* adhuc videatur, necesse est. Experientia autem teste, contra res se habet. Ergo nullæ sunt illæ *colorum species*, quæ dicuntur quoquoversus a corpore *colorato* emitti. Non me latet, quod forte, ut nodum solvant, dicent illarum patroni, eas scilicet, non solum ut producantur, verum etiam ut conserventur in medio, per quod diffusæ sunt, a *lumine* dependere. At neque ignoro, id quidem posse dici, sed Delio natatore opus esse, ut mente comprehendatur. Sicuti enim *colores*, si ponantur *entitates absolutæ*, diversæ a *lumine*, ab illo non dependent, ut sint in corpore, ipsumque afficiant, ita ab eodem dependere iidem ipsi nequaquam possunt, ut sui *speciem* emittant, eamque in medio conservent, quemadmodum in emittendis conservandisque *odorum speciebus*, certum est, odora corpora ab illo non dependere.

V.

70. Quantum quoque a vero aberrent Scholastici, dum *sapores* inter *absoluta accidentia* recensent, satis ex eo patet, quod, ut ait Gassendus, & experientia verissimum esse demonstrat, *sapidum nihil sit, ex quo extrahere sal non detur; nihil sapidum, quod, extracto sale, non reddatur insipidum; nihil* demum *insipidum, quod, commixto sale, sapidum non fiat* (a). Sequitur enim hinc, corporum *sapores* non ab *absoluto accidente*, quod illorum substantiæ inhæreat, ipsamque afficiat, sed a salinis tantum particulis, quæ illis permixtæ sint, provenire. In eo siquidem positus corporum *sapor* est, quo in ipsis corporibus admisso, *sapida* fiunt, & quo sublato, *insipida* redduntur.

Dices, a salinis quidem particulis habere corpora naturalia, ut sint sapi-

(a) Sect. I. *Physices*, lib. VI. cap. 9.

sapida; verum salinas particulas non excitare in nobis sensum *saporis*, nisi ratione *accidentis absoluti*, quo singulæ afficiuntur.

Contra. Nam *primo* hinc sequitur, corrigendam esse eorum Scholasticorum sententiam, qui docent, *saporem* esse *accidens* ita afficiens sapidi corporis substantiam, ut ipsi toti inhæreat. Dicendum quippe tunc est, *saporem* esse *accidens* non corporis sapidi, sed salinæ dumtaxat substantiæ, quæ in illo delitescit; hancque tantum, non autem ipsius corporis substantiam ab illo affici. *Secundo*: quæro a Scholasticis, num *absolutum* illud *accidens*, quod *saporis* dicunt, valeat, uti *salinas*, ita & reliquas *sapidi* corporis partes, sive totam illius substantiam afficere, an non. Si potest: rationem postulo, quamobrem natura id reapse non præstiterit? Si non potest: causam requiro, cur non possit? Aut enim tota *sapidi* corporis substantia *homogenea* est, adeo nempe ut omnes particulæ, in quas illa dividi, sive resolvi potest, sint ejusdem naturæ; aut est *heterogenea*, scilicet ex particulis natura dissimilibus composita. Si primum: ergo omnes illius partes, non autem aliquæ tantum, nempe salinæ, debent esse ex æquo *sapidæ*, eodemque proinde *absoluto* saporis *accidente* omnes ex æquo donari; & ideo peccasse naturam, dicendum est, dum vim excitandi in nobis sensum *saporis* solis salinis particulis concessit. Sin vero alterum: ergo falluntur Scholastici, dum ajunt, naturalia quæque composita ex duplici *semisubstantia*, quarum una sit pura *potentia*, altera *actus*, *essentialiter* coalescere. Cum *heterogeneitate* siquidem partium, in quas valeant illa resolvi, ejusmodi compositio stare certe non potest. Quæro *postremo*, num salinæ particulæ sint *formaliter*, nempe quoad propriam naturam, in composito, cui *sapiditatem* tribuunt, an non. Si dicant Scholastici, eas in illo esse *formaliter*: ergo non dissimili ratione in ipso quoque sunt eodem modo *sulphur*, *spiritus*, ceteraque Chymicorum principia; ac propterea non ex *materia*, & *forma*, ut ipsi docent, sed ex principiis Chymicis, secus ac illi contendunt, naturalia quæque corpora *essentialiter* componuntur. Si vero dicant, *salinas* particulas non esse *formaliter* in mixto, explicent quæso, cur, quemadmodum experientia constat, *sapidum nihil sit, ex quo extrahere sal non detur;* nihil *sapidum, quod, extracto sale, non reddatur insipidum;* *nihil* demum *insipidum, quod commixto sale sapidum non fiat*: uno verbo, cur omnium corporum *sapiditas* ex uno sale proveniat.

Miror propterea, Cl. P. Ferrari concedere Recentioribus, *sales esse sapidos, & saporum efficientes* (a), sive ex salinarum particularum

(a) Tom. III.P.III.*Physicæ* Disp.III. q.2.pag.367.

rum *commixtione corpora reddi ſapida* (a). Vel enim ille tenet, ſalinas particulas eſſe *formaliter* in mixto, ſive in compoſito naturali, ut Recentioribus perſuaſum eſt, vel id nequaquam ipſe admittit. Si non: eccur *ſales* vocat *efficientes ſaporum*, & ex illorum commixtione, ait, corpora *ſapida* fieri? Quod enim in corporibus non eſt, nequit eſſe efficiens *ſaporum* cauſa; neque dici poteſt, ita illis eſſe commixtum, ut eorum *ſapiditas* inde proveniat. Si vero putat, *ſalinas* particulas eſſe *formaliter* in mixto, ſibimetipſi, niſi vehementer fallar, non conſentit, *primo* cum ſyſtema chymicum de rerum principiis adeo inficiatur, ut ratum habeat, *terram*, *aquam*, *ſal*, *ſulphur*, & *mercurium* ne quidem tamquam *principia* rerum *ſecundaria* haberi poſſe, hac potiſſimum ductus ratione, quod non ſatis perſpicuum ſit, *Chymicorum illas ſubſtantias per meram diviſionem detegi*; cum fieri abſolute poſſit, *ut eædem de novo prodeant* (b). Si namque *ſalinæ* particulæ ſint *formaliter* in mixto, in eodem quoque & particulas *terreas*, *aqueas*, *ſulphureas*, & *mercuriales* exiſtere *formaliter*, dicendum profecto eſt; cum ſi mixtum, caloris actione, diſſolvatur, omnes ex æquo in conſpectum veniant; nullaque ratio occurrat, cur particulæ *ſalinæ* non prodeant *de novo*, actione ignis, reliquæ vero, *terreæ* ſcilicet, *aqueæ* &c. *de novo* tunc fiant. Sibi non conſentit *ſecundo*, cum probat, ideo *elementa non eſſe formaliter in mixto*, *ſed tantum virtualiter*, tum quia *mixtum corpus eſſet aggregatum quoddam per accidens*, *ex pluribus completis naturis conſtitutum*; tum quia *quælibet mixti pars ad ſenſum homogenea eſt*, & *mixta*, *quantumvis ea minima ſit*, & *concipiatur*: cujus tamen oppoſitum contingeret; ſi *elementa* in mixto naturali *formaliter* exiſterent, quod nempe tunc, ut ille ait, in *qualibet vel minima mixti parte extarent quatuor minimæ partes elementorum* (c). Sibi, inquam, non conſentit; nam *ſalinis* particulis ſecundum *formalem* earum *rationem* in mixto admiſſis, fateri neceſſario debet Cl. Auctor, aut mixtum quodcunque eſſe *aggregatum per accidens*, quemadmodum, ipſius ſententia, illud eſſet ejuſmodi, ſi *elementa* non diſſimili modo in ipſo haberentur; aut dicat neceſſe eſt, *formalem* continentiam *elementorum* in mixto non impedire, quominus, contra ac ipſe aperte tradit (d), illud ſit *unum per ſe*, ſicuti non deſinit eſſe *per ſe unum*, tametſi *ſalinas* particulas *formaliter* complectatur. Dare quoque debet, vel non omnem partem mixti naturalis eſſe *homogeneam*, & *mixtam*, vel ipſam eſſe hujuſmodi, quamvis *elementa* non *virtualiter*, ſed *formaliter* contineat. *Homo-*

(a) Tom.III.P.III.*Phyſ.* Diſp.III. q.2 *p.* 368.
(b) Tom.II.P.I.*Phyſicæ* Diſp.I.q.4.*pag.* 47.
(c) Ibidem Diſp. II. q.3. *pag.* 73.
(d) Ibidem.

mogenea enim, & *mixta* illa est, licet particulæ *salinæ* secundum *formalem* suam *rationem* in ea existant.

V I.

71. Ad *odores* quod attinet, constat in primis, nullum *odorem* spargi a corporibus, quamvis natura sua intensissime olentibus, si vase *hermetice*, ut ajunt, sigillato inclusa existant. *Olio di cera*, inquiunt Academici Florentini, *quintessenza di solfo, ed estratto d'orina di cavallo, che si tengono per gli odori più acuti, e potenti, che sieno, non traspirano sensibilmente da un ampoletta sigillata a vetro, per molto che quelli vi si diguazzino, e che questa si riscaldi. Quell' alito ancora di finissimo spirito, che sfuma nel tagliar la buccia d'un cedrato acerbo, o che dalla stessa buccia premuta sprizzar minutamente si vede, non penetra a dar odore all'acqua, che in un vasetto di sfoglia sottilissima di cristallo ermeticamente sia chiusa. Similmente sigillata una starna in un sottil vaso di vetro, e rimpiattata in un angolo d'una stanza, da un Bracco fatto ragirare un pezzo in quella vicinanza, non vien dato segno di sentirne il sito* (a). Nemini ergo dubitare licet, quominus *odor* sit aliquod impenetrabile. At si hoc, prono alveo fluit, *odorem* non esse *accidens absolutum*, multoqne minus *speciem*, ut vocant, *intentionalem*, quæ per aerem a corpore *odoro* propagetur. Nimis apertum est enim, neque *absolutis accidentibus*, si qua in rebus existant, neque *speciebus intentionalibus* impenetrabilitatem convenire (§§. 19. 55.). Ergo *odores* non sunt *accidentia absoluta*.

Dices, *odores* non esse impenetrabiles, nisi *materialiter*, nempe quatenus impenetrabilis est *halitus substantialis*, cui inhærent, & sine quo non erumpunt e corpore *odoro*, neque per aerem diffunduntur.

Contra: nam hinc sequitur *primo* falsam esse eorum omnium Scholasticorum doctrinam (b), qui ajunt, *odores* etiam per *species intentionales* propagari. Si namque *odor* sine *substantiali halitu* non diffunditur, neque sine illo ad nos pervenit, nullæ certe sunt illæ *species*, nisi forte placeat, subtilissima *odori halitus* corpuscula *intentionalium specierum* nomine designare. Sequitur *secundo*, non *odoribus*, sed eorum vehiculo tribuendos esse effectus plurimos, qui vulgo *odoribus* ipsis

(a) Saggio di *naturali esperienze* pag. 263. edit. Florentiæ 1691.
(b) Videantur Conimbricenses q. 3. artic. 1. in cap. 9. lib. II. *de anima*.

ipsis accepti referuntur. Sic *odori* suavis thymiamatis tribui nequeunt syncopæ, lipothymiæ, suffocationes, apparentes epilepsiæ, convulsiones, vomitiones, aliaque permulta formidanda symptomata, quæ, illo *odore* hausto, in humano corpore, alioquin sano, repente contingunt, quæque *ab imperitis*, ut ait Cl. Boyle, *effecta sortilegii reputantur* (a). Hæc, inquam, non *odoribus* tribuenda sunt, sed, admissa superiori doctrina, ex illorum vehiculo unice sunt derivanda. Cum enim memorata omnia symptomata ab irritatis, contractis, convulsisque nervorum filamentis indubitanter proveniant, id dumtaxat efficiens eorum causa esse potest, quod, naribus attractum, valet *olfactoriorum* nervorum fibras, in quas incurrit, inordinate movere, constringere, & irritare; ac proinde quod est natura sua impenetrabile. Igitur *odores*, sumti *formaliter*, vel nihil sunt diversum ab *substantiali* illo *halitu*, quem *odorum* corpus diffundit, vel causa minime dici possunt eorum motuum, qui ex illorum haustu in nobis producuntur. Mirandum propterea est, Cl. P. Ferrari negare, *odorem consistere* formaliter *in substantiali effluvio, quod solo motu olfactum impellat* (b), dein docere, ideo *ex odoribus* excitari *sternutationem*, quia *quando halitus illi*, per quos, ut paulo antea & ipse cum Recentioribus aperte fassus est, *odor* diffunditur, *internas narium fibrillas percellunt, excitantur animales spiritus in cerebro, unde illi per nervos ad thoracis musculos deferuntur, ibique fibras contrahunt diaphragmatis, sive membranæ, quæ superiorem ventris partem ab inferiori dividit. Fibris autem illis repente laxatis, diaphragma elevatur, pulmones comprimit, aeremque emittens, strepitum edit* (c). Mirandum, inquam, est, *sternutationem* ita ab eo exponi, qui negat, in effluvio, quod solo motu olfactum impellat, *odores* consistere. Cum enim ex solo motu fibrarum nervearum ipse etiam, ut est modo visum, *sternutationem* derivet, dare vel invitus debet, aut illam non excitari ab *odoribus*, quod experientiæ plane contrarium est, aut substantiale *odoris* effluvium solo motu olfactum immutare. Quandoquidem sicuti *sternutatio*, ita & quævis alia affectio, quam *odores* in nobis excitant, potest ex solo motu provenire.

Constat *secundo*, corpus, quemadmodum habet a *salinis* particulis, ut sit *sapidum* (§. 70.), ita a *sulphureo-mercurialibus* habere, ut sit *odorum*. *Patet experimentorum enumeratione*, inquit Cl. Boerhaavius, *quod id*

(a) Lib. *de insigni efficacia effluviorum* cap. 6. Vide Verulamium *Syl. sylvarum* centur. X. num. 912., & seq, Boerhaavium Tom. IV. *Prælect. Acad.* in suas *Instit. Medicas* num. 507.

(b) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 3. pag. 371.

(c) Ibidem *pag.* 374.

id subtile, quod oleo inhærens, spiritus *dicitur*, *sit primarium illud, quod* odorem *excitat. Hoc enim absolute separato a corporibus odoratis, residuum vix fragrat; eo autem affuso, aliis fragrantia conciliatur* (a). Ergo *odor* non est *accidens absolutum*. Sicuti namque, si a volatili *sulphureo-mercuriali* substantia *odores* proveniunt, ea amplius non est illorum origo, quam tradunt Scholastici (non enim tunc oriuntur a *forma* mixti, quæ sit *semisubstantia*, totam ipsius mixti materiam, ejusque singulas partes integrales ex æquo perficiens) ita neque ea ipsorum natura tunc amplius esse potest, quam iidem ipsi constituunt. Principali siquidem nutante, etiam quod ex illo sequitur, omnino vacillet, necesse est; &, nisi mea me opinio fallat, ex traditis superiori loco de *saporibus* liquido apparet, inconsulto agere Scholasticos, qui, ne inficientur, quod, demonstrante experientia, negare non possunt, concedunt Recentioribus, ex volatili *sulphureo-mercuriali* substantia, in mixto *formaliter* existente, *odores* provenire; sed una simul docent, substantiam illam ab *absoluto* superaddito *accidente* habere *formaliter*, ut sit *odora*.

Sed longe minus profecto consuluisse sibi videtur laudatus Cl. P. Ferrari, *primo* dum negat, ideo halitus, per quos, ipso quoque docente, *odores* diffunduntur, esse *particulas sulphureas*, & *salinas* (b), propterea quia *falsa* alibi demonstraverit *Chymicorum principia*, & *omnino fallacia illorum experimenta*. Secundo: cum ait, *si crassæ, pinguesque partes nomine* sulphuris *donentur, jam sententiam istam*, scilicet Chymicorum ex *sulphureo-mercuriali* substantia *odores* derivantium, *cum sua coincidere* (c). Res enim si ita sit, eccur ipse paulo antea dixerit, *sales* esse *efficientes saporum* in corporibus (d), & *ex salinarum particularum commixtione corpora reddi sapida* (e)? Cum enim iis ipsis experimentis, quibus evincunt Chymici, *salinas* particulas in naturali mixto existere, etiam *sulphureas*, & *mercuriales* in eodem haberi demonstrent, causam non video, cur non fallantur, cum de particulis *salinis* res illis est, & corporum *sapores* ex illis derivant; fallantur vero, cum de *sulphureis*, & *mercurialibus* disserunt, ipsisque, ad volatilitatis gradum evectis, corporum *odores* referendos esse acceptos, arbitrantur? Necesse est igitur, aut inficietur Vir Cl., corporum *sapores* ex *salinis* eorum particulis oriri, aut concedat, sicuti *salinas*, ita etiam *sulphureas*, & *mercuriales* reipsa haberi in corporibus; atque uti *sapores* ex *salinis*, ita *odores* ex *sulphureo-mercurialibus*

(a) Tom.IV. *Instit. Medicarum* n.499.
(b) Loco citato Tom. III. *pag.* 371.
(c) Ibidem *pag.* 372.
(d) Ibidem *pag.* 367.
(e) Ibidem *pag.* 368.

libus rectissime a Recentioribus derivari. Sibi quoque non satis ille consentit, dum ait, Chymicorum opinionem de *odorum* origine cum sua coincidere, *si crassæ, pinguesque partes* (compositi naturalis) *nomine* sulphuris *donentur*. Enimvero, si *partes crassas*, & *pingues* ipse quoque cum Chymicis in composito naturali admittit, consectarium videtur, ut etiam *subtiles*, & *macras* in eodem composito cum illis & ipse ponat; atque hinc ut se hallucinatum fateatur, *primo* dum Chymicorum systema inficiatus est (a); *secundo*, dum naturalia quæque composita nonnisi ex *materia*, & *forma*, quales sibi assumunt, & explicant rigidiores Scholastici, coalescere statuit (b). Neque enim stare potest, ut aliquæ partes compositi naturalis sint *crassæ*, & *pingues*, aliæ *subtiles*, & *macræ*, nisi *primo* verum sit, quod de corporum principiis tradunt Chymici; *secundo*, nisi plane diversa statuatur *substantialis* illarum partium forma; ac proinde nisi detur compositum ipsum esse *unum* non *per se*, sed *per accidens*, quemadmodum, docente ipso Viro Cl. (c), ejusmodi illud esset, si vulgo nota elementa *formaliter* in eo existerent. Docet quidem laudatus Cl. Auctor, *salium, aliarumque rerum particulas*, quæ *in cujuslibet mixti poris* latent, *non ipsam mixti naturam facere, nec ad illius essentiam pertinere* (d); sibi persuadens, hac ratione iis ab se fieri satis, qui contendunt, *formalem* existentiam *elementorum* in mixto ex eo evinci, quod, licet *cineres, si sensum judicem adhibeas, partes habeant vel minutissimas sibi omnino similes, sola tamen aquæ calidæ affusione, & percolatione*, sal *in aqua remaneat, qui post aquæ exhalationem in vasis fundo, ac lateribus concrescit* (e). Verum penitus ignoro, quomodo stare tunc possit, quod ille deinde tradit, corporum nempe *sapores* a *salinis* eorum particulis; a *crassis* vero, *pinguibusque* eorundem partibus illorum *odores* provenire. Certum enim est, ipsiusmet etiam Cl. Adversarii sententia, *sapores*, atque *odores* esse proprietates corporis naturalis, quod afficiunt; & ideo id, ex quo proveniunt, ad ipsius corporis essentiam pertinere. Ait quippe, *formam substantialem* naturalis cujusque compositi *vim habere exigendi, producendi, ac etiam reparandi collectionem accidentium, quæ unicuique speciei propria est. Unde est causa immanens, seu intima omnium physicarum proprietatum* (f). Igitur vel *sapores* ex *salinis*, *odores* ex *crassis, pinguibusque* corporis partibus perperam ipse derivat, vel falso dixit, *salium, aliarumque rerum particulas*, in quas mixtum resolvitur, *non ad ipsam mixti naturam facere, nec ad*

illius

(a) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. I. q. 4. *pag.* 47.
(b) Ibidem q. 1. *pag* 16.
(c) Ibidem Disp. II. q. 3. *pag.* 73.
(d) Ibidem.
(e) Ibidem.
(f) Ibidem Disp. I. q. 1. *pag.* 14.

illius essentiam pertinere. Duo porro hisce addere liceat. Primum est, me non posse animo comprehendere, quomodo a partibus corporis *crassis*, & *pinguibus* ii halitus oriri queant, per quos *odores* diffunduntur. Alterum, opinionem Chymicorum cum sua, ut ille ait, coincidere, *si crassæ pinguesque partes nomine sulphuris donentur*. Cum enim *halitus*, per quos fit *odorum* diffusio, subtilissimi sint, maximeque actuosi, dicendum videtur, non a crassis, & pinguibus, sed a subtilioribus, solutioribus, vividioribusque *odori* corporis partibus illos provenire. Tantum quoque abest, *si crassæ, pinguesque partes nomine sulphuris donentur*, illud ipsum de *odorum* origine sentire Chymicos, quod docet Vir Cl., quin illis potius manifeste ipse tunc adversetur. Chymici enim non ex *crassis* & *pinguibus*, sed ex *subtilioribus*, *volatilioribusque* corporis *partibus* eos halitus oriri arbitrantur, in quibus ipsius corporis *odores* positos esse, contendunt.

VII.

72. Inter *qualitates*, quæ ad tactum pertinent, primus occurrit *calor*. Hunc definiunt Scholastici *accidens corporis absolutum*, *cujus proprium est*, *congregare homogenea*, *& heterogenea disgregare*. Falso tamen. Nihil certe minus verum est, quam *calorem* esse *accidens absolutum*; nihil magis a veritate alienum, quam proprium esse *caloris*, ut congreget *homogenea*, & *heterogenea* disgreget. Primum ostenditur ex eo, quod *calor* sit *entitas impenetrabilis*. Certo certius siquidem mihi est, nihil, quod natura sua sit impenetrabile, esse posse *accidens absolutum* (§. 19. 55.). Jam vero quod *calor* sit aliquod impenetrabile, demonstrant observationes plurimæ, quæ, cum cuique obviæ sint, verti a nemine in dubium possunt. *Prima* est, *calorem* non æque facile subire omnia corpora, sed facilius *fluida*, & *rara*, quam *dura* & *densa*. Facilius namque pervadit, afficitque aerem, quam aquam, & hanc facilius, quam lapides, & metalla. *Secunda*: *calorem*, ut ait Cl. Gravesandus, diu conservari in corpore, *si hoc aliis corporibus involvatur; & corpora diutius calorem servare, aut breviori tempore hunc amittere pro diversis, quibus involvuntur, corporibus* (a). *Tertia*: nullum corpus, sive *durum* illud sit, sive *fluidum*, posse *calorem* concipere, quin ea constanti lege tumefiat, & rarescat, ut, quo vehementior fuerit *calor*, quem concipit, eo major evadat illius *moles*, & *raritas*; minor vero, quo *calor* ipse fuerit remissior. *Quarta*: non omnia corpora, *caloris* actione, ex æquo dilatari, sed aliqua magis, minus

(a) Elem. *Physices* Mathem. §. 2526.

nus alia. *Apparet semper*, inquit Cl. Boerhaavius, *duo corpora ejusdem ponderis, & molis, quorum unum sit durum, alterum fluidum, in eo differre, quod ab eodem igne fluidum magis, solidum minus expandetur. Certe in omnibus*, pergit ille, *quæ exploravi, hæc ratio obtinuit* (a). Se quoque expertum fuisse testatur, *illos liquores, qui minus densi, aut leviores sunt aliis, semper eo plus rarescere ab uno, eodemque igne* (b). *Postrema* demum *observatio* est, nullum corpus *fluidum* incalescere, quin internæ illius partes tumultuarium motum concipiant, & ita quidem, ut major in illis tumultus ipse fiat, quo magis *calor* augetur; minor, quo magis *calor* minuitur. Constat quoque, metalla, aliaque *dura* corpora, vi & energia *caloris*, non dilatari solum, verum etiam liquescere, imo & instar *corporum fluidorum* ebullire. Ex hisce porro impenetrabilem *caloris* naturam demonstrari, rem perspicuam puto. Quod enim natura sua penetrabile est, æque facile tam *dura*, quam *mollia*, tam *rara*, quam *densa* corpora pervadit; a nullo, utut *duro*, & *denso*, circumambiente corpore impediri valet, ne erumpat; nulliusque demum corporis partes ita potest urgere, ut eas nedum extrorsum impellat, verum etiam divellat a se mutuo, & perturbate exagitet.

Dicent Scholastici, *calorem* non esse aliquod impenetrabile *per se*, sed tantum *per accidens*, scilicet nonnisi ratione subtilium corpusculorum, quibus inhæret, & quorum ope sese insinuat in corpora, & per aerem propagatur.

Verum contra est. Nam hinc sequitur *primo*, eos omnes Scholasticos errasse olim, & modo etiam errare, qui docuerunt, & docent, corpora incalescere, quatenus *calor*, tamquam *inhærens forma*, in eorum substantia recipitur. Dicere quippe debuissent, ut nunc dicunt propugnantque Recentiores, illa fieri *calida*, quatenus subtilissima quædam corpuscula, e calefaciente corpore erumpentia, illorum poros subeunt, perque eorum molem disperguntur.

Sequitur *secundo*, proprium non esse *caloris*, dilatare corpora, eorumque partes perturbato, & expansivo motu agitare. Non enim *calor* sumtus *formaliter*, sed subtilissima illa corpuscula, quibus *calor* inhærere dicitur, extrorsum urgent partes corporis, cujus poros subeunt, ipsasque partes ea sola impellunt; cum ad hosce præstandos effectus non aliud sane, quemadmodum consideranti patebit, requiratur, nisi ut illa corpuscula sint impenetrabilia, mole minima, & motu affecta. Igitur vel *caloris* sumti *formaliter* proprium non est, dilatare corpus, quod afficit, ejusque partibus expansivum perturbatum-

(a) Tom.I.*Chemiæ pag.68*.edit.Venetæ. (b) Ibidem.

tumque motum tribuere; vel nullum est *absolutum* illud *accidens*; quod corpusculis, a calorifero corpore indesinenter emissis; superaddunt Scholastici, & in quo *calor*, sumtus, ut ipsi ajunt, *formaliter*, ab iisdem collocatur. Quod si quis illorum dicat, expansionem, quæ fit in corpore, dum incalescit, motumque tumultuarium, qui in illius partibus tunc apparet, effectus esse *caloris*, non quidem *formaliter*, sed *materialiter* dumtaxat considerati, necesse est, ille simul explicet atque demonstret, quinam deinde sint effectus, qui a *calore* sumto *formaliter* proveniunt, & ex quibus propterea illius distincta efformatur notio, & existentia in corporibus a nobis demonstratur.

Dices, effectum proprium *caloris*, hoc modo sumti, esse disgregare *heterogenea*, & *homogenea* congregare.

Contra. Nam, si *caloris* sumti *formaliter* id proprium est, illius quoque eodem modo spectati erit proprium, dilatare corpora, dissolvere ipsorum partes, easque perturbate movere. Neque enim sine partium dissolutione, & motu potest *calor* disgregare, quæ *heterogenea* sunt, & congregare, quæ sunt *homogenea*. Proprium autem nequit esse *caloris*, dilatare corpus, quod afficit, ejusque partes perturbate movere, nisi, ut est modo visum, sit *entitas impenetrabilis*. Ergo, nisi *calor*, & quidem sumtus *formaliter*, sit *entitas* hujusmodi, proprium illius esse nequit, disgregare *heterogenea*, & *homogenea* congregare.

Audiendus propterea non est Cl. P. Ferrari, dum ait, *calorem esse formam accidentalem absolutam, quæ nata est raritatem inducere, heterogenea segregare, congregare homogenea, quæque cum motu ut plurimum jungitur, atque cum substantiali corpusculorum effluvio propagatur* (a). Si namque *calor* sit *forma accidentalis*, sive *accidens*, quale vulgo a Scholasticis definitur, memoratos effectus, utpote hoc ipso natura sua *penetrabilis*, præstare non potest. Neque inficiabitur Cl. Auctor, *calorem* esse *entitatem* natura sua *penetrabilem*; cum manifeste jam antea docuerit (b), *naturalem impenetrabilitatem* soli *quantitati*, a qua *calor*, utpote *qualitas*, illius etiam judicio (c), plane distinguitur, convenire. Peccare insuper videtur Vir Cl., ponendo, *calorem* non semper, sed tantum *ut plurimum*, conjungi cum *motu*, & cum *substantiali corpusculorum effluvio* propagari. Si enim *calor* neque semper sit cum *motu*, neque semper cum *substantiali corpusculorum effluvio* diffundatur, corporibusque communicetur, incalescere quandoque poterunt corpora, quin rarescant, sicuti etiam quin disgregentur *heterogenea*, quæ in illis sunt, & *homogenea* congregentur. Nul-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 3. *pag.* 232.

(b) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sec. I. cap. 6. *pag.* 60.

(c) Ibidem *pag.* 61.

Nullum quippe corpus rarefieri potest sine *motu*, & nisi id, cujus actione dilatatur, sit aliquod non solum *motu* affectum, verum etiam *impenetrabile*. Præterea, si *calor* aliquando sine motu est, ostendat, quæso, Vir Cl., undenam in corporibus colligi existentia *caloris* possit, sive quænam sit ea *caloris* proprietas, per quam formetur distincta illius notio, ejusque existentia in corporibus perpetuo dignoscatur. Probat porro Cl. Auctor, *calorem esse formam accidentalem absolutam* ex hoc, quod *calor multis corporibus modo insit, modo non insit, integra remanente eorum natura;* ex hoc vero ostendit, *calorem* non semper, sed *ut plurimum* dumtaxat *cum substantiali corpusculorum effluvio* propagari, quod *verisimile non sit, corpora nunc calida fieri, nunc secus, per ingressum, vel egressum corpusculorum calidorum. Nam,* inquit, *in quacunque parte ebullientis aquæ calor percipitur; cum tamen incredibile sit, calida corpuscula in omnibus aquæ particulis reperiri* (a). Verum neutra harum rationum, si penitius inspiciatur, intentum evincit. Certe non prima. Ex eo enim, quod *calor* modo corporibus insit, modo absit, integra remanente eorum natura, sequitur quidem, *calorem* contingenter advenire corporibus, adeoque tamquam illorum *accidens* spectari debere; at non sequitur, illum esse *accidens physicum absolutum*, quale ab ipso cum Scholasticis definitur. Potest quippe corporibus contingenter advenire *calor*, quamvis sit vel tantum *affectio modalis*, vel *accidens logicum*, nempe *effluvium substantiale*, cujus tota vis in expansivo perturbatoque motu, ut Recentiores ajunt, consistat. Sed neque secunda assumtum probat. Si namque non est verisimile, corpora fieri *calida* per calidorum corpusculorum ingressum, idcirco quia in *quacunque parte ebullientis aquæ calor percipiatur*, dicamus oportet, nullum corpus sive *solidum*, sive *fluidum* hoc modo *calidum* fieri; propterea nimirum quia nullum penitus sit corpus *calidum*, in cujus qualibet, utut exigua, parte *calor* non deprehendatur. Aut igitur nullum corpus per ingressum calidorum corpusculorum fieri *calidum* dicendum est, ac proinde *calorem*, non *semper*, nec *fere semper*, ut ait Cl. Adversarius (b), sed nunquam, *cum substantiali calidorum corpusculorum effluvio* conjungi, aut dicere vel inviti debemus, omne corpus per ingressum calidorum corpusculorum *calidum* evadere; adeoque illum errasse dum scripsit, *calorem fere semper* (c), sive *ut plurimum* (d), adeoque non semper, cum illo *substantiali effluvio* propagari. Ceterum, cum etiam P. Ferrari, explicans *caloris* effectus doceat, aquam incalescere, & ebulli-

(a) Loco citato *pag.* 232.
(b) Ibidem *pag.* 231.
(c) Ibidem.
(d) Ibidem *pag.* 232.

re, quatenus ignita corpuscula illam subeunt (a), consequens videtur, ut vel etiam ipse dicat, non *in quacunque parte ebullientis aquæ calorem percipi*; & ideo falso hinc collegisse, *calorem* non semper, sed *ut plurimum*, cum substantiali *corpusculorum calidorum* effluvio propagari; vel id concedat necesse est, quod censuit *incredibile* (sed melius dixisset *naturaliter* impossibile) *calida* scilicet *corpuscula in omnibus aquæ particulis reperiri*.

Videndum modo est, an ita proprium sit *caloris*, disgregare *heterogenea*, & *homogenea* congregare, ut recte Scholastici, Aristotelem sequuti (b), per hanc vim *calorem* ipsum definiant. Dico ergo, experientiæ id minime consentire. Constat enim, terebinthinam, aliaque resinosa corpora ita cum cera, *caloris* actione, confundi, ut unum idemque plane corpus inde consurgat. Idipsum fieri in metallis, perspicuum cuique est. Etenim, si eorum plura in eodem simul vase, valido admoto igne, liquescant, minimæ eorundem particulæ miscentur adeo inter se, ut genus aliud metalli ab illis plane diversum hinc factum esse videatur. Demum, ut paucis dicam, nulla mixtio fit sine *calore*. Jam vero proprie non miscentur inter se, nisi quæ sunt natura dissimilia, nempe *heterogenea*. Ergo tantum abest, *heterogenea*, vi *caloris*, disgregari, ut potius sit dicendum, ea, *caloris* actione, simul confundi. Falsum quoque est, quæ ejusdem sunt generis, *calore* contrahi. Observante enim Cl. Malebranchio, *calor partes aquæ non congregat; illas potius in vapores dissipat. Non congregat partes vini, nec partes cujuslibet alius liquoris, seu corporis fluidi, immo nec partes argenti vivi. Contra omnia corpora solida, & fluida, homogenea, & heterogenea resolvit, & disgregat. At si quædam sint, quorum partes ignis non possit dissipare, id non fit, quod sint ejusdem naturæ, sed quia sunt crassiores, & solidiores, quam ut possint abripi motu partium ignis* (c). Itaque contra experientiam manifeste peccant Scholastici, dum proprium esse dicunt *caloris*, congregare *homogonea*, & *heterogenea* disgregare.

Respondet Cl. P. Ferrari cum Philopono, *per homogenea*, quæ dicuntur *calore* congregari, *non intelligi ea solum, quæ eandem habent naturam substantialem, sed etiam illa, quæ in liquabilitate, vel gravitate, aut levitate, vel in alia simili complexione conveniunt; præsertim vero illa, quæ similem habent partium contexturam, sive materiæ consistentiam. Ita per etevogenea*, quæ *calore* segregari dicuntur, *intelligi illa, quæ in his affectionibus discrepant, licet aliquando sint ejusdem naturæ* (d). Sed

(a) Loco citato *pag.* 237.
(b) Lib.II.*de gen. & corrupt.* tex. 8.
(c) Lib. IV. *de inquirenda veritate* cap. 5.
(d) Tom.II.P.I.Physicæ Disp.IV.q.3.*p.*230.

Sed contra. Nam metalla genere diſſimilia, ut aurum, argentum, cuprum, ferrum, &c. differunt in *gravitate*, & *liquabilitate*, ut eſt perſpicuum. Igitur, ſi *heterogenea* dicantur, *quæ in his affectionibus diſcrepant*, dare P. Ferrari vel invitus debet, metalla eſſe corpora *heterogenea*. Hæc autem omnia ſimul *calore* miſcentur. Ergo ea etiam corpora miſcentur *calore*, quæ, illius judicio, ſunt *heterogenea*. Similiter partes aquæ, ſicuti etiam argenti vivi, id totum habent, quod in illis poſtulat Vir Cl., ut *homogeneæ* cenſeantur. Similem certe *habent partium contexturam*, *ſive materiæ conſiſtentiam*. Illæ autem, experientia teſte, nedum diſgregantur a *calore*, ſed diſſipantur. Ergo ea etiam, quæ laudatus Auctor *homogenea* cenſet, a *calore* diſgregantur. Vel igitur nulla hæc *homogeneorum*, & *heterogeneorum*, a Philopono tradita, & a P. Ferrari adoptata, explicatio eſt; vel nulla eſt ea *caloris* proprietas, quam illi tam acriter in ipſo propugnant.

Reſtat igitur, dicamus cum Cl. Boyle, *veram*, *&* *genuinam* caloris *proprietatem eſſe*, *in motum ciere*, *&* *hoc ipſo diſſociare corporum partes*, *eaſque in minutas particulas ſubdividere*, *nullo habito*, *ſintne* homogeneæ, *an* heterogeneæ, *reſpectu*, *uti in aquæ ebullitione*, *in mercurii diſtillatione*, *corporumve actioni ignis expoſitione patet*, *quorum partes vel non ſunt*, *vel ſaltem eo* caloris *gradu non apparent*, *diſſimilares*: *ubi totum*, *quod præſtare ignis poteſt*, *eſt dividere corpus in perpuſillas partes*, *quæ ejuſdem ſunt naturæ ſecum invicem*, *&* *cum ſuo toto*, *ut earum reductio per condenſationem evincit*. *Atque etiam tunc*, *quando* congregare homogenea, *&* heterogenea ſegregare *ignis videtur*, *nonniſi* per accidens *effectum illum producit*. *Ignis enim dumtaxat diſſolvit cæmentum*, *vel potius compagem illam*, *ſive ſtructuram disjicit*, *quæ partes corporum heterogeneas ſub una communi forma conſtrictas tenebat*, *qua facta diſſolutione*, *componentes mixti particulæ diſcinctæ*, *&* *libertatem nactæ*, *naturaliter*, *&* *ſæpe ſine ulla ignis operatione*, *ſuis quæque ſimilibus ſeſe aſſociant*, *vel potius loca illa capiunt*, *quæ diverſi gradus* gravitatis, *vel* levitatis, fixitatis, *vel* volatilitatis, *ſive naturalis*, *ſive ab impreſſione ignis accerſitæ*, *ipſis aſſignant* (a). Hinc, cum ex nullo effectu *per accidens* recte deſcribi res poſſit, peccant Scholaſtici non in eo ſolum, quod *calorem* dicant *accidens abſolutum*, verum etiam in eo, quod per vim diſgregandi *heterogenea*, & *homogenea* congregandi, tamquam per proprietatem illius principem, *calorem* ipſum definiant. Igitur neque Cl. P. Ferrari audiendus eſt, dum ait, *hanc eſſe* caloris *vim*, *ut homogenea congreget*, *&* *ſegreget eterogenea* (b); præſertim, cum vis hujuſmodi nonniſi *per accidens*, illius

L 2 quo-

(a) P. I. *Chemiſtæ Sceptici*.

(b) Tom. II. P. I. *Phyſicæ* Diſp. IV. q. 3. *pag.* 230.

quoque judicio, *calori* insit. Inquit enim: *dum* calor *corpora quaque exagitat, & rarefacit, tum partes corporum graviores subsidunt, leviores vero sursum evehuntur.* Et infra: *cum* calor *per virtutem relaxandi, & rarefaciendi, concretionem, & colligationem illorum corporum tollat, idcirco quodlibet corpus ad locum propria gravitati debitum fertur* (a). Sentit ergo cum Boyle, *veram, & genuinam* caloris *proprietatem esse in motum ciere, & hoc ipso dissociare corporum partes*; has vero *discinctas, & libertatem nactas, naturaliter, & sape sine ulla ignis operatione, suis similibibus* singulas *sese associare, vel potius loca illa capere, qua diversi gradus gravitatis, vel levitatis, fixitatis, vel volatilitatis, sive naturalis, sive ab impressione ignis accersita, ipsis assignant*; ac proinde *calorem* non *per se*, sed tantum *per accidens* disgregare *heterogenea*, & *homogenea* congregare; unde peccat Vir Cl., dum per segregandi *heterogenea*, & *homogenea* congregandi *calorem* describit.

Negat tamen Cl. Auctor, *calorem* nonnisi *per accidens* ad hunc effectum concurrere, propterea nimirum quia *ad rarefactionem, & relaxationem ope* caloris *factam sequatur per se, semper, & necessario* (*si nihil aliud violenter obsit*) *congregatio* similium, *&* dissimilium *secretio. Quare, cum* calor *concurrat ut causa* per se *determinata ad obicem illum tollendum, quo pradicti effectus impediuntur; ideo*, inquit, *calor causa dicitur* per se *illorum effectuum* (b). Verum, ut aliquid vere sit, recteque dicatur *causa per se* alicujus effectus, satis esse, ut illud sit *per se determinatum ad obicem illum tollendum, quo pradictus effectus impeditur*, neminem Philosophorum arbitror fore, qui huic doctrinæ sese subscribat. Nihil enim communicat effectui, quod obicem dumtaxat removet, a quo illius productio prohibetur; nimisque alienum a ratione est, id statuere *causam per se* alicujus effectus, quod illi nihil plane communicat. Et sane, cum remotio obicis non sit, omnium Philosophorum judicio, nisi conditio prærequisita ad productionem effectus, vel id omne dicendum est *causa per se* alicujus effectus, quod tantum aliquam conditionem ponit ad illius productionem prærequisitam, vel inficiemur oportet, id esse *causam per se*, quod obicem tollit dumtaxat, a quo productio effectus prohibetur; ac proinde negemus necesse est, ideo segregare *heterogenea*, & *homogenea* congregare esse *caloris* effectum *per se*, quia *calor* obicem illum tollit, *quo pradicti effectus impediuntur*. Miror autem, Virum ipsum Cl.

(a) Tom II. P. I. *Physica* Disp. IV. q. 3. pag. 230.
(b) Ibidem *pag.* 235. in responsione *ad instantiam, ejusque confirmationem* post objectionem 5.

Cl. paulo antea dixiſſe, ideo motum non eſſe *cauſam* caloris *per ſe*, ſed tantum *cauſam per accidens* (a), quia motus *calorem* non producat, ſed efficiat tantum, ut calida corpuſcula, in corporibus, quæ motu incaleſcunt, deliteſcentia, libertatem nanciſcantur. En illius verba: *Eſt motus cauſa* caloris *tantummodo* per accidens. *In viventibus enim motus* dicitur *cauſſare* calorem, *quatenus efficit, ut ſpiritus animales evocentur ad cutem, & ad exteriores partes accedant. Illi autem ſpiritus, cum ſint calidiſsimi*, calorem *excitant. Ita ergo manus mutua perfricatione incaleſcunt, quatenus per motum calidi ſpiritus ad cutem excitantur. In non viventibus vero motus eſt cauſa* caloris, *ſed in iis tantum corporibus, quæ valide inter ſe conteruntur, & quorum alterum ſaltem ſit calidum, vel calidiora corpuſcula in ſuis meatibus contineat. Nam tunc vel corpuſcula illa extrahuntur per motum, & rareſiunt, vel aer circumambiens purior per motum redditur, & ab eo ſeparantur craſsiores, & frigidi halitus, unde poſt rarefactionem ex ſui natura incaleſcit; atque exinde* calor *diffunditur. Itaque* caloris *cauſa* per ſe *tunc eſt aer, vel illa corpuſcula, raritas eſt diſpoſitio, motus vero eſt* cauſa per accidens (b). Hæc ille. Velim ergo, explicet Vir Cl., quomodo *calor* ſit *cauſa per ſe* diſgregationis *heterogeneorum*, & congregationis *homogeneorum*, licet nonniſi obicem tollat, *quo*, ut ipſe ait, *prædicti effectus impediuntur*; contra vero motus non ſit *cauſa* caloris, niſi *per accidens*, quamvis etiam ille nonniſi impedimentum auferat, quo calida corpuſcula in corporum meatibus detinentur.

VIII.

73. Ex modo traditis de *calore* difficile non eſt oſtendere, neque *frigus* haberi poſſe tamquam *accidens abſolutum*, neque per vim congregandi, tam quæ ejuſdem, quam quæ diverſi ſunt generis, illud poſſe, ut vulgo fit a Scholaſticis, definiri. Utrumque enim ſatis manifeſte ex eo patere arbitror, quod *frigus* oppoſitione contraria *calori* adverſetur. Enimvero, cum hinc ſequatur, *calorem*, & *frigus* contineri ſub eodem genere proximo qualitatis, dicendum neceſſario eſt, ſi *calor* non ſit *accidens abſolutum*, neque *frigus* ſimile *accidens* eſſe poſſe. Similiter, cum contrarii debeant eſſe effectus, quos *calor*, & *frigus* in corporibus producunt, ſi *calor* congregat *homogenea*, & *heterogenea* diſgregat, debet *frigus* ex adverſo congregare *heterogenea*, & *homogenea* diſgregare.

Reſpondet Cl. P. Ferrari, *poſſe eundem effectum a contrariis cauſis* pro-

(a) Loco citato *pag.* 231. (b) Ibidem.

procedere, quando pluribus, & diversis modis obtineri potest, ut res se habet in homogeneorum *congregatione, quæ effici potest & per* rarefactionem, *& per* condensationem. *Ceterum* (pergit ille) *aliud est, sola* homogenea *congregare, quod* caloris *proprium est; aliud vero congregare* homogenea, *&* heterogenea *simul, quod convenit* frigori (a).

Sed contra. Etenim *primo* paradoxum est, eundem effectum a caussis contrariis per contrarias actiones posse produci. Paradoxum est enim, tam a glacie, quam ab igne æque posse manum calefieri. Rationem certe non video, cur id fieri non possit, si potest fieri, ut idem effectus a caussis contrariis, contrariis modis producatur, nimirum si congregari queant *homogenea* tam a *calore* per *rarefactionem*, quam a *frigore* per *condensationem*. *Secundo*, si *calor* non unit *homogenea*, nisi quatenus corpora rarefacit, neque *frigus* illud ipsum præstat, nisi quatenus corpora condensat, sequitur, congregare *homogenea* non esse *caloris*, *&* *frigoris* effectum *per se*, sed tantum *per accidens*. Profecto, sicuti, teste ipso P. Ferrari, *frigus* per accidens *vasa disrumpit, quatenus, cum vim habeat condensandi, & constringendi nimium illorum partes, istæ ab aliis scinduntur, dum eas secum trahere agglutinatas non queunt* (b); ita nonnisi *per accidens* tam *homogenea*, quam *heterogenea* congregantur a *frigore*; cum id ab illo quoque non fiat, nisi quatenus partes corporis, quod afficit, simul devincit. Si autem tantum *per accidens*, tum quæ ejusdem, tum quæ diversi sunt generis, *frigus* congregat, manifeste sequitur, id neque posse proprium esse *frigoris*, neque per illud, quemadmodum de *calore* diximus, posse *frigus* legitime definiri. Ergo vel fallitur Vir Cl., dum ait, *homogeneorum* congregationem idcirco fieri tam a *calore*, quam a *frigore*, quia tam per *rarefactionem*, quæ a *calore* efficitur, quam per *condensationem*, quæ provenit a *frigore*, oriri illa potest; vel peccat, dum Aristotelem sequutus (c) docet (d) *frigus* esse id, quod *homogenea*, simul ac *heterogenea* congregat. Nullus postremo negabit Cl. Auctori, aliud esse sola *homogenea*, aliud *homogenea*, simul ac *heterogenea* congregare; sed nemo quoque illi dabit, id sufficere, ut per hujusmodi effectus *frigus* a *calore* distinguatur. Necesse est enim, ut illi effectus non solum dissimiles, verum etiam contrarii sint inter se, cujusmodi sane non sunt, congregare sola *homogenea*, & congregare *homogenea*, simul ac *heterogenea*, ut est perspicuum.

Ce-

(a) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. IV. q. 4. *pag.* 243. in *responsione* ad confirmationem *objectionis* tertiæ.

(b) Ibidem *pag.* 242. in *responsione* ad objectionem tertiam.

(c) Lib. II. *de gen*, & *corrupt.* tex. 8.

(d) Loco citato *pag.* 241.

Ceterum ex iis etiam, quæ *frigoris* actione in corporibus contingunt, manifeste colligitur, *frigus* non esse *accidens absolutum* in sensu Scholastico. Constat enim, *frigus* densare corpora, quæ afficit; dura ipsa reddere, si mollia fuerint; liquores plurimos in consistentem massam mutare, motumque eorum intestinum compescere (a). Certum est autem, effectus hujusmodi provenire non posse, nisi ab *entitate*, quæ partes corporis premat, & contra se invicem urgeat; atque adeo quæ sit impenetrabilis. Hujusmodi autem esse nequit, si fuerit *accidens absolutum* (§. 55.). Ergo &c.

Dices, *frigus* esse quidem aliquod impenetrabile, non tamen secundum se, sive *formaliter*, sed tantum *materialiter*, nempe ratione corpusculorum, quibus inhæret, & quibus, tamquam vehiculo, diffunditur, & corporibus communicatur.

Sed contra primo: si enim corpora frigescunt per receptionem frigidorum corpusculorum, ii omnes Scholastici olim errasse, & modo etiam errare dicendi sunt, qui docuerunt, & docent, frigescere corpora, quatenus *absolutum accidens*, quod vocant *frigoris*, in illorum substantia producitur.

Contra 2. Nam hinc sequitur, densare corpora, dura reddere, quæ mollia sunt, liquores plurimos in consistentem massam mutare, motumque perturbatum, & expansivum internarum partium corporis retardare, atque etiam sistere, non esse effectus *frigoris*, sed illorum corpusculorum, quibus illud inhærere dicitur; & ideo perperam per illos effectus *frigus* describi.

Contra 3. Sequitur enim, proprium non esse *frigoris*, tum quæ ejusdem, tum quæ diversi sunt generis, congregare. Cum enim id non contingat in corporibus, nisi quatenus densantur a *frigore*, eorumque partes simul ab illo devinciuntur, non *frigori*, sed corpusculis, quibus ipsum inhæret, & vehitur, *homogenorum*, & *heterogeneorum* congregatio tribuenda est, sicuti id ex illis unice provenit, quod congregatio ipsa consequitur. Peccat idcirco Cl. P. Ferrari, dum *frigus* definit *formam accidentalem absolutam, quæ nata est, densitatem inducere, homogenea, & heterogenea congregare* (b). Nam, cum illa *forma* sit *entitas* natura sua penetrabilis, nequit densitatem tribuere corporibus, neque potest, tam quæ ejusdem, quam quæ diversi sunt generis, congregare.

Peccat quoque idem Vir Cl., dum admittens, *in frigoris communicatione, & propagatione corpuscula frigida diffundi*, negat, *in illis consi-*

(a) Vide quæ diximus in *Physica* Tom. I. §. 864., & seq.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 4. pag. 241.

stituendam esse frigoris naturam; quia, inquit, *experientia constat, totam pene aquam frigidam reddi; quare nec probabile est, nec verisimile, tunc aquam ex totidem frigidis corpusculis compactam esse* (a). Quando enim ait, constare experientia, *totam pene aquam frigidam reddi*, vel ita sumit *totam*, ut velit, etiam minimas penitusque insensibiles illius particulas *frigidas* evadere; vel ita, ut nonnisi de partibus aquę sensibilibus velit intelligatur. Si primum: scire optarem a Viro Cl., quomodo illud experientia cognoverit. Nullum quippe in particulis aquæ minimis penitusque insensibilibus fieri a nobis periculum potest, quo eas esse *frigidas*, cognoscatur. Sin alterum: vellem ostenderet Vir Cl., quomodo constet experientia, sensibiles partes aquæ non fieri *frigidas* per receptionem *frigidorum corpusculorum*; sicuti etiam *quare*, ut ipse ait, *non sit probabile, nec verisimile, aquam*, dum frigida evadit, *ex totidem frigidis corpusculis compactam esse*, quot nempe, ut puto, necesse est in ea habeantur, ut *tota* quoad sensum frigida a nobis sentiatur. Nonne constat experientia, *dulcem* nobis videri totam aquam, quæ in vase est, licet nonnisi per admixtionem dulcium corpusculorum sacchari in ea dissoluti dulcedinem contrahat? Nonne docet ipse, *experimenta ostendere, frigida corpuscula diffundi, atque ex illorum communicatione alias etiam res frigidas effici* (b)? Si enim aqua non fit *frigida* ex communicatione *frigidorum corpusculorum*: ergo neque res aliæ hoc modo fiunt *frigidæ*; cum & illæ, perinde ac aqua, quoad omnes suas partes nobis *frigidæ* appareant. Si vero aliæ res hac modo fiunt *frigidæ*: ergo eadem ratione etiam aqua *frigida* hoc modo efficitur. Sibi igitur contradicit Cl. Auctor, quocunque se vertat.

IX.

74. *Arida* corpora non propterea humectari, quod *absolutum* aliquod *accidens* illis adveniat, neque ea, humida jam facta, idcirco exsiccari, quia *accidens* haud dissimile ipsa deperdant, facile ostenditur. Constat enim, corpora *arida*, dum aquæ immersa humectantur, notabiliter intumescere, mollia fieri, eorumque pondus augeri, & eo quidem magis, quo magis ipsa humescunt. Vicissim vero, dum humectata arescunt, constat, sensim decrescere eorum molem, durescere, si mollia antea fuerant, eoque demum leviora evadere, quo fiunt aridiora. Certum est autem, per *humiditatem*, quæ sit *accidens absolutum*, adeoque *entitas* penetrabilis, fieri non posse, ut augeatur

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 4. assert. 2. *pag.* 238.

(b) Ibidem.

tur moles corporis, in quo recipitur, laxentur illius fibræ, ſique *durum* fuerit, *molle* reddatur, ejuſque pondus creſcat; neque viciſſim per haud diſſimile *accidens* vel *humiditatis*, quæ recedat, vel *ſiccitatis*, quæ adveniat, poſſe fieri, ut corporis magnitudo minuatur, *durum* illud evadat, leviuſque, ac *rigidum*. Ergo corporum humectatio, & exſiccatio non fiunt per *accidens abſolutum*, quod vel adveniat illorum ſubſtantiæ, vel ab illa recedat.

Compertum præterea experientia eſt, corpora, quo *denſiora*, & *duriora* ſunt, difficilius humectari; citius vero, quo ſunt *molliora*, atque *rariora*. Si autem per receptionem *accidentis abſoluti* fieret humectatio, æque facile, ſive *durum*, & *denſum*, ſive *molle*, & *rarum* ſit corpus, illa in eo perficeretur. *Abſolutum* ſiquidem *accidens*, utpote natura ſua penetrabile (§. 55.), æque facile in *duro*, & *denſo*, ac in *molli*, & *raro* corpore, ut eſt perſpicuum, recipitur. Ergo per receptionem *accidentis abſoluti* non fit corporum humectatio.

Demum, ſi *humiditas*, & *ſiccitas* eſſent *accidentia abſoluta*, ſimul in eodem ſubjecto, utpote contraria, componi nequirent; & ideo, adveniente *humiditate*, periret *ſiccitas* in corpore; neque *ſiccum*, *humiditate* recedente, illud evaderet, niſi nova *entitas abſoluta* in ipſo produceretur. Teſte autem experientia, contrarium accidit. Conſtat enim, humectatum corpus exſiccari, tum ſi adeo comprimatur, ut totus, qui in illius poris latet humor, exiliat; tum ſi, caloris, ventorumque vi, & energia, humor ipſe attenuetur, & diſpergatur. Ergo *humiditas*, & *ſiccitas* non ſunt *accidentia abſoluta*.

SCHOLION I.

75. Exſiccari corpora, non quia *abſolutum* aliquod *accidens* in illorum ſubſtantia ab exſiccante agente producatur; ſed quia tantum, qui in eorum poris latet humor, diſſipetur, docuit etiam Ariſtoteles, dum ait, omnia a *calore* exſiccari *vel interiore, vel exteriore, humorem in vaporem eliciente* (a).

SCHOLION II.

76. Neque corpus *humidum*, ſive *humectans* a *fluido*, neque *ſiccum* a *ſolido* ſecernit Cl. P. Ferrari (b). *Humidum* quippe definit id, quod

 alieno

(a) Lib. IV. *Meteorum* cap. 5.
(b) Tom. II. P. I. *Phyſicæ* Diſput. IV. q. 6. *pag.* 250.

alieno facile termino terminatur, difficile suo; id vero *siccum* appellat, *quod suo facile termino terminatur, difficile alieno*. Docet præterea (a), *id consentaneum esse rationi, atque experimentis*; *nisi*, inquit, *quis velit, expositas a nobis* humidi, *&* sicci *definitiones suo tantum sensu usurpare, non nostro*. At vel falsa hæc sunt, vel sibimetipsi ille manifeste adversatur. Falsa sunt, si ignis ponatur corpus apprime *siccum*. Ignis enim fluidissimus est; cum, ut patet in flamma, facillime alieno, nullatenus autem suo termino comprehendi possit. Sibi vero ille aperte adversatur, si velit, ignem esse *elementum humidum*; cum disserens ipse de elementorum qualitatibus, doceat, *in igne calorem cum* siccitate *componi* (b) agens vero de ignis natura, eum definiat, elementum, cujus natura exigit, cetera inter, *siccitatem* (c). Adde, ejusdem sententiam esse, ignis naturam postulare *intestinum motum suarum partium, quo objecta corpora dissolvat* (d). Quomodo ergo ignis *siccus* esse potest, si corpus *siccum*, ut ille tradit, idem sit, quod *solidum*; *solidum* vero ab ipso dicatur, *cujus partes*, ut ipse ait, *ramorum instar, invicem sese arctius complectuntur, unde & motui, ac divisioni resistunt, & proprio termino facile continentur* (e)?

Respondet Cl. Auctor, *flammam fornacis ægre, & per vim a fornace terminari, unde huc atque illuc discurrit, ut foras erumpat, ac, si concavum clibani lambit, hoc ideo facere, ut quam brevi circuitu foras evadat. At corpora humida sponte sua sese figura continentis accommodare, & in eo conquiescere* (f).

Contra: nam hinc sequitur, neque aquam esse *humidam*, quod ipsa quoque nonnisi ægre, & per vim a vase, ut flamma a fornace, terminetur. Sicuti enim flamma sursum continuo tendit, ita aqua deorsum moveri continuo nititur; & quemadmodum illa huc illucque discurrit, & clibani concavum lambit, ut brevi circuitu ex illo erumpat, ita hæc premit vasis fundum, ejusque latera indesinenter urget, ut ex ipso exiliat. Itaque vel neque aqua *fluida* est, vel etiam flammam *fluidam* dicamus oportet; & ideo, si *humidum* idem plane sit, quod *fluidum*, ignis non maxime *siccus* natura sua dici debet, sed apprime *humidus*.

Addit Vir Cl., *neque tandem ignem siccum esse, & non solidum. Quod enim*, inquit, *propriis terminis non cohibeatur, neutiquam evincit, aut solidum non esse ignem, aut siccitatem idipsum non exposcere. Sed aliunde id repetendum est. Nempe quia calor in igne prædominatur sicci-*

(a) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. IV. q. 6. *pag.* 250.
(b) Ibidem Disp. II. q. 1. *pag.* 61.
(c) Ibidem q. 5. *pag.* 112.
(d) Ibidem.
(e) Ibidem Disp. IV. q. 6. *pag.* 260.
(f) Ibidem *pag.* 25[illegible].

ſiccitati, ex quo fit, ut moderatio ſiccitatis vincantur voracitate caloris omnia depaſcentis, & ad propinquam materiam expandentis ſeſe, ut diutius per alimentum queat conſervari (a).

Verum contra eſt. Nam vel ſummus *calor* in igne ita prædominatur *ſiccitati*, ut illam deſtruat, vel non. Si primum: ergo *calor* nequit cum *ſiccitate* componi; & ideo ignis ſumme *calidus*, ſimulque *ſiccus* eſſe non poteſt; unde fallitur Cl. Auctor, ignem definiens *elementum, cujus natura exigit ſiccitatem, & potiſſimum ſummam caliditatem* (b). Nimis certe repugnat, ignem poſtulare natura ſua affectiones illas, quæ in eodem ſubjecto ſimul componi nullatenus poſſunt. Sin alterum, nempe ſi ſummus *calor* in igne non perimit *ſiccitatem*, perperam ſane ex *caloris* prædominio cauſam derivat Vir Cl., quamobrem ignis propriis terminis non cohibeatur; erratque manifeſte, dum ait, *moderationem ſiccitatis vinci voracitate caloris*. Vinci enim *ſiccitas* a *calore* non poteſt, niſi affectio ejus naturæ ipſa ſit, quæ, perinde atque *frigus*, *calori* contrarie opponatur.

X.

77. *Fluidum* dicitur corpus, quod ſibi relictum diffluit quoquoverſus, & cuilibet figuræ ſua veluti ſponte facillime ſeſe accommodat; contra vero *ſolidum*, ſive *conſiſtens*, quod non diffluit, ſi genio ſuo relinquatur, ſed quæcunque illi detur figura, eam conſtantiſſime ſervat. *Fluida* ſunt aer, aqua, oleum, & liquores ceteri; *ſolida* vero lignum, lapides, metalla, cera, creta, & hiſce ſimilia. Porro neque *fluiditatem*, neque *conſiſtentiam* eſſe *entitatem abſolutam* corpori ſuperadditam, ex aquæ congelatione, & metallorum liquefactione videtur ſatis evinci. Nulla quippe *entitas abſoluta* in aqua a *frigore* producitur, dum hujus vi & energia in glaciem illa dureſcit; nulla metallis a *calore* communicatur, dum ejus impulſu ipſa liqueſcunt. Conſtat enim, *frigoris* vim in eo unice eſſe poſitam, ut ſimul devinciat partes corporis, quod afficit, earumque motum retardet, ac ſiſtat, ſive, quemadmodum ipſi docent Scholaſtici, ut tum quæ *homogenea* ſunt, tum quæ ſunt *heterogenea*, illud ſimul congreget; & viciſſim vim *caloris* in eo tantum conſiſtere, ut laxet texturam corporis, cui communicatur, motuque perturbato, & expanſivo illius partes exagitet, ſive, quemadmodum ajunt iidem ipſi, ut congreget *homogenea*, & *heterogenea* diſgreget (§§. 63., & 64.). Præterea, cum denuo

M 2

(b) Tom. II. P. I. *Phyſicæ* Diſp. IV. q. 6. *pag.* 250.

(b) Ibidem Diſp. II. q. 5. *pag.* 113.

nuo fluat aqua gelu concreta, & liquata metalla iterum durescant, statim ac in hisce *calor*, in illa *frigus* minuatur, ac proinde quin *entitas* aliqua *absoluta* illis corporibus tunc communicetur, relinquitur, neque *fluiditatem* aquæ, neque metallorum *consistentiam* jure posse in *absoluta entitate* constitui; quod nempe nulla sit causa positiva, a qua *entitas* ejuscemodi in illis corporibus tunc producatur.

Dices, causam productricem *fluiditatis* in aqua gelu concreta, dum aliquantulum tepescit, & *consistentiæ* in metallis, dum liquata frigescunt, esse ipsam aquæ, & metallorum naturam.

Sed contra. Nam si hæc esset illorum corporum natura, explicandum foret, quamobrem aut naturalis ea virtus non impediat, quominus aqua durescat *frigore*, & metalla *calore* liquescant; aut, si id prohibere vis illa non possit, cur neque aqua destruatur a nimio *frigore*, neque a nimis valido *calore* metalla corrumpantur. Tunc etenim ita aquæ inesset *fluiditas*, & *consistentia* metallis, ut, salva eorum natura, illis affectionibus carere corpora ipsa non possint. Itaque cum, experientia teste, contra res se habeat, neque *fluiditas* in aqua, neque *consistentia* in metallis *absoluta entitas* dicenda est, cujus productio, & conservatio ab illorum essentia necessario proveniat.

XI.

78. Reliquum modo est, ut de *raro*, & *denso* pauca dicamus. *Rarum* vocant Philosophi, quod sub magnis dimensionibus parum materiæ continet; *densum*, quod ex adverso multum materiæ sub parvis dimensionibus comprehendit. Hinc corpus rarefit, cum, eadem in illo manente materiæ copia, ad majus spatium corpus ipsum extenditur; densatur vero, cum, salva eadem copia materiæ, ad minus spatium illud redigitur. Porro neque *rarum* fieri corpus, quod *densum* est, neque *densum* evadere, quod est *rarum*, per hoc quod *entitas* aliqua *absoluta*, sive *absolutum accidens* ipsi corpori adveniat, manifeste evincitur *primo* ex hoc, quod pleraque *rara* corpora per solam compressionem, ut experientia ipsa testatur, *densa* reddantur. Certo certius est enim, nullam *absolutam entitatem* produci in corpore, dum comprimitur; sed tunc effici tantum, ut partes ipsius corporis accedant ad se mutuo, ejusque pori constringantur. Suadetur *secundo*, ex eo quia corpora quæque rarescant actione *caloris*, & vicissim, unam si excipias aquam, *frigoris* energia densentur. Perspicuum enim puto, neque *frigoris*, neque *caloris* eam esse vim, ut *absolutam entitatem* in corpore, quod afficiunt, producere possint; sed tantum

ut

ut partes ipsius corporis vel constringant, simulque devinciant, vel expansivo perturbatoque motu ipsas *respective* exagitent (§.§. 72.,73.) Demum si *raritas*, & *densitas* essent *entitates absolutæ* a substantia corporis, quod *rarum*, vel *densum* dicitur, *realiter* distinctæ, illæ essent profecto vel *qualitas*, vel *quantitas*. Non sunt autem *quantitas*; cum, ut est jam visum (§. 46.), hæc nihil sit *reale absolutum* a corporea substantia *realiter* distinctum. Sed neque sunt *qualitas*, cum, ut Philosophi omnes docent, *rarefactio*, & *condensatio* sint motus non ad *qualitatem*, sed ad *quantitatem*. Ergo &c.

X I I.

79. Itaque ostensum manet, nullam *affectionem*, sive *qualitatem* corporum *sensibilem*, si naturalem rationem consulamus, esse *accidens absolutum* in sensu Scholastico. Tanti sane ponderis sunt momenta, quibus opinionem hanc oppugnavimus, ut si eam penitus non evertant, maximam tamen illi labem inferant, ostendantque, non amore novitatis, sed veritatis impulsu recentiores Philosophos a Peripateticorum Schola recessisse. Accedit, nulla naturali ratione demonstrari a Scholasticis sententiam suam; sed sola auctoritate eorum, qui Scholasticæ sectæ fundamenta jecere, illam ab ipsis suaderi atque defendi. Adhuc certe in votis est, qui Scholasticum *sensibilium qualitatum* systema naturali ratione evincat. Profecto ipse etiam Cl. P. Ferrari, licet se dare promiserit *Philosophiam Peripateticam adversus veteres, & recentiores præsertim Philosophos firmioribus rationibus propugnatam*, differens tamen de accidentibus, quæsivit quidem, *utrum naturalis ratio demonstret, falsam esse Peripateticam doctrinam, quæ accidentia astruit realia, & absoluta* (a), sed quærere non est ausus, num ratio naturalis hanc doctrinam veram esse ostendat; persuasum habens, ut puto, se in hac quæstione, si eam institueret, oleum & operam certo certius perditurum. Non est igitur, cur conquerantur Scholastici, quod huic opinioni Recentiores vale dixerint. Nam sicuti auctore Tullio (b), *nihil esse potest turpius Physico, quam fieri sine causa aliquid dicere*, ita nihil magis indignum eidem esse potest, quam sine sufficienti naturali ratione aliquid de rerum natura asserere, & propugnare.

SCHO-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 2.
(b) Lib. I. *de Finibus* cap. 6.

SCHOLION I.

80. Nullam hic *soni* mentionem fecimus, quod etiam inter ipsos Scholasticos jam plane conveniat, illum non esse *accidens absolutum*, corpori sonanti, vel aeri, per quem diffunditur, superadditum. Certe nihil magis alienum a ratione est, quam *absolutam* aliquam *entitatem* sola percussione in corpore produci.

SCHOLION II.

81. An *gratia*, *lumen gloriæ*, atque id genus aliæ *spirituales* animæ *qualitates* sint *accidentia absoluta*, viderint Theologi. Moneo tantum, etsi *qualitates* istæ pro hujusmodi *accidentibus* habeantur, idipsum non propterea etiam de *qualitatibus sensibilibus* dici oportere. Sunt enim genere diversæ. Falli idcirco eos puto, qui, ut evincant, *qualitates sensibiles* corporum esse *entitates absolutas*, ad *spirituales* animæ *qualitates* provocant, easque hujus esse naturæ, demonstrare nituntur. Ceterum animadvertere liceat hoc loco, errorem irrepsisse, typographi oscitantia, in §. 603. Tom. I. *Philosophiæ sensuum* nuper a me editæ. Legitur enim: *etsi qualitates sensibiles pro absolutis accidentibus habeantur, non propterea sequitur, idipsum de qualitatibus insensibilibus dici oportere*; cum tamen legendum sit: *etsi qualitates insensibiles pro absolutis accidentibus habeantur, non propterea sequitur, idipsum de qualitatibus sensibilibus* &c.

PROPOSITIO VI.

Qualitates sensibiles corporis naturalis ex mechanicis affectionibus particularum materiæ, ex quibus illud compositum est, unice proveniunt.

82. *Probatur* 1. In eo posita est *sensibilis* corporis *qualitas*, per quod *formaliter* habet corpus ipsum, ut sit sensibile (§. 8.). A *mechanicis* autem *affectionibus* particularum materiæ, quibus compositum est, habet corpus, ut *specifice*, quemadmodum ab illarum *soliditate*, ut *generice* sit sensibile (§. 61.). Ergo *qualitates sensibiles* naturalis cujusque corporis a *mechanicis affectionibus* particularum materiæ, quibus illud intrinsecus constat, unice proveniunt.

Confirmatur. Etenim in eo certe *qualitas sensibilis* statuenda est, per

quod

quod *formaliter* corpora naturalia ſunt proxime apta ad ita movendas nerveas externorum ſenſoriorum fibras, ut ex illa motione aliquis in nobis ſenſus fiat (§. 36.). Oſtenſum eſt autem (§. 60.), ejuſmodi eſſe naturalia quæque corpora hoc ipſo *formaliter*, quod ex particulis materiæ certa *magnitudine* & *figura* affectis, certo artificio ſimul intextis, certoque demum *motu*, aut *quiete* donatis, intrinſecus coaleſcant. Ergo *ſenſibiles qualitates* corporum naturalium a *mechanicis affectionibus* particularum materiæ, quibus illa compoſita ſunt, phyſice non differunt.

Probatur 2. *inductione*, demonſtrando ſcilicet, præcipuas naturalium corporum *qualitates* per *mechanicas* componentium particularum *affectiones* ſatis apte a Recentioribus explicari.

I.

83. Initio itaque ſumto a *luce primaria*, hanc minime diſtinguendam putant a motu concitatiſſimo ſubtilium quarundam partium corporis lucidi, ea potiſſimum ratione in hanc ſententiam ducti, quod *lucidum* nobis ſe prodat corpus, omni penitus *luce* antea deſtitutum, quam primum ſubtiliores quædam illius particulæ perniciſſimum motum concipiunt; & viciſſim *lucem* emittere illud deſinat, ſtatim ac ſubtiliores ejus partes, motu affectæ, ad quietem rediguntur. Utrumque certe experientia manifeſtum eſt. *An non*, inquit Cl. Nevvtonus, *corpora omnia, quæ partibus abundant terreſtribus, & præſertim ſulphuroſis, lumen emittunt, quotieſcunque partes iſtæ ſatis ſint agitatę, ſive id calore fiat, ſive attritu, ſive percuſſu, ſive putreſcendo, ſivo motu aliquo vitali, ſive alia quavis de cauſa? ut* aqua marina, *ſæviente procella*, argentum vivum *in vacuo agitatum*, felis dorſum, *vel* equi collum *manu oblique in loco tenebricoſo affrictum*; linga, carnes, *&* piſces, *dum putreſcunt*; vapores *ex aquis putridis, qui* ignes fatui *vulgo appellantar*; metæ fæni, ſegetiſve ſubhumidæ *fermenteſcentes*; cicindelæ, *& animalium quorundam* oculi *motu quodam vitali*; phoſphorus Bononienſis *radiis luminis agitatus*; phoſphorus vulgaris, *corporis cujuſque attritu, vel acidis aeris particulis agitatus*; electrum, *&* adamantes *aliqui feriendo, premendo, vel fricando*; chalybis ſtrigmenta *ſilice decuſſa*; ferrum *ictibus malleorum calefactum, donec ſulphur ſibi injectum accendat*; axes curruum *motu rotarum rapidiore incenſi*; *&* certi liquores *inter ſe permixti, quorum particulæ cum impetu concurrunt, ut* oleum vitrioli *a* nitro *pari pondere deſtillatum, dein dupla portione mixtum cum* oleo garyophillorum, *ſive* aniſi. *Simi-*

liter

liter globus vitreus, *diametro circiter* 8., *vel* 10. unciarum, *machinæ versatili infixus, ut circa axem suum motu celerrimo circumagatur, qua sui parte, vola manus opposita, inter volvendum confricetur, lucebit. Quod si eodem tempore charta alba, aut linteum album, vel etiam digitus extremus ita admoveatur, ut circiter quarta, vel dimidia* unciæ *parte distet a vitro, qua parte motus ejus est celerrimus, vapor electricus frictione manus e vitro excitatus, & ad chartam albam, linteum, vel digitum allisus, ita agitabitur, ut* lucem *continuo emittat, efficiatque, ut charta illa alba, linteum, vel digitus, tamquam* cicindela, *lucescat. Quin & e vitro erumpens, ea vi nonnunquam ad digitum illidetur, ut etiam tactu percipi possit. Quod idem quoque evenit, quando cylindrus e vitro, electrove longus, & amplus, charta manu admota, confricetur, donec vitrum incaluerit* (a). Nonnulla quoque experimenta refert Cl. Gravesandus, (b), quibus manifeste suadetur, pleraque corpora fieri *lucida* hoc ipso tantum, quod subtiliores quædam eorum partes motum arripiant; additque præterea Vir Cl., *multa corpora calida, si calor augeatur, lucere, &, ut luceant, nil præter augmentum caloris desiderari, & hoc imminuto, cessare lumen* (c). Deficere porro *lucem* in corporibus lucidis, quamprimum subtilium partium motus in illis sistatur, satis obvio experimento manifestum est. Nemo enim ignorat, flammam compressione extingui, lucemque in accensis carbonibus, ignitoque ferro perire, si aquæ immergantur.

Dices, non aliud jure colligi ex hisce posse, nisi *lucem primitivam* a motu partium corporis lucidi, tamquam a *necessaria conditione*, dependere.

Contra: nihil omnino, ut ex relatis experimentis apertum est, præter subtilium partium motum, producitur in corpore, dum lucidum efficitur. Ergo *lux* corporis *primitiva* non tantum veluti a conditione, sed tamquam a *formali* sua *ratione*, a motu partium dependet.

Confirmatur exemplo *soni primitivi*. Quoniam nihil prorsus, præter tremorem, communicatur corpori sonanti, dum percutitur, & *sonum* edit; ideo, nemine Philosophorum repugnante, tremor hujusmodi non conditio ad *sonum* prærequisita, sed ipse *sonus* est. Ergo eadem ratione, si dum corpus efficitur *lucidum*, nihil aliud, præter motum, in subtilioribus ejus partibus excitatur, motus ipse non mera est conditio ad *primitivæ lucis* productionem necessario requisita, sed ipsa *lux*. Nihil porro, nisi motum, excitari in subtilioribus partibus corporis, mediante attritu, percussu, vel affrictu, non minus per-

(a) *Optices* q. 9.
(b) Elem. *Phil.* Mathem. §. 2455., & seq.
(c) Ibidem §. 2420.

perſpicuum puto, ac ſit apertum, nonniſi tremorem corpori ſonoro, dum percutitur, communicari. Ergo, ſicuti *ſonus primitivus* in motu tremulo partium elaſticarum ſonantis corporis idcirco poſitus eſt; ita *primitiva lux* in perniciſſimo quodam motu ſubtilium partium corporis lucidi pari ratione conſiſtit.

S C H O L I O N.

84. Qualis ſit ea ſubſtantia, cujus particulæ in motum actæ corpus, in quo illa deliteſcit, *lucidum* reddunt, non definimus. Sive namque *ætherea* ea ſit, ſive *ſulphurea*, ſive *ignea*, alteriuſve naturæ, perinde eſt hoc loco. Satis eſt enim ad rem præſentem oſtendiſſe, *lucidum* evadere corpus hoc ipſo tantum, quod ſubtiliores quædam illius particulæ concitatiſſimum motum concipiant.

I I.

85. Quemadmodum *lucem primitivam* ſtatuunt Recentiores in perniciſſimo quodam motu ſubtilium partium corporis lucidi (§. 83.), ita *lucem ſecundariam*, ſive *lumen*, quod lucidum corpus quoquoverſus ſpargit, in ſubtiliſſima quadam ſubſtantia, omnem partem verſus ſecundum rectam lineam celerrime mota, iidem ipſi conſtituunt. Et *primo* quidem *lumen* eſſe corpus, multiplici ratione ab illis oſtenditur. Evincitur nempe in primis ex eo, quod in politam opaci corporis ſuperficiem incidens *lumen* ipſam non penetret, ſed ea conſtanti lege in adverſam partem ex illa reſiliat, ut angulus, quem vocant *reflexionis*, ſit angulo, quem *incidentiæ* appellant, omnino æqualis. Hinc autem fore neceſſario, ut *lumen*, ſit corpus, ita egregie probat Gaſſendus: *ſicuti impacta in parietem pila ab eo reſilit, quia corpus cum ſit, tranſire per locum a corpore occupatum non poſſit; ita non videtur poſſe lucis radius, in corpus obviam factum impactus, ab ipſo repercuti, niſi quia illud ſua* corpulentia *locum occupat, neque poteſt radius, utpote qui idem ſit, eoque corporeus, ipſum occupare* (a). Certe, ſi verum eſt, quemadmodum natura ipſa compendio ſtudens, veriſſimum eſſe, demonſtrat, naturalium ſcilicet effectuum ejuſdem generis eaſdem eſſe cauſas, videtur, poſſe neminem vel leviſſime dubitare, quominus *luminis* corpulentia ſit cauſa, cur illud memorata conſtanti lege e polita opaci corporis ſuperficie reflectatur, quemadmodum eadem ipſa corpulentia in pila cauſa eſt, quamobrem e pa-

(a) Sect. I. *Phyſices* lib. VI. cap. 11.

riete, cui alliditur, haud dissimili lege constanter illa resiliat.

Idipsum ex eo evincitur *secundo*, quod *lumen* in transitu ex uno medio diaphano in aliud diversæ densitatis, puta ab *aere* in *aquam*, vel ab *aqua* in *aerem*, recta non procedat, sed declinet aliquantulum a recto tramite, accedens nempe ad *perpendicularem*, vel ab illa recedens. Hinc etenim sequitur, *lumen* non æque facile subire media quæque, eaque pervadere, ac proinde sua corpulentia, quæ sola resistentiæ causa est, & ipsum donari. *Ecquis capiat*, inquit laudatus Vir Cl., *posse sic inflecti, refrangive radium, nisi* corpus *sit, quod* corporis *alterius objectu declinare a capto tramite cogatur; ac, ut tangere, ita experiri resistentiam a contactu possit* (a)?

Respondet P. Ferrari, *ex Scoti doctrina in* 2. d. 13. §. ad argumenta, *refractionem, & reflexionem dici de lumine* metaphorice, *quatenus sicuti baculus, cum frangitur, & pila cum resilit, efficiunt angulum, ita etiam lux, cum refrangi dicitur, & reflecti. Hoc tamen interest discrimen, quippe baculus, & pila ad alteram partem declinant; at radius lucis rectus manet in suo subjecto, in quo postea a lucido corpore efficitur radius reflexus, & aliud, aliudque lumen de novo fit. Refractionem porro, & reflexionem lucis* metaphorice *dici, non autem proprio & rigoroso sensu, vel ipsi Atomistæ*, ait ille, *fateri coguntur. Enimvero*, inquit, *cum particulæ lucis sint tenuissimæ, non habent profecto talem duritiem, aut soliditatem, ut ad instar pilæ lusoriæ reflecti, ac refrangi valeant; non enim lana, vel stuppa, quamvis ingenti impetu in saxa impingatur, reflectere, aut retrocedere potest. Tum maxime corpora, quæ refranguntur, e raro in densum migrantia recedunt a perpendiculari, quoniam eorum motus ex duobus componitur, nimirum ex perpendiculari, qui a gravitate oritur, & ex horizontali extrinsecus impresso. Lux vero non ita se habet; nam ad perpendicularem accedit. Quare consequens potius est, lucem non esse corpus, nec eodem modo refractionem de ea dici, quo de reliquis corporibus.* Concludit demum Vir Cl., *cum accidens non sit sine subjecto, ea omnia de luce dici posse ratione subjecti, videlicet aeris illuminati, unde ratione subjecti lucem etiam dici localiter moveri* (b).

Verum contra est, & *primo* ad *reflexionem* quod attinet, dico, ex discrimine, quod inter *luminis*, & *pilæ* riflexionem ipse assignat, minime solvi argumentum, quo *luminis* corpulentia ex hoc capite a Recentioribus probatur. *Primo* etenim illud discrimen nullum est, si

(a) Loco citato
(b) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *respons.* ad object. primam *pag.* 418.

si *lumen* a lucido corpore emissum, nihil plane sit, ut plerique putant, a substantiali lucidi ipsius corporis effluvio diversum. Tunc enim *luminis* corpuscula eodem prorsus modo, quo pila ex pariete, ex speculi superficie, ut est perspicuum, reflectuntur. *Secundo*, ut evincatur, eo modo non resilire *lumen*, quemadmodum requiritur, ut corpus idcirco dicatur, satis non est ostendere, ipsum, non sicuti pila, ex speculo reflecti. Etenim neque *sonus* resilit, ut pila, dum fit *echo*, & tamen corporeæ sunt aereæ illæ particulæ, in quarum tremore, ipso quoque Viro Cl. consentiente (a), *sonus* consistit; certumque est, *sonum* reflecti, quia illæ particulæ sunt corporeæ. Ergo etiam *lumen* potest non *metaphorice*, ut ille ait ex Scoto, sed vere proprieque reflecti, quamvis, non ut pila ex pariete, sed ut *sonus*, illud resiliat. *Tertio*: falsum est, radium luminis, qui dicitur *reflexus*, non oriri ex vera resilientia radii *directi*, sed a lucido corpore immediate produci. Quæ enim tunc est causa, quamobrem angulus *reflexionis* angulum *incidentiæ* lege constanti adæquet? Hujusce quippe effectus ratio neque ex lucido corpore, quod *reflexum* radium producit, neque ex medio diaphano, in quo ille producitur, potest jure desumi. Quandoquidem sicuti illud agens est indifferens ad *lumen* omnem partem versus producendum, ita medium ipsum est passive indifferens ad *lumen* secundum quamcumque lineam recipiendum. Ne quid ergo fieri sine sufficienti ratione dicamus, necesse est, ex reflexione, ad quam speculi superficies determinat *lumen*, quod in eam cadit, æqualitatem angulorum, quibus *luminis* incidentia, & reflexio absolvitur, repetamus; unde fateamur oportet, *lumen*, non *metaphorice*, sed vere proprieque reflecti. Vera porro reflexione *lumini* concessa, non est, cur subjecto, nempe aeri, in quo Vir Cl. ait *lumen* produci & recipi, illam acceptam referat. Satis namque suo loco demonstravimus (§.67.), *lumen* non esse *accidens*, quod in subjecto diaphano, per quod diffunditur, recipiatur. Præterea si resilit *lumen*, quia aer reflectitur, cui illud impressum est, oportet dicat Vir Cl., aerem ipsum secundum rectam lineam a lucido corpore, dum illuminatur, impelli (neque enim, si secus, *lumen*, aeris causa, reflecteretur). At si *lumen* sit *accidens* in sensu Scholastico, eccur premi atque moveri secundum rectam lineam debet aer, ut illud in eo producatur? Demum vel solus aer *luminis* subjectum est, vel diaphana quæque corpora, sive fluida, sive solida, possunt, æque ac aer, *lumen* immediate recipere. Si primum: ergo *lumen* propagari

(a) Tom.III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q.4. *pag*.381., & 384.

per vitrum nequit, proptereaquia nequeat aer vitrum permeare. Transibit quoque aer per ea omnia corpora, per quæ transit *sonus*; cum omnia, per quæ *sonus* transit, aer libere pervadat. Falsum autem utrumque est. Igitur non in solo aere *lumen* recipitur. Sin vero alterum: ergo non est opus, secundum rectam lineam moveantur partes aeris, dum illi *lumen* imprimitur. Hoc siquidem modo non moventur partes vitri, alteriusque solidi, simulque diaphani corporis, dum *lumen* recipit. Igitur non ideo resilit *lumen*, quia aer reflectatur, in quo producitur; ac proinde vel negandum est, omnino contra experientiam, *lumen* reflecti, vel dicendum, non metaphorice, sed vere, & proprie, & quidem ex se immediate, ex polita opaci corporis superficie illud resilire.

Quod autem addit Vir Cl., vel ipsos nempe Atomistas eo cogi, ut fateantur, *reflexionem* dici non posse de *lumine*, nisi metaphorice, idcirco quia particulæ *lucis*, utpote *tenuissimæ, non habeant talem duritiem, aut soliditatem, ut ad instar pilæ lusoriæ reflecti valeant*, tam longe a vero, mea quidem sententia, est, ut nihil magis. Quantacunque enim sit tenuitas particularum *lucis*, ea tamen ne minimum quidem impedit, quominus tanta illę polleant vel *elasticitate*, vel *consistentia*, quanta est opus, ut ex polita opaci corporis superficie, in quam a lucido impelluntur, resiliant. Cum enim illæ particulæ, sive corpuscula non sint puncta penitus inextensa, sed ex aliis minoribus partibus constent, nemo profecto non videt, eam in illis esse posse partium texturam, in qua corporum *durities* posita est, vel ex qua eorundem *elasticitas* necessario dependet. At ne longior sim in re notissima, testem appello Auctorem ipsum Cl. Docet enim (a), exiguas adeo esse aeris particulas, ut *spatiola quaque ille valeat implere*. Sunt autem *elasticæ*, ut ipse quoque docet (b); & *sonus* reflectitur, quatenus, ipso itidem docente (c), illæ resiliunt. Ergo, ne sibi contradicat, contendere nequit, tenuitatem particularum *lucis* impedimento esse posse, quominus *elesticæ* illæ sint, & reflecti possint. Docet præterea (d), *calorem vel semper, vel fere semper conjungi cum substantiali calidorum corpusculorum effluvio*. Compertum autem esse ait (e), *lineas caloris regulas easdem refractionis, & reflexionis servare, quas lineæ lucis*. Ergo concedere vel invitus debet, ut sibi constet, caloriferi effluvii corpuscula posse reflecti. Tenuissima sunt au-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. II. q. 6. *pag.* 146., & seq.

(b) Ibidem.

(c) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 4. *pag.* 384.

(d) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 3. *pag.* 231.

(e) Ibidem *pag.* 227.

autem; cum quorumcunque corporum poros, experientia teste, illa subeant. Ergo tenuitas non impedit, quominus corpuscula caloris vere proprieque resiliant. Quamobrem neque tenuitas particularum *lucis* impedimento esse potest, quominus vere & proprie illa reflectatur. Tantum itaque abest, propter nimiam tenuitatem particularum *lucis* eo cogi Atomistas, ut illis veram propriamque denegent *reflexionem*, quin potius necesse sit, ne sibi aperte adversetur, alio se vertat Cl. Adversarius, ut demonstret, nonnisi *metaphorice* dici posse, *lumen* reflecti.

Quod vero spectat ad *refractionem* æquo ferat animo Cl. Auctor, si quis dixerit, ex hoc, quod *lumen*, dum ex aere in aquam *oblique* transit, non, quemadmodum corpora reliqua, recedendo scilicet a *perpendiculari*, sed ad illam accedendo refrangatur, perperam ab eo inferri cum P. Ceva (a), *lumen* non esse corpus. Sicuti namque globulus plumbeus ideo refrangitur in transitu ex aere in aquam, quia corpus est; & quia aqua, utpote magis densa, quam aer, plurimum virtutis, qua globulus ipse secundum *verticalem* directionem tunc movetur, in illius contactu eidem adimit, ideo globus ille cum recessu a *perpendiculari* refrangitur; ita vicissim non idcirco negare licet, *lumen* esse corpus, quia non refrangatur eodem modo, quo plumbeus globulus, dum ex aere in aquam *oblique* transit; sed dicendum potius est, ideo in ejusmodi transitu *lumen* refrangi, quia itidem, ut ille globulus, est corpus; ideo vero refrangi non cum recessu, sed cum accessu ad *perpendicularem*, vel quia facilius, secus ac globulus plumbeus, per aquam, quam per aerem, ut Cartesius putat, secundum *verticalem* directionem moveatur; vel quia, ut aliis placet, difficilius per aquam, quam per aerem propagetur; vel demum quia fortius ab aqua, quam ab aere, ut videtur Nevvtono, ejusque asseclis, attrahatur (b). Ut ergo evincat P. Ferrari, minime rem confici a Recentioribus, dum *luminis* corpulentiam ex illius *refractione* probare nituntur, demonstrare debet, eam solam *refractionem* ex corpulentia oriri, quæ in transitu ex medio rariore in densius cum recessu a *perpendiculari* perficitur.

Nullum quoque est alterum Cl. Viri effugium, *lumen* scilicet non refrangi ex se, sed ratione subjecti, nempe aeris, in quo producitur. *Primo* etenim explicare & ipse tunc debet, quamobrem aer illuminatus, licet sit corpus, non tamen ut corpora reliqua, nempe cum

(a) Philos. novo-antiq. *Dissert. 6.*

(b) Vide, quæ de causa *refractionis* diximus in *Physica* Tom. I. §. 1312., & seq.

cum recessu a *perpendiculari*, dum aquam subire cogitur, refrangatur. *Secundo* danda ab eodem quoque causa est, cur aer *lumine* perfusus subire vitrum possit, *lumine* carens non possit. Interim ergo ratum Recentioribus fixumque erit, corpulentiam *luminis* ex illius *reflexione*, & *refractione* invicte demonstrari.

Ostenditur 3. *luminis* corpulentia ex hoc, quod Solis *lumen* cavo speculo, vel convexa lente exceptum, atque in *foco*, ut ajunt, collectum, tanta vi eo in puncto polleat, tantoque fervore, ut combustibilia quæque ibi posita post pauca *minuta* incendat, metalla etiam durissima fundat; quæ liquefieri nequeunt, dissolvat; quæque sale abundant, in vitrum mutet (a). Nemo enim, ut puto, ibit inficias, fieri hæc a *lumine* non posse, nisi & solidum aliquid fuerit, adeoque corpus (§. 19.), & maxima vi sese movendi illud simul polleat. Ita namque subire debet poros illorum corporum, & ita intra ipsos agere, ut eorum parietes in contrarias partes ictu validissimo urgeat, componentium particularum texturam laxet, solvat nexum, qua sub una communi forma colligatæ illæ simul sunt, easque expansivo motu impellat, & perturbate exagitet.

Respondet P. Ferrari, *ignefactionem illam vel a corpusculis ignitis per aerem dispersis perfici; vel a Sole per æquivocam actionem produci; vel ab ipso Deo immediate fieri. Colligi autem dici Solares radios, quatenus agentis actio determinatur ad agendum fortius in una parte speculi* (b).

Sed frustra. Si namque non a *luce* in *foco* lentis, aut speculi collecta, sed a *corpusculis ignitis* per aerem dispersis ignitio fieret corporum, quæ in illo lentis, vel speculi puncto ponuntur, incendi deberent ipsa corpora, flammamque concipere, non solum absente Sole, verum etiam sine lente, & speculo. Certum quippe est, neque a Sole, neque a lente, & speculo dependere ignita illa corpuscula, quæ ab Cl. Auctore per aerem dispersa dicuntur. Quod si dicat, corpuscula illa non dependere quidem a Sole, lente, & speculo, ut sint, bene vero, ut uno in puncto colligantur; ipsum rogabunt Recentiores, ut distincte explicet, quomodo Sol ea colligat in *foco*, licet ab illo non dependeant; & cur Luna tantumdem præstare non possit, quamvis ejus *lumen*, perinde ac *lumen* Solis, in *foco* lentis, & speculi, quæ illi obvertuntur, colligatur. Nemo ignorat enim, lunare *lumen* ad comburenda corpora, in *foco* lentis, vel speculi posita, prorsus esse ineptum.

Non

(a) Vide, quæ ex *Actis Eruditorum Lipsiæ* retulimus Tom. I. *Physicæ* §. 1185.

(b) Tom. III. P.III. *Physicæ* Disp.III. q.5. in respon. ad 2. objectionem *pag.* 419.

Non secus dicendum arbitror de *equivoca* Solarium radiorum *actione*, cui putat Vir Cl. illam corporum ignitionem posse acceptam referri. Actio enim *æquivoca*, ut omnes norunt, & exemplis pluribus ostendi potest, *univocam* necessario postulat, a qua determinetur. Necessario quippe danda est ratio, quamobrem ex pluribus natura dissimilibus effectibus, qui per *æquivocam* actionem valent ex æquo fieri, unus potius, quam alter, per eam producatur. Videat ergo P. Ferrari, hæc docens, quonam jure deinde Recentiores irrideat, quod sibi imperceptibile esse dicant, *ignem actione æquivoca a Solaribus radiis produci*; sibique persuadere nolint, *ipsorum ideas claras & distinctas non esse Peripateticis criteria dijudicandæ veritatis* (a).

Indignum est etiam Viro Philosopho, ad Deum recurrere, ut ex ipso, tamquam ex causa immediata (de hac enim res nobis in præsens est) memorata corporum ignitio repetatur. Neque enim, ut olim Balbo Stoico non secus philosophanti obiiciebat Tullius, *omnia, quæ cursus certos, & constantes habent, ea Deo potius tribuenda sunt, quam naturæ* (b). Caveat proinde P. Ferrari, ne, si divinam dicit combustionem corporum, quæ fit in *foco* lentis, & speculi, *tertianas quoque febres, & quartanas divinas esse*, dicere cogatur, *quarum reversione & motu quid*, inquit idem Tullius, *potest esse constantius* (c)? *Omnium* itaque *talium rerum*, ut cum eodem loquar (d), *ratio reddenda est*: quod qui facere nequeunt, tamquam in aram, quemadmodum ille de Stoicis dixerat, confugiunt ad Deum.

Neque demum melioris farinæ est, quod habetur ultimo loco, nempe *colligi dici Solares radios, quatenus agentis actio determinatur ad agendum fortius in una parte speculi*. Cum enim ignitiones, quæ fiunt in *foco* lentis, & speculi, Solarium radiorum actione peragantur, idque radii ipsi non efficiant, nisi lente, & speculo excepti, Philosophis explicare incumbit, quomodo lens, atque speculum ad fortius agendum in ipsorum *foco* ipsos radios determinent. Inquiunt Recentiores, id fieri quatenus, qui in lentem, & speculum cadunt radii, uno in puncto colliguntur. Hoc non placet Cl. P. Ferrari. Aliam ergo causam afferat, necesse est. Neque sufficit, dicat, *actionem illorum radiorum determinari ad agendum fortius in una parte speculi*, nisi simul explicet, quomodo ipsa actio ad fortius agendum determinetur. Hoc enim delitescente, id certe latet, ut patebit consideranti, quod explicandum est.

Sub-

(a) Tom. III. P. II. *Physicæ* Disp. II. q. 10. *pag.* 105.
(b) Lib. III. *de natura Deorum* cap. 10.
(c) Ibidem.
(d) Ibidem.

Subtilissimam porro esse substantiam *luminis*, motuque celerrimo præditam secundum rectam lineam, longa demonstratione non indiget. Subtilitas illius substantiæ patet ex hoc uno, quod subtilissimos vitri poros *lumen* facillime subeat, perque illos libere transeat. Celeritas vero motus, ejusque directio rectilinea ex ipsius *luminis* propagatione manifesta est. Constat namque, illud tam cito diffundi, ut uno ferme temporis momento per immensa cœlorum spatia propagetur, atque ad nos perveniat. Neminem quoque latet, impediri diffusionem *luminis*, si quod opacum corpus prohibeat, quominus recta progrediatur.

Verum opponit P. Ferrari: *lux penetratur cum toto corpore diaphano. Atqui corpora ne quidem per divinam virtutem penetrari possunt, ut Epicurei docent. Igitur lux non est substantia corporea* (a).

℞. *primo*, hoc argumentum ab ipsomet etiam Viro Cl. solvi debere. Ostendens quippe, admittendam esse substantiam, sive materiam ætheream, docet, *lucem vel esse substantiam, vel sine substantia non extare* (b). Igitur, ipso teste, sine substantia non propagatur *lumen*, neque diaphanum corpus penetrat; adeoque &c.

℞. *secundo*, distinguendo *majorem*: lux penetratur cum toto corpore diaphano, adeo ut solidas ipsius corporis particulas illa vere subeat, atque traiiciat, *nego majorem*; lux penetrat corpus diaphanum, quatenus subit illius poros, & per eos libere excurrit, *concedo majorem*, & permissa *minori*, si loquamur de vera penetratione, spectatis naturę viribus, *nego conseq.* Lux ergo dicitur diaphanum corpus penetrare, non quia solidas illius particulas pervadat, eundemque locum cum illis ipsa occupet repleatque (id quippe naturę viribus impossibile est) sed quia, cum pori, quibus corpus diaphanum abundat, in directum, ut dicemus suo loco, positi sint, & inter se communicent, lux ita per illos sese diffundit, ut corpus ipsum traiiciat, & libere ultra illud excurrat. Videtur autem totum corpus a luce occupari, hoc est, nullam prorsus in illo esse partem, quæ *lumine* non perfundatur, quia pori ipsius corporis non solum minutissimi sunt, verum etiam sibi mutuo adeo vicini, ut nullum penitus intervallum inter illos discernere ipsi possimus.

Urget tamen Vir Cl. *partes illæ vitri* v. g., *quæ extant inter poros, vel sunt* opacæ, *vel sunt* diaphanæ. *Non primum; quia sic totum vitrum esset* opacum; *siquidem pori non sunt vitrum, sed vitri cavitates, & vacuitates, quæ nihil sunt. Si ergo partes illæ sunt diaphanæ,*

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. prob. 3. *pag.* 414.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disput. II. q. 6. *pag.* 114.

phanæ, jam ſunt ſuſceptivæ lucis. Ergo lux non ſolum recipitur in poris vitri, verum etiam in ipſo corpore vitri (a).

℞. partes vitri, quæ illius poros intercipiunt, non eſſe *diaphanas*, ſed *opacas*; & nego, propterea futurum, ut totum vitrum ſit *opacum*. Quamvis enim pori non ſint, niſi vitri cavitates, & vacuitates, adeoque purum nihil; attamen ſi ita ſe habeant in vitro, ut in directum poſiti ſint, & inter ſe communicent, corpus *diaphanum* conſtituunt, quatenus nempe, ut alio loco clarius dicemus, non obſiſtunt *lumini*, quod in ipſum cadit, ſed *liberam*, ut ait Gaſſendus, *radiorum trajectionem faciunt* (b).

Stupendum tamen eſt, tantum Virum non vidiſſe, hoc ſuum *dilemma* nedum facillime, ut eſt modo viſum, ſolvi poſſe, verum etiam poſſe contra ſuum Auctorem validiſſime retorqueri. Fatetur namque Vir Cl. non uno, ſed ſexcentis in locis, ut ita dicam, ſuæ Philoſophiæ, ſi non omnia, plurima ſaltem corpora ſenſibilia eſſe *poroſa*. *Poroſum* itaque eſt, recteque dicitur corpus, quamvis pori non ſint corpus, ſed corporis cavitates, & vacuitates, quæ nihil ſunt. Ergo ex æquo poteſt corpus eſſe *diaphanum*, & *diaphanum* recte nuncupari, licet pori, ex quorum recta diſpoſitione *diaphaneitas* derivatur, non ſint corpus, ſed illius tantum cavitates, & vacuitates, adeoque purum nihil. Præterea, tametſi particulæ, quæ corporis poros intercipiunt, ſint plane ſolidæ (neque enim datur proceſſus in infinitum) & pori non ſint corpus, ſed purum nihil, non idcirco inferre inde licet, corpus eſſe omnino ſolidum. Ergo eodem jure poteſt corpus eſſe *diaphanum*, quamvis *diaphanæ* non ſint primitivæ illius particulæ, ſed *opacæ*.

Inſuper ejuſdem Viri Cl aperta ſententia eſt, *fluiditatem corporum ex partium parvitate oriri, tum ex partium tenui adhæſione* (c). Admittit ergo, corpus *fluidum* ex *ſolidis* particulis coaleſcere. Neceſſe eſt enim, *ſolidæ* ſint particulæ, ex quarum parvitate, & tenui adhæſione *fluiditas* oriri dicitur, ne ſcilicet in ea explicanda principium petatur. Poteſt igitur corpus vere eſſe, & dici *fluidum*, licet *ſolidæ* ſint particulæ, quæ illud conſtituunt. Ergo *diaphanum* quoque eſſe, & dici corpus poteſt, quamvis illæ particulæ *opacæ* ſint, ex quibus coaleſcit; & ſicuti ex hoc uno, quod componentes corporis particulæ *ſolidæ* ſint, inferre non licet, totum corpus eſſe *ſolidum*, ita ex hoc uno, quod *opacæ* ſint particulæ, ex quibus corpus conſurgit, jure deduci nequit, illud eſſe *opacum*.

O Di-

(a) Tom III. pag. 415. *contra quarto*.
(b) Sect. I. *Phyſicæ* lib. IV. cap. 2.
(c) Tom. II. P. I. *Phyſicæ* Diſp. IV. q. 6. aſſert. ultima *pag.* 260.

Dicet forte Vir Cl., ut horum argumentorum vim declinet, nullum corpus esse *totum porosum*, nullum posse *totum fluidum* nuncupari, quemadmodum ex adverso *totum diaphanum* illud est, optimeque vocatur.

Sed contra. Nam non solum *gratis*, ut ajunt Scholæ, sed falso dicitur, totum corpus, puta totum *vitrum* (ut de eo ipso, quod ille adhibet corpus, loquar) esse *diaphanum*. *Gratis*, inquam, ponit ille, totum vitrum esse *diaphanum*. Nullam quippe hujusce assertionis suæ rationem affert, neque aliquam afferre potest. Certe, si sensus consulamus, fateri cogimur, vel neque vitrum esse *totum diaphanum*, vel illud quoque *porosum* esse totum, & totam aquam *fluiditate* pollere. Ut enim in vitro nullam discernimus particulam, quæ *diaphana* non sit, ita nullam in eodem particulam distinguimus, quæ non sit *porosa*, nullam in aqua, quæ non sit *fluida*. Falsum est etiam, totum vitrum esse *diaphanum*. Cum enim, ut experientia cuique obvia manifeste demonstrat, purissima non sit *lux*, quæ ultra vitrum excurrit, sed innumeris exilissimis veluti umbellis permixta atque fœdata appareat, albo obice si excipiatur, manifeste sequitur, *lucem* non ita totum vitrum pervadere, ut nihil prorsus in illo sit, quod *luci* transitum deneget. Verum hac de re alibi fusius.

Interim vero observare sufficiat, ne ipsum quidem Virum Cl. tenere posse, totum vitrum esse *diaphanum*. Docet enim, *diaphaneitatem in recta partium dispositione consistere* (a). Illæ ergo partes vel *diaphanæ* sunt, vel *opacæ*. Non *diaphanæ*; perperam quippe tunc ex illarum recta dispositione *diaphaneitas* derivaretur. Sunt ergo *opacæ*. Igitur corpus *diaphanum* ex *opacis* particulis constat; & ideo, contra atque ille habet, totum vitrum non est *diaphanum*. Præterea, licet recta dispositio partium non sit corpus, efficit tamen, ut ex illis, quamvis *opacæ* sint, *diaphanum* corpus consurgat. Ergo pari ratione, licet neque pori, neque eorum positio recta sint corpus, efficere tamen possunt, ut particulæ, quæ illos intercipiunt, tametsi *opacæ* sint, *diaphanum* corpus constituant; ac proinde vel mutare debet Vir Cl. sententiam suam de origine *diaphaneitatis*, vel fateatur oportet, se haud recte erroris insimulasse Recentiores, dum rectam dispositionem communicantium pororum in corpore *diaphano* causam esse dicunt, quamobrem illud sit *diaphanum*.

Observandum insuper ait Cl. Auctor, *vitrum totum denominari lucidum, sicuti totum dicitur tenebrosum, recedente luce: quod minime,* in-

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. in *respons.* ad confirmationem *pag.* 425.

inquit, *affirmatur de cribro subtilissimis foraminibus pertuso, cujus partes diaphanæ non sunt, sed solum per foramina lucem suscipiunt* (a).

Sed adeo facilis responsio est, ut stupendum videatur, eam tanto Viro non occurrisse. Totum itaque vitrum dicitur *lucidum*, quia tum ejus pori, per quos *lux* transit, tum ipsius particulæ, quæ illos intercipiunt, & *lucem* reflectunt, exiguæ adeo sunt magnitudinis, ut sensus plane fugiant. At in cribro contra res se habet. Quandoquidem, utut mole parva sint foramina, quæ sola in illo *luci* transitum præbent, sensus tamen ea plane distinguit, quemadmodum eas etiam partes in illo ipse discernit, ex quibus incidentes *lucis* radii in nos regeruntur.

Sibi demum prorsus mirabile esse ait Vir Cl., *subtilissimam lucis substantiam non posse pervadere poros papyri, si videlicet multiplicia sint folia chartæ, per quos tamen crassiores substantiæ evolare solent, & evanescere. Nunquid enim*, inquit ille, *adeo rigidi sunt lucis radii, ut per recurvos opaci corporis poros non valeant intorqueri? Aut cur saltem, cum subtilissimi sint, non poterunt instar ætheris permeare omnes corporis meatus? Illud etiam* (pergit Cl. Auctor) *inexplicabile videtur, quomodo tantum per poros transmittatur lux ab aquæ superficie ad fundum, etiamsi aqua semper sit in motu vario, & diverso* (b).

At vero, re attente considerata, non dubito, longe mirabilius nonnemini visum iri, persuasum fuisse Cl. P. Ferrari, hæc posse Recentioribus negotium facessere. Ex hoc enim uno, quod *lumen* secundum rectam lineam constantissime propagetur, sequitur, minime fieri posse, ut papyri poros, per quos crassiores substantiæ evolare solent, & evanescere, illud trajiciat. Causa nempe est, quia in papyro, ceterisque *opacis* corporibus, non sunt pori, quemadmodum in vitro, aliisque id genus, recta dispositi, sibique mutuo in eadem recta linea communicantes, sed oblique tantum, atque insuper quin ex uno in alium liber aditus pateat. Hujusce rei Aristotelem ipsum testem appello. Is etenim causam quærens, *cur aspectus corpora penetrare solida non possit, vox autem possit: an*, inquit, *quod aspiciendi delatio simplex est, quæ per directum profluere possit ad lineam?...... Quoties igitur aspectui directus ille impeditur progressus, eo scilicet, quod res objecta, meatuum incondita, sive indisposita turba, constipatur, transpicere nequit. At vox, quoniam quoquoversus profertur, omnia proreptat, penetrat, translapsa audiri undique potest. In humoribus tamen facultas transpiciendi oculis data est; voci autem nulla, vel minima*,

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. ad calcem *pag.* 415.

(b) Ibidem *pag.* 416.

ma, quamquam humor tenuior, quam terra, sit; quoniam humoris meatus parvi, densi, continuatique sunt, ut minime aspectus impediatur, quominus tramite directo ingredi possit. Hæc eadem causa est, cur etiam per vitrum, quod densissimum est, transpicere liceat, per ferulam, quæ rara solutaque est, non liceat. In altero enim meatus respondent inter se, in altera variant. Nec quicquam juvat, amplos esse meatus, nisi recte ad lineam positi sint (a). Itaque non a Cartesio, neque a Gassendo, aliove ex Recentioribus, sed ab ipsomet Aristotele discat Cl. P. Ferrari, non esse mirabile, quod *lucis* radii, licet rigidi instar ferreæ virgulæ nequaquam sint, per recurvos tamen *opaci* corporis poros intorqueri non possint; sicuti etiam quod, licet sint subtilissimi, nequeant tamen, ætheris instar, omnes corporum meatus penetrare. Inexplicabile demum ne dicat a Recentioribus, *quomodo tantum per poros transmittatur lux ab aquæ superficie ad fundum, etiamsi aqua semper sit in motu vario, & diverso*; respondent enim, causam hujus esse, quia motus aquæ varius, & diversus non impedit, quominus ejus pori, tametsi continuo locum mutent, in eadem recta linea semper inter se communicent. Et sane, cum aqua, etiam dum motu vario, & diverso agitatur, maneat *diaphana*, dicere debet Vir Cl., eam rectam partium dispositionem, in qua *diaphaneitatem* ipse constituit (b), illius motus causa nequaquam perire. Quid ergo prohibet, quominus etiam Recentiores dicant, dispositionem illam rectam pororum, in qua corporum *diaphaneitatem* collocant, ab ipso eodem motu minime destrui? Nihil certe afferri contra unum potest, quod etiam alteri ex æquo non officiat; nihilque propterea impedit, quominus *lumen* in subtilissima, motuque rectilineo affecta substantia statuatur.

SCHOLION.

86. Quamvis certissima, & jure quidem, ut modo vidimus, Recentioribus res sit, *lumen* esse substantiam, inter eos tamen non convenit, num illa, subtilissimi effluvii instar, e lucido corpore indesinenter erumpat, ab eoque secundum rectam lineam quoquoversus celerrime vibretur, ut cum Democrito, & Epicuro sentit Gassendus; an vero omnem partem versus, perinde atque aer, diffusa vel prematur secundum rectam lineam ab innatante corpore lucido, ut tenet Cartesius, vel ita ab illo indefinenter urgeatur, ut, quemadmodum

(a) Sect. XI. *Problem.* q. 61.
(b) Vide quæ diximus Tom. I. *Physicæ* §. 1199.

dum in *Physica* exposuimus (a), vibratorium quemdam motum, qui successive quidem, sed celerrime secundum rectam lineam per eam quoquoversus propagetur, illi communicet. Hæc postrema opinio ob analogiam, quæ *sonum* inter, atque *lumen* maxima occurrit (b), ceteris longe probabilior mihi visa est; verum si cui vel Gassendi, vel Cartesii sententia magis arrideat, litem cum illo movendam non puto; quod ad rem præsentem demonstrasse sufficiat, *lumen* non esse *accidens*, ut pro comperto habent Scholastici, sed *substantiam*, ut Recentiores arbitrantur.

III.

87. Demonstrandum modo est, quod superiori loco innuimus, a recta scilicet communicantium pororum secundum omnem directionem positione habere sensibilia quæque corpora, ut *diaphana* sint; contra vero ex hoc uno ea esse *opaca*, quod illorum pori vel non communicent in se, vel sibi mutuo in eadem recta linea nequaquam respondeant. Id ergo ita ostenditur: cum primitiva rerum corpuscula sint solidissima, nullis nempe meatibus interrupta (ex aliis enim particulis, si quos illa haberent meatus, componerentur, scilicet ex iis, quæ meatus intercipiunt) fieri nullatenus potest, ut *lumen*, cum sit substantia corporea (§. 85.), corpuscula ipsa pervadat. Igitur corpora *diaphana* a *lumine* non trajiciuntur, nisi quia per eorum meatus propagatur. Propagari autem per illorum meatus non potest *lumen*, nisi in eadem recta positi illi sint, & inter se communicent; cum nonnisi secundum rectam lineam *luminis* propagatio, ut experientia constat, perficiatur. Ergo corpora *diaphana* non trajiciuntur a *lumine*, nisi quia illorum meatus secundum rectam lineam sunt dispositi, & inter se communicant. Per id porro habent corpora, ut sint *diaphana*, per quod habent, ut a *lumine* traiici possint. Ergo a recta communicantium pororum dispositione habent corpora, ut sint *diaphana*. *Opacum* autem *diaphano* opponitur, & contrariorum contraria natura est. Ergo a positione pororum tortuosa, & indirecta habent corpora, ut sint *opaca*.

Dices, nullam partem discerni in aere, neque in aqua, ceterisque purgatissimis *diaphanis* corporibus, quæ non sit *diaphana*. Ergo *diaphanum* ex *opacis* corpusculis non constat; atque hinc neque in recta positione pororum, quæ ab illis corpusculis intercipiantur, sensibilium corporum *diaphaneitas* potest recte constitui.

Sed

(a) Tom. I. §. 1200.

(b) Vide quæ diximus Tom. I. *Physicæ* §. 1199.

Sed contra est. Nam, ut optime observat Gassendus, *lumen*, vitro etiam purgatissimo exceptum, per illud non transit totum, sed aliqua ejus portio in adversam partem ex illo regeritur; sique attente consideretur tum ea *luminis* portio, quæ vitrum penetrat, tum, quæ ex illo reflectitur, manifeste patebit, exilissimis umbellis, sive punctulis nigricantibus utramque esse infectam. Jam vero nigricantium horum punctulorum non alia profecto videtur causa, nisi quia *opaca* vitri corpuscula prohibent, quominus totum *lumen*, quod in illud cadit, per ipsum transeat; & directa communicantium pororum in eodem dispositio non sinit, ut totum, quod in vitrum ipsum incidit *lumen*, regeratur. Ergo *diaphanæ* non sunt omnes, utut exiguæ, componentes vitri particulæ, sed ex opacis corpusculis, porulos recta dispositos, sibique mutuo communicantes intercipientibus, illud, adeoque & aliud quodcunque corpus *diaphanum*, intrinsecus coalescit. *Quia vulgo existimatur*, inquit laudatus Vir Cl., *vitrum pertenue esse totum perspicuum, radiosve omnes transmittere, jubere soleo, ut illud opponatur Soli, & candido papyri folio, tam pone, quam ante statuto, radii tum trajecti, tum reflexi excipiantur; & quia, quod est pone, excipit trajectos cum specie umbellulæ; quod ante excipit reflexos, exhibet speciem luculæ, requiro in primis, unde illa umbella, nisi ex corpusculis, quæ radios in se incidentes transire prohibuerint? unde illa lucula, nisi ex radiis, qui non trajecti cum ceteris, verum reflexi a corpusculis fuerint? Unde in neutro folio tanta claritas, quanta in alio, quo Solis exceperis radios, vitro non interposito, nisi quia in illo radii reflexi, in isto trajecti deficiunt? Unde postremo illa aliquorum trajectio, ista aliquorum reflexio, nisi quia ut tela intercepta alternis habens foraminula cum filorum particulis radios incidentes in foraminula transmittit, incidentes in filorum particulas reverberat, ita vitrum debet constare alternis porulis, & corpusculis, & illis transmittere, his reflectere radios incidentes* (a)?

Tantum itaque abest, assertionem nostram idcirco labefactari, quia totum vitrum, tota aqua, aliaque id genus corpora, *diaphana* appareant, quin potius assertio ipsa satis valide ex hoc capite roboretur. Quippe si *lumen*, quod in vitream laminam cadit, neque totum illam penetrat, neque totum ex ipsa reflectitur, necesse est, dicamus cum Gassendo, eam alternis porulis, & opacis corpusculis immediate componi.

Id porro ex eo etiam non obscure suadetur, quod aqua, aliique *diaphani* liquores in *opacam* spumam abeant, si agitentur; & vitrum, quod

(a) Sect. I. *Physics* lib. VI. cap. 2.

quod itidem *diaphanum* est, in *opacum* pulverem, si minutissime conteratur, facessat. Cum enim sola tunc mutetur horum corporum textura, sive mechanica integralium partium dispositio, manifestum relinquitur, sensibilium corporum *diaphaneitatem*, & *opacitatem* ab hac dumtaxat partium dispositione dependere. Dependere autem minime posse videntur affectiones illæ a mechanica dispositione partium, nisi quatenus a certo pororum situ utraque dependet. Is quippe dumtaxat mutari videtur, dum partium dispositio mutatur. Ergo corporum *opacitas*, & *diaphaneitas* dependent a pororum situ; & ideo satis apte hæc a *dispositione* pororum *recta*, illa vero a *dispositione* eorundem *tortuosa*, & *indirecta* derivatur.

Neque Aristoteles, quem unum reliquis omnibus Philosophis præferendum censent Scholastici, ab hac opinione alienus fuit, sed eam adeo aperte tradidit, ut nemini dubium esse possit, quominus, qui hac super re contrarium sentiunt, ab illius doctrina manifeste recesserint. Quærens enim ille, ut paulo antea etiam diximus, *cur aspectus corpora penetrare solida non possit, vox autem possit, an*, inquit; *quod adspiciendi delatio simplex est, quæ per directum profluere possit ad lineam......? Quoties igitur aspectui directus ille impeditur progressus, eo scilicet, quod res objecta, meatuum incondita, sive indisposita turba, constipatur, transpicere nequit. At vox, quoniam quoquoversus profertur, omnia proreptat, penetrat, translapsa audiri undique potest. In humoribus autem facultas transpiciendi oculis data est, voci autem nulla, vel minima, quamquam humor tenujor, quam terra est; quoniam humoris meatus parvi, continuatique sunt, ut minime aspectus impediatur, quominus tramite directo ingredi possit. Hæc eadem causa est, cur etiam per vitrum, quod densissimum est, transpicere liceat; per ferulam, quæ rara, solutaque est, non liceat. In altero enim meatus respondent inter se, in altera variant. Nec quicquam juvat, amplos esse meatus, nisi recte ad lineam positi sint* (a). Aristoteli ergo non consentit Cl. P. Ferrari, dum ait, *nihil ad rem* (ad *luminis* nempe transitum per crystallum) *pertinere pororum rectam dispositionem* (b). Animo quoque comprehendere non possum, quod ille idem addit, scilicet *nec diaphaneitatem in pororum constrictione statuendam esse*, idcirco quia *lux etiam per poros ampliores transeat* (c). Nemo enim, quem ego quidem sciam, in pororum constrictione *diaphaneitatem* posuit; ii vero, qui eam statuunt in recta pororum dispositione,

perin-

(a) Sect. XI. *Problem.* q. 61.
(b) Tom. III. P.III. *Physicæ* Disp.III.q.5. in respon. ad confirmationem *pag.* 425.
(c) Ibidem.

perinde omnino habent, sive ampli, sive minutuli, maximeque constricti pori ipsi sint, dummodo tamen ejus sint magnitudinis, eumque situm habeant inter se, ut *lux* per eos transire liberrime possit. Recentioribus tamen imponit Cl. Auctor, dum ait alio loco, ex hoc quod *diaphaneitatem consistere* dicant *in recta pororum dispositione, & e contrario opacitatem sitam esse in obliqua dispositione pororum*, rationem ab ipsis peti, *cur concava crystallus lucem regerat, convexa vero lucem suscipiat, nempe ob diversam pororum dispositionem* (a). Nullus quippe dixit, a *concava crystallo* lumen regeri, a *convexa* suscipi; sed ajunt omnes, a *concavo speculo*, non ex *diaphana*, cujusmodi est crystallus, verum ex *opaca* materia confecto, cogi *lumen* in *foco*, a *convexo* dispergi; neque id repetunt ex varia pororum dispositione, sed ex diversa ipsorum speculorum figura, ut cuique, qui vel levissime *Catoptricam* salutaverit, est manifestum. Fallitur postremo Vir Cl., dum ait, *ex pario marmore* concavas, *&* convexas lentes *fieri posse, itidemque ex ære, aut ex alia nigra, vel nigricante materia*. (b). Ecquis enim nescius est, ex marmore, ære, aliisque id genus *opacis* corporibus non *lentes* confici, sed *specula*?

I V.

88. Quod attinet ad *colores*, constans est Recentiorum opinio, eos omnes, si spectentur, prout in corpore, quod afficiunt, non esse aliquid diversum a *magnitudine*, *figura*, & *artificiosa dispositione* particularum, ex quibus corpus ipsum intrinsecus coalescit. *Color* enim, prout in objecto, in eo certe statuendus est, per quod *formaliter* habet objectum ipsum, sive corpus, ut, dum *lumine* perfunditur, nobis *coloratum* appareat. Id autem *formaliter* non habet corpus, nisi a *magnitudine*, *figura*, & *artificiosa combinatione* particularum, ex quibus consurgit. Habet namque *formaliter* ab hisce affectionibus, ut *lumen*, quo perfunditur, certa ratione modificatum in nos reflectat; certoque constat, ut satis contra Scholasticos demonstravimus (*§.69.*), non esse aliquid diversum a *lumine*, vel puro, vel umbellis permixto, aliave ratione modificato, id, quod corpus *coloratum* in nos regerit, & quo mediante eam in *reticulari* oculi *membrana* motionem excitat, quam *coloris* sensatio in anima consequitur. Ergo *color*, prout in objecto, a *magnitudine*, *figura*, & *artificiosa dispositione* particularum, ex quibus *coloratum* ipsum corpus constat, *physice* non distinguitur.

Ma-

(a) Loco citato *pag.* 438.
(b) Ibidem.

Manifestum est præterea, vitrum, & aquam, quamvis, utpote *diaphana*, nullius sint *coloris*, fieri *colorata*, sive alborem vividissimum contrahere, hoc ipso tantum, quod aqua valide agitata spumescat, & vitrum in pulverem minutissimum, media attritione, redigatur. Certum est etiam, perspicuumque, friabilia colorata corpora, ut *vitriolum*, *smaragdus*, & id genus alia, congenitum suum *colorem* mutare, sive plurimum albescere, itidem hoc ipso, quod contrita in pulverem facessant. Jam vero nemo, ut puto, inficiabitur, solam mutari integralium partium *magnitudinem*, *figuram*, & *mechanicam* earundem *dispositionem*, sive *texturam*, dum aqua abit in spumam, sicuti etiam dum vitrum, & reliqua friabilia corpora in pulverem rediguntur. Ergo ab hisce tantum *mechanicis* componentium molecularum affectionibus habet corpus, ut, dum *lumine* perfunditur, *coloratum* appareat.

Opponit *primo* P. Ferrari: *multa sunt corpora, quæ diverso constant temperamento, seu varia partium combinatione, figura, & textura, eundem tamen colorem præ se ferunt. Plura itidem alia corpora idem obtinent temperamentum, sive eandem partium combinationem, figuram, & texturam, diversum vero colorem habent. Primum illud apparet in aquis Chimicis, quas Pharmacopolæ elaborant. Nam in illis idem color inspicitur, varium autem earundem temperamentum, sive diversam in illis partium combinationem, figuram, & texturam tam varii effectus, qui ab aquis illis oriuntur, evidentissime demonstrant. Neque enim alia potior est causa dignoscendi variam in corporibus partium texturam, nisi effectuum varietas. Quod potissimum valet in Recentiorum sententia affirmantium, effectus a partium configuratione, & textura, veluti a causa, proficisci. Alterum vero inde concluditur, quia si effecta spectemus, nulla temperamenti, & contexturæ diversitas deprehenditur in vino albo, & in vino rubro, quæ tamen vario colore constant. Marmor nigrum, & marmor album eandem habent partium texturam, & figuram. E contra pix, carbo, ebenus nigra pariter sunt, longe diversam autem obtinent partium configurationem. Plura quoque in albedine congruunt, ut nix, calx, charta, caseus, saccharum, sal, & similia, quæ tamen longe diversam habere partium texturam, & figuram, experientia teste, compertum est, maxime in sententia Recentiorum, qui saporis, & odoris diversitatem ex varia partium figura repetunt* (a).

℞. duplex in quovis corpore, sive composito naturali distinguendum esse *temperamentum*, alterum scilicet particularum, ex quibus remo-

(a) Tom.III. P.III. *Physicæ* Disp.III. q.5. *de coloribus* prob. I. assertionis 4. pag. 430.

remote, sive *mediate*, alterum particularum, ex quibus *proxime*, sive *immediate* illud consurgit. Patet ex duplici principiorum genere, *mechanico* scilicet, & *chymico*, quibus naturale quodcunque compositum constare diximus in Physica (a), quæque hoc loco minime sunt repetenda. Observandum præterea, *colores* in corporibus non a temperamento particularum, quæ *remote*, sed a temperamento earum, quæ *proxime* corpora ipsa constituunt, dependere. Hæ namque particulæ sicuti, quod in corpus *lumen* incidit, *immediate*, ut patet, recipiunt, ita illud, pro diversa, quam habent, *magnitudine*, *figura*, & *combinatione* varie modificatum, in nos reflectunt. Itaque, loquendo de temperamento particularum *immediate* componentium, negamus, quod assumit Vir Cl., multa nimirum corpora, quæ diverso constant temperamento, habere eundem *colorem*; & vicissim multa, quæ eodem temperamento constant, donari *colore* diverso. Contendimus enim, eorum omnium corporum, quorum idem *color* est, idem quoque esse externum, ut ita dicam, ipsorum temperamentum; & vicissim, hoc in iis omnibus esse diversum, quæ dissimili *colore* prædita conspiciuntur. Neque huic officit, plura, quæ sunt ejusdem *coloris*, natura differre inter se, & vicissim plura, quorum eadem est natura, *colore* esse diversa. Fieri enim potest, ut particulæ natura dissimiles simili artificio disponantur inter se, ita nempe ut, quæ ex illis emergunt composita, eodem modo incidens *lumen* modificent, eodemque modo modificatum, illud in nos reflectant. Vicissim quoque potest fieri, ut particulæ ejusdem naturæ dissimili adeo artificio inter se disponantur, ut, quod in illas cadit *lumen*, modo plane dissimili in nos repercutiant. Sic non mutantur penes essentiam particulæ aquæ, & vitri, illa dum abit in spumam, hoc dum in pulverem redigitur, & tamen externa earum partium textura adeo tunc mutatur, ut, quæ antea nihil ferme incidentis *luminis* in nos regerebat, maximam illius copiam ipsa deinde in nos reflectat. Hinc solutu facillima sunt, quæ affert Cl. Auctor, ut utrumque suum asumtum demonstret.

Ait primo, apparere *ex aquis chimicis, quas Pharmacopolæ elaborant*, multa corpora, quæ diversi temperamenti sunt, eodem *colore* donari. Concedimus, dissimilem esse earum particularum naturam, quæ in illis aquis latent, & ex quibus illarum vis, & energia derivatur. At, si de externo temperamento loquamur, negamus, illud in ipsis esse diversum. Damus quoque Viro Cl., non aliam potiorem esse viam dignoscendi *variam in corporibus partium texturam*, nisi *effectuum varietatem*, idque valere potissimum in sententia Recentiorum, conten-den-

(a) Tom. I. *Dissert.* III. *sect.* 2., & 3.

dentium, *sensibiles* corporum *qualitates* a partium *configuratione*, & *textura* provenire. Verum optamus, simul ipse consideret, non sufficere convenientiam duorum corporum in una *qualitate*, ut inferatur identitas *configurationis*, & *texturæ* in particulis *primitivis*; neque vicissim satis in illis esse discrimen penes unam *affectionem*, ut varietas *configurationis*, & *texturæ* in iisdem particulis recte colligatur; sed ad illam *configurationis*, & *texturæ* identitatem inferendam necessario requiri, ut, quæ in una *qualitate* consentiunt corpora, in ceteris quoque affectionibus sibi mutuo similia ipsa sint; ad inferendum vero ejusdem *configurationis*, & *texturæ* essentiale discrimen opus esse ex æquo, ut, quæ penes unam *qualitatem* corpora differunt, etiam penes reliquas, saltem plurimas, eadem ipsa inter se discriminentur. Tantumdem certe de sua *forma substantiali* dicere ipsimet etiam debent Scholastici. Nec enim contendent, ut puto, eorum omnium corporum, quorum idem *color* est, eandem esse *formam substantialem*; neque hanc in iis esse diversam, in quibus dissimilis *color* conspicitur. Quemadmodum ergo illi dicunt, cum identitate *formæ substantialis* aliquid stare in corporibus, ex quo dissimilis in illis *color* oriatur, & vicissim cum *formæ* varietate aliquid in illis latere, ex quo idem *color* proveniat; ita dicere eodem jure poterunt etiam Recentiores, cum identitate *configurationis*, & *texturæ* ex particulis *primitivis* eam in corporibus stare posse dissimilitudinem *configurationis*, & *texturæ* ex particulis *secundariis*, per quam diversi *coloris* corpora ipsa appareant; & vicissim, cum dissimili *configuratione*, & *textura* ex particulis *primitivis* eam identitatem *configurationis*, & *texturæ* ex *secundariis* particulis posse componi, per quam ejusdem *coloris*, quæ ex illis emergunt corpora, sese nobis videnda exhibeant.

Patet idcirco, quid dicendum sit ad secundum, ad illud nempe, quod *plura corpora idem obtineant temperamentum, & diversum calorem habeant*. Si nulla namque in eo sit repugnantia, quemadmodum nulla revera est, ut plura corpora sint ejusdem temperamenti quoad particulas *primitivas*, simulque diversi quoad *secundarias*, non est profecto, quamobrem Recentioribus opponat Vir Cl., plura haberi corpora ejusdem temperamenti, simulque *coloris* diversi, nisi demonstraverit, temperamentum, in quo ea omnia conveniunt, illud esse, quod penes principia non *primitiva*, sed *secundaria* in omnibus corporibus naturalibus consideratur. Ceterum hac super re quantum a vero distet Vir Cl., liquido ex iis apparet, quæ veluti ex suis terminis nota, vel ex ipsa experientia penitus manifesta ad suum probandum intentum ille assumit. Ait primo, *nullam temperamenti, &*

contextura diversitatem deprehendi in vino albo, & in vino rubro, quæ tamen vario colore constant. At quam falso, non ex ipso tantum palato, verum & ex aliis plane dissimilibus effectibus, qui ex utriusque vini usu in hominibus contingunt, aperte constat. Concedo, vinum album, & vinum nigrum *essentialiter* non differre. Arbitror tamen, id non requiri, ut *colore* differant, quemadmodum opus non est tanto discrimine, ut diversi penes alias affectiones liquores ipsi censeantur. Ponit secundo, *marmor nigrum, & marmor album eandem habere partium texturam, & figuram*. Sed omnino contra experientiam. Constat enim, non tantum marmor, sed omne corpus *album* magnam puræ *lucis* copiam, quæ in illius superficiem cadit, reflectere; *nigrum* vero totum, aut ferme totum, quod in ipsum incidit *lumen*, ex adverso absorbere. *Candidissima corpora*, inquit Boerhaavius, *lucem igneam illam acceptam a se repercutiunt fere eadem vi, qua illam acceperant* (a). Contra vero, eodem teste, *nigra corpora lucem igneam, sive calefacientem, a Sole quamvividissime emissam, non reflectunt a se* (b). Testatur Cl. Boyle, se, ope speculi ustorii, & quidem satis ampli, ex nigro marmore confecti, *nunquam potuisse longo temporis spatio, vel æstuante Sole, ligni frustum accendere, quamvis multo minus speculum ejusdem formæ, & ex reflectente minus materia constans, ictu oculi accendisset* (c). Non minus quoque certum experientia est, *nigra* corpora facillime, difficillime *alba* incalescere. *Si vitri dioptrici caustico foco*, inquit laudatus Cl. Boerhaavius, *albissima charta exponitur, diu erit, priusquam calescat; valde diu, priusquam incendatur .... Ubi vero nigerrimam chartam eidem foco commiseris, illico inflammatur* (d). Neque secus rem contingere, deprehendit, facto periculo, Cl. Boyle (e). Alia igitur in corpore *albo*, alia in *nigro* partium configuratio est, ac prorsus diversa earundem textura. Nimis apertum est enim, nonnisi ex harum affectionum discrimine posse dissimiles illos effectus jure deduci (f). Igitur veritati non consentit Cl. Adversarius, dum ait, *marmor nigrum, & marmor album eandem habere partium texturam & figuram*; dissimilem vero tam *picem, carbonem, & ebenum*, tametsi æque *nigra* sint, quam *nivem, calcem, chartam, caseum* &c., licet omnia in *albedine* congruant. Quamvis namque hæc vera sint, loquendo de combinatione, quæ fit ex particulis *primitivis*; falsissima sunt tamen, loquendo de combinatione, quæ ex particulis *secundariis* emergit.

(a) Elem. *Chemiæ* P. I. pag. 108.
(b) Ibidem.
(c) De *coloribus* P. II. cap. 2. num. 4.
(d) Elem. *Chemiæ* P. I. pag. 108.
(e) De *coloribus* P. I. cap. 1. num. 7.
(f) Vide quæ diximus in *Physica* Tom. I. §. 1447., & §. 1460.

git. Hæc enim in iis omnibus ſimilis eſſe debet, quæ, quod excipiunt *lumen*, eodem modo vel abſorbent, vel reflectunt, quemadmodum combinatio prior in iis omnibus ſimilis eſt, quæ ejuſdem ſunt *ſpeciei*; in iis vero diſſimilis, quæ ſunt *ſpecie* diverſa. Neque porro juvat Virum Cl., *ſapores*, *& odores diverſitatem ex varia partium figura* a Recentioribus repeti; non enim ex omnibus particulis, quæ *ſapidum*, & *odorum* corpus conſtituunt, ſed ex aliquibus tantum, nempe ex *ſalino-ſulphureo-mercurialibus*, affectiones illas Recentiores derivant; nullaque in eo repugnantia eſt, ut, quæ diſſimiles *ſalino-ſulphureo-mercuriales* particulas corpora comprehendunt, in externa partium diſpoſitione, combinatione, ſive textura, a qua dumtaxat dependet *color*, eadem ipſa plane conſentiant.

Opponit 2. *plurima extant corpora, quæ propter diverſam partium texturam, & diſpoſitionem diverſa ratione externam lucem modificant, refrangunt, & reflectunt, quæ tamen omnia ſunt alba, ut lac, & calx, vel æque nigra, ut marmor nigrum, & pix. Ergo colores fixi, ſeu permanentes non variantur ex varia externæ lucis modificatione* (a).

℞. ut ſupra, negando aſſumtum, ſcilicet corpora, quæ *propter diverſam partium texturam, & diſpoſitionem diverſa ratione externam lucem modificant, refrangunt, & reflectunt*, eſſe ejuſdem *coloris*. Certe neque *lac*, & *calx*, quæ æque *alba*, neque *marmor nigrum*, & *pix*, quæ æque *nigra* apparent, diſſimili ratione incidens *lumen* modificant, & in nos reflectunt; ſed illa *lumen* ipſum purum in ſpectatoris oculum regerunt; hæc vero illud totum, aut ferme totum ex æquo abſorbent. Miror tamen, judicio Viri Cl., extare corpora, quæ *propter diverſam partium texturam, & diſpoſitionem diverſa ratione externam lucem modificant, refrangunt, & reflectunt*, quin ſint *colore* diverſa. Non enim ſatis video, quomodo ſtare deinde poſſit, quod ille docet alio loco, nempe *colores ſecundarios ex varia commixtione albi, nigri, flavi, rubri, & cerulei, accedente etiam varia diſpoſitione lucis, & umbræ, diaphaneitatis, & opacitatis* provenire (b). Aperte namque hinc ſequitur, diſſimilitudinem *colorum ſecundariorum* a varia *lucis modificatione, refractione*, & *reflexione* dependere. Quid enim aliud eſt illa varia diſpoſitio *lucis*, & *umbræ*, niſi varia *lucis*, modificatio? Quidnam aliud ob variam diſpoſitionem *diaphaneitatis*, & *opacitatis* in corporibus accidit, niſi varia externæ *lucis* refractio, & reflexio? Non dubitat ergo Vir Cl., quominus ob variam externæ *lucis* modificationem, refractionem, & reflexionem *ſecundarii colores* mu-

(a) Loco citato *prob. 2. pag.* 431.
(b) Ibidem *aſſert. 6. pag.* 434.

mutentur. Igitur neque dubitare potest, quominus etiam *colores primarii* possint propter easdem causas in corporibus mutari, sive quominus corpora, quæ *externam lucem* diversa ratione modificant, refrangunt, & reflectunt, sint *colore* diversa. Omnium quippe, nisi contrarium ille manifeste ostenderit, eadem ratio est, & par conditio.

Instat: *variata luce, eademque nunc intensiori, nunc remissiori, alba corpora semper videntur alba; & nix, quæ alba conspicitur, Solis luce præsente, noctu etiam alba apparet; cum tamen pro majori lucis copia major illius reflexio habeatur* (a).

℞. me non videre, quomodo Recentiorum hypothesi id officiat. Nullus enim illorum est, qui velit, mutari *colorem* in corpore ob id dumtaxat, quod modo intensius, modo remissius *lumen* in corporis superficiem incidat, ab eaque in nos regeratur. Concedo, variata *luce*, eademque nunc intensiori, nunc remissiori facta, *alba* semper videri corpora, quæ *alba* sunt. Concedo, nivem, quæ *alba* conspicitur, Solis luce præsente, etiam noctu *albam* apparere; ac propterea, si quis fuerit, qui *colorum* diversitatem ex *lumine* inæqualiter intenso derivet, perquammaxime a vero esse alienum. Nego tamen, tantumdem de iis dicendum fore, qui non ex inæquali intensitate *luminis*, sed ex dissimili illius modificatione *colorum* discrimen desumunt. Do etiam Viro Cl., *pro majori lucis copia majorem illius reflexionem haberi*, hoc est, vividius esse *lumen*, quod reflectitur. Verum, nisi ostenderit, *lucem* ipsam, prout magis, minusve intensa fuerit, dissimili ratione modificatam ad nos pervenire, parcat, si dixero, hinc ne levissime quidem Recentiorum hypothesim labefactari.

Addit porro, *in marmore albo, & in marmore nigro eandem contingere radiorum lucis reflexionem; quia utrumque habet æqualem partium texturam, duritiem, poros, & utrumque levigatum est, ac tersum, & tamen color in illis longe diversus est* (b).

At vero id adeo falsum est, ut nihil magis. Experientia siquidem teste, ut vidimus, ex marmore *albo* maxima incidentis *luminis* reflexio est; nulla vero, aut ferme nulla ex *nigro*. Fallitur ergo Cl. Auctor, dum assumit, veluti ipsis sensibus manifestum, eandem in utroque marmore esse partium texturam, pororum magnitudinem, dispositionem &c. uno verbo, id in utroque ex æquo haberi, ex quo æqualis *luminis* reflexio dependet.

Op-

(a) Loco citato *pag.* 431.
(b) Ibidem.

Opponit 3. *sive* oblique, *sive* directe *radii lucis excipiantur, aut in corpus incidant, idem omnino calor percipitur* (a). Ergo &c.

℞. concedendo *assumtum*, & negando *conseq.* Id enim nullatenus officit Recentiorum doctrinæ. Perinde siquidem est, illorum sententia, ad corporis *colorem*, sive *oblique*, sive *directe* externam *lucem* corpus ipsum recipiat, & in nos reflectat, dummodo tam in *directa*, quam in *obliqua* reflexione, eodem modo modificata ad nos illa perveniat. Sic corpus *album*, sive *directe*, sive *oblique* in nos emittat *lumen*, quod recipit, illud semper purum in nos regerit, unde semper *album* apparet. Similiter corpus *nigrum* vel totum, aut ferme totum, quod in ejus superficiem incidit *lumen*, semper ex æquo absorbet, unde *nigrum* perpetuo conspicitur. Quia tamen lumen *directe* reflexum, fortius; debilius vero, quod *oblique* reflectitur, visus organum percellit; propterea vividiores apparent *colores*, qui, medio lumine *directe* reflexo; dilutiores, qui, medio lumine *oblique* in nos repercusso conspiciuntur.

Pergit ille: *lux unius speciei est, colores specie differunt. Peto autem, quid sit illa lucis modificatio, aut quomodo possit tam varios referre colores* (b)?

℞. *lucem* esse quidem unius *speciei*, *colores* vero *specie* differre; attamen vel nihil prorsus hinc jure inferri posse, quod Recentiores aliquo modo premat; vel si quid hujusmodi inde sequatur, illud ipsum etiam Scholasticos ex æquo urgere. Nihil colligi hinc potest, quod Recentioribus valeat aliquid negotii facessere. Utut homogenea enim videatur *lux*, illud certum est perspicuumque, eam posse, vi solius *refractionis*, in plures *diversicolores* radios resolvi. Patet in illo *lucis* radio, qui per vitreum *prisma* trajectus, alba charta excipitur. Dubium non est ergo, quin *lux*, licet unius *speciei*, nobis exhibere, certa accedente causa, dissimiles *colores* possit. Præterea, quantacunque sit unitas *lucis*, & *colorum* diversitas, ipsa tamen una medium est, quo omnes *colores* percipiuntur; ac proinde quo omnium imago in oculi fundo depingitur. Ergo neque *lucis* unitas, neque diversitas *colorum* impedimento esse potest, quominus ex una *luce*, diversa ratione modificata, omnium *colorum* origo derivetur. Igitur Cl. Adversarii argumentum vel non premit Recentiores, vel etiam Scholasticos ex æquo urget. Æque enim difficile captu est, unam *lucem* ad omnes, tum inter se, tum ab illa adeo dissimiles, *colores* percipiendos, tamquam medium, inservire; ac sit captu difficile, ex illa una *colores* omnes provenire.

Ad

(a) Loco citato *prob.* 3. *pag.* 431. (b) Ibidem.

Ad id vero, quod petit Vir Cl., *quid* nempe *sit illa lucis modificatio*, ex qua a Recentioribus derivantur *colores*, & *quomodo tam varios colores referre ipsa possit*; paucis respondeo, & dico, certo certius tunc futurum, ut Recentiores utrique propositæ quæstioni satisfaciant, cum Cl. ipse Auctor palam effecerit *primo*, quid sit tum *varia* illa *dispositio lucis*, *& umbræ*, *diaphaneitatis*, & *opacitatis*, tum *varia* ea *mixtio albi*, *nigri*, *flavi*, *rubri*, & *cærulei*, ex quibus *colores* reliquos ipse oriri ait (a); *secundo*, cum in aperto ipse quoque posuerit, quomodo varia ejusmodi mixtio, & dispositio valeat tam varios *colores* referre. Qua enim ratione persuasum tanto Viro est, sibi jure non posse vitio verti, quod ex hac varia dispositione, atque mixtione *secundarios colores* derivet, quin eas antea palam effecerit; eadem ipsa ratione contendent Recentiores, injuste prorsus a Scholasticis eo adigi, ut vel explicent modificationem illam *lucis*, ex qua *colores* omnes repetunt, vel opinionem hanc suam de *colorum* genesi, tamquam mancam, & Philosopho indignam, ipsi reiiciant.

Porro cum P. Ferrari ingenue fateatur (b), *colorum* naturam neque sibi clare distincteque innotescere, neque ab Aristotele nitide fuisse descriptam, veniam dabit, ut spero, Recentioribus, si hac super re a Scholasticorum sententia recesserint; neque contendet, illud ipsum de *colorum* natura sensisse Aristotelem, quod Scholastici docent.

Do itidem Viro Cl., *colorem* posse utcunque describi, *affectionem corporis opacitate aliqua præditi, quæ quidem affectio subjectum suum denominat, & per lucem fit visibilis, atque nata est visionem terminare* (c). Moneo solum, definitionem hanc non *rei* esse, sed *nominis*. Per eam quippe palam non efficitur, quid *physice* sit *color*, sive ea affectio, quæ dicitur denominare corpus, fieri visibilis per *lucem*, & visionem terminare; sed describitur tantum, quid *coloris* nomine intelligatur.

Opponit 4.: *nigredo color est, & tamen ab albedine toto cælo differt: Quare utrumque per lucem haberi non potest; maxime cum nigredo videatur prorsus dissimilis luci* (d).

℞. *nigredinem* non esse *calorem positivum*, sed *negativum*. Corpus quippe, ut etiam supra innuimus, nobis *nigrum* apparet, non quia *lucem* vel puram, sicuti corpus *album*, vel certa ratione modificatam, quemadmodum corpora *mediis coloribus* affecta, in nos regerat; sed quia nihil prorsus, aut ferme nihil *luminis*, quo perfunditur, in nos re-

(a) Loco citato *assert. 6. pag.* 434.
(b) Ibidem *pag.* 444.
(c) Ibidem.
(d) Ibidem *prob. 4. pag.* 431.

reflectit. Concedo, *nigredinem* non solum toto cœlo ab *albedine* differre (differunt enim, ut *privatio*, ejusque *forma*) sed etiam *luci* maxime esse dissimilem; & ideo per *lucem* haberi non posse. Quidnam vero hinc sequatur contra doctrinam Recentiorum de *colorum* origine, fateor ingenue, a me nequaquam videri. Nullus quippe illorum est, qui doceat, *nigredinem*, quemadmodum *albedo*, ceterique *colores*, qui *medii* dicuntur, a *luce* provenire; nullus, cui placeat, sensum *nigredinis*, ut *colorum* reliquorum, a *luce* in oculum ab objecto emissa, ejusque *retinam* movente derivare.

Verum urget Cl. Adversarius, *hoc gratis confictum merito reputari. Umbra enim nihil est, nec per se ipsam valet movere potentiam* (a).

℞. gratis non fingi a Recentioribus, sed satis probabili conjectura ab illis poni, corpus ob id dumtaxat nobis *nigrum* se prodere, quod nihil, aut ferme nihil incidentis *luminis* in oculum reflectat. Ex una enim parte certum est, inquiunt illi, neque sane immerito, ut vidimus, corpus *nigrum* totum, aut ferme totum *lumen*, quod excipit, absorbere, adeoque nihil illius, aut ferme nihil in nos regerere. Ex altera vero manifeste constat, ea omnia nobis *nigra* apparere, quæ nullo *lumine* perfunduntur. Cum ergo perinde sit, corpus nullo *lumine* perfundi, ac illud nihil *luminis* in nos reflectere, non immerito dicendum putant, corpora *lumine* perfusa ideo *nigra* constanter apparere, quod nihil, aut ferme nihil incidentis ipsius *luminis* in nos reflectant. Accedit auctoritas Aristotelis. Is enim, vel quisquis fuerit, de quo viderint Critici, Auctor libelli de *coloribus*, Aristoteli vulgo adscripti, docet, *nigrum* apparere nobis posse multipliciter. *Aut enim*, inquit, *omnino quod non videtur, est natura sua* nigrum; *aut a quibus nullum prorsus lumen fertur ad oculos. Nam, quod non videtur, cum ambiens locus videtur*, nigri *reddit apparentiam. Apparent item nobis hujusmodi omnia* nigra, *a quibus rarum, & paucum lumen repercutitur. Quare &* nigræ *apparent umbræ, similiter & aqua, quando exasperata fuerit, quemadmodum maris horror; nam propter superficiei aspertatem paucis radiis incidentibus, & dissipato lumine, umbrosum* nigrum *apparet; propterea & nubes, quando densa fuerit valde, eadem quoque ratione & aqua, & aer, quando non omnino penetrat lumen. Etenim hæc videntur esse* nigra, *quod profunditatem habeant, eo quod omnino radii refranguntur. Intermediæ enim partes ipsorum omnes videntur* nigræ *propter tenebras* (b). Injuste ergo, quod de *nigredinis* natura, & origine tradunt Recentiores, *gratis confictum* appellat Cl. P. Ferrari. Ratio etiam, qua

 id

(a) Loco citato. (b) Cap. 1.

id ille demonstrat, nulla est, utpote principio penitus falso innixa. Falsum est enim, *nigredinem*, non perinde atque umbram, esse aliquid *positivum*; falsum, eam *per se* movere potentiam visus. Iterum quippe dicimus, *nigredinem* consistere in *privatione lucis*, & visus organum reapse non moveri, sive non affici *positive*, dum *nigredinem* in corpore discernit, quemadmodum ex adverso illud reipsa movetur, & *positive* afficitur, dum *colores* reliqui conspiciuntur.

Instat præterea idem P. Ferrari, *pro majori lucis copia, quæ in* nigram *rem effunditur, clarius etiam, & distinctius rem illam conspici; proindeque majorem tunc radiorum copiam ab ea re* nigra *reflecti. Quare potius debere quasi* albam *postmodum apparere, si* albedo *consistit in reflexione multorum radiorum* (a).

℞. pro majoris *lucis* copia, quæ in rem *nigram* effunditur, clarius & distinctius rem illam conspici, non quia, ut ipse falso putat, major copia *lucis* tunc ab illa in nos regeratur; sed quia corpora, quæ eam ambiunt, & continent, cum visus organum tunc fortius percellant, suique sensum vividius in nobis excitent, efficiunt quodammodo, ut res illa magis *nigra* nobis appareat. Universaliter enim, eo nobis sensibilior *privatio* est, quo *forma* illi opposita validius sensum afficit.

Miror autem, dici a P. Ferrari, pro majori *lucis* copia, quæ in *nigram* rem effunditur, *majorem tunc radiorum copiam ab ea in nos reflecti*. Res enim *nigra* vel percipitur mediante *lumine*, quod ab illa, ut ait Cl. Auctor, in nos regeritur, vel non. Si non percipitur, medio illo *lumine*: eccur dicit, pro majori *lucis* copia, quæ in eam effunditur, clarius distinctiusque rem *nigram* conspici? Si vero percipitur ope illius *luminis*: ergo maxima *nigredinis* diversitas ab *albedine*, ejusdemque maxima a *luce* dissimilitudo non impedit, quominus ad utriusque *coloris* visionem una *lux* sensum determinet; & ideo, secus ac ille docet, ut vidimus, neutra prohibere jure potest, quominus, sicuti *albedo*, ita etiam *nigredo* per *lucem* habeatur. Æque enim repugnare mihi videtur, *albedinem*, & *nigredinem*, licet toto cælo differant, immutare organum visus, mediante eodem *lumine*, ac utramque ex eodem *lumine* oriri; sicuti etiam visus organum moveri a *nigredine* per *lucem*, tametsi *lux* sit illi plane dissimilis, ac repugnet, *nigredinem* ipsam a *luce* provenire.

Opponit postremo idem P. Ferrari, *lucis refractionem minime dici posse causam colorum. Etenim*, inquit, *si lux per vitra colorata, & plana transmittatur, eos quidem colores induit, sed non aliam subit refractio-*

(a) Loco citato *pag.* 431.

ctionem, quam si vitra omni essent colore destituta. Non igitur partes illæ, quæ colores efficiunt, ceu parva quædam prismata, aut cylindruli, radios luminis infringunt, aut disjiciunt. Quod si vitrum concavum aliquo sit colore imbutum, radii in eundem locum, seu focum refracti coibunt, ac si vitrum esset omnis coloris expers (a). Igitur &c.

℞. non ex omni *lucis* refractione derivari posse *colores* corporum, sed ex ea tantum, per quam refractum *lumen* in plures *coloratos radios* veluti separatur. Propterea, cum, ut experientia demonstrat, id illa refractio non efficiat, quam patitur *lumen*, dum per vitra plana traiicitur, damus Viro Cl., corporum *colores* ex hac minime posse desumi. Hinc tamen non recte ille colligit, ex nulla *luminis* refractione derivari *colores* posse. Manifestum enim experientia est, a *lumine* per *vitreum prisma*, perque *bullulas* tum *vitreas*, tum *aqueas* refracto, *colores* plurimos, eosque elegantissimos exhiberi. Ipse etiam docet, *colores transeuntes* oriri ex mixtione *colorum* primitivorum *pro varia itidem opacitatis, & diaphaneitatis dispositione, atque reflexione, refractioneque lucis* (b). Vel loquitur ergo de *refractione* illi non dissimili, quam patitur *lumen*, dum per planum vitrum transit, vel de *refractione* ab ea non diversa, quæ in illo contingit, dum per *vitreum prisma* traiicitur, adeoque de *refractione*, per quam *lumen* in plures radios diversorum *colorum* veluti separatur. Si loquatur de prima: ergo sibi non consentit, dum approbat hoc loco, quod paulo antea contra Recentiores, ut falsum, rejecerat. Si vero de *refractione* altera loquatur: quæro a Viro Cl., num ineptitudo *refractionis* per *vitra plana* ad producendos *colores* satis evincat, ex nulla *refractione* derivari a nobis *colores* posse, an non. Si illa id satis evincat: eccur ipse deinde, ex hac postrema *refractione* provenire aliquos *colores*, docet? Si non: eccur illam ipse in medium profert, ut contra Recentiores ostendat, ex *refracto lumine* minime posse *colores* derivari?

Dicet forte, se hoc loco de *apparentibus coloribus* loqui; de *constantibus* vero, dum contra Recentiores disserit.

At in oppositum est. Nam ineptitudo *refractionis* per *vitra plana* ad *colores* producendos vel non prohibet, quominus etiam *colores fixi* ex *lumine refracto* repetantur, vel etiam impedit, quominus ex illo deriventur *colores apparentes*. Ita enim argumentor: illa *refractionis* ineptitudo aut non obstat, ne corporum particulæ, ceu *parva* quædam *prismata*, aut *cylindruli*, incidens lumen infringant, vel disiiciant; aut obstat, ne illæ particulæ, ceu *parva* quædam *prismata*,

 aut

(a) Loco citato *pag.* 431. (b) Ibidem *pag.* 434.

aut *cylindruli* id in *lumine* præstent. Si non obstat: ergo neque obstat, quominus, posita in corporibus sensibilibus illa componentium particularum figura, & combinatione, etiam *colores fixi* ex *refracto lumine* oriri dicantur. Si vero obstat: ergo obstat etiam, quominus *colores apparentes* ex *lumine refracto* proveniant. Si qui etenim *colores* proveniunt ex *refractione*, ii profecto sunt, qui a *lumine* per *vitreum prisma* refracto exhibentur.

Non omittendum postremo videtur, Virum Cl. hallucinari, si putat, *lumen*, dum transit per vitrum planum coloratum, ideo *colorem* ipsum in egressu induere, quia in transitu refrangatur: Non enim hanc, sed prorsus aliam esse hujusce phœnomeni causam, compertum fiet Viro Cl., si grave illi non fuerit, recentiores Philosophos consulere, quæque de illius *coloris* origine ipsi tradunt, attente considerare.

SCHOLION I.

89. Quemadmodum inter Recentiores penitus convenit, corpus nobis *nigrum* idcirco apparere, quia nihil, aut ferme nihil *luminis*, quo perfunditur, in nos reflectit; ita iisdem persuasum est, *album* ideo nobis illud se prodere, quod singulæ, aut ferme singulæ extimæ ipsius particulæ radium puræ lucis, quam excipiunt, in nos emittant. Ut prætercam enim, quod est egregie a Gassendo observatum, *summam* scilicet, *seu sinceram lucem in ipso suo fonte, lucidove, ut Sole, spectatam, esse ipsum candorem, seu albedinem candicantem, promicantem, emicantem, splendescentem* (a); maximo hujus opinionis argumento est, quemadmodum præclare animadvertit Cl. Boyle, *albicans* ea cœli *nebula*, quæ *via lactea* vulgo nuncupatur. Cum enim illa non aliud vere sit, nisi immensa quædam stellularum sibi mutuo perquammaxime vicinarum copia, videtur nullatenus dubitandum, quominus *corporum lucidorum multitudo, si ob parvitatem singula seorsim visum fugiant, & si satis confertim sibi invicem componantur, possit*, ut ille ait, *ob radios suos confusos unum corpus album oculo apparere* (b); ac proinde quin corpora, quæ nobis *alba* apparent, eam ob causam hujusce *coloris* videantur, quia extimæ minutissimæ, sibique invicem apprime vicinæ, componentes illorum particulæ, *puræ lucis* radium, ceu totidem stellulæ, singulæ in nos reflectant. Verum,

SCHO-

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 12.
(b) P. II. *de coloribus* cap. I. num. 10.

SCHOLION II.

90. Quo tamen certius est, hanc esse *albedinis*, & *nigredinis* naturam, atque originem, eo res est incertior, in quonam *physice* ea reflexi *luminis* modificatio posita sit, ex qua reliquos *colores* diximus provenire. Hypothesis enim adhuc desideratur, quæ penitus satisfaciat. Ejusmodi certe, ut ingenue dicam, quod sentio, nulla earum est, quas ad rem hanc explicandam Recentiorum solertia hactenus excogitavit, ut proinde, disserens hac de re, non immerito dixerim in Physica (a), quod scripserat Tullius, agens de natura Deorum, *alterum fieri profecto posse, ut earum nulla, alterum certe non posse, ut plus una sit vera* (b). Id tamen sicuti non obstat, quominus verum sit, nonnisi a *lumine* certa ratione modificato eam in oculo impressionem fieri, quam *medii* cujusque *coloris* sensatio in anima consequitur; ita illud ipsum jure non prohibet, quominus ratum fixumque maneat, a sola componentium particularum *magnitudine*, *figura*, & *combinatione* habere corpus, ut, *lumine* perfusum, nobis *coloratum* appareat; cum qualiscunque sit illa *reflexi luminis* modificatio, res indubia videatur, nonnisi ab illis *mechanicis* particularum *affectionibus* eam posse provenire. Hinc

COROLLARIUM.

91. Sumto *colore obiectivo* pro illa corporis seu *affectione*, seu *forma*, quæ est ratio, quamobrem corpus ipsum, dum *lumine* perfunditur, *certi coloris* appareat, perspicuum manet, *colorem objectivum in Recentiorum hypothesi, æque prorsus ac in hypothesi Scholasticorum, a lumine non dependere*. Sive enim illa affectio in componentium particularum *magnitudine*, *figura*, & *combinatione*, ut Recentioribus placet, statuatur; sive, ut contendunt Scholastici, sit *accidens absolutum*, stat ex æquo, perinde illam esse in corpore, posito *lumine*, ac in ipso sit, *lumine* sublato; ac propterea æque vere, posita sententia Recentiorum, ac opinione Scholasticorum admissa, dici posse, corpus, etiam quando nullo *lumine* perfunditur, esse *coloratum*, ejusque *colorem*, mutato *luminis* gradu, non mutari.

SCHO-

(a) Tom. I. *Physicæ* §. 1468. & *seq.*
(b) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 2.

SCHOLION III.

92. Monere porro liceat, injuste prorsus Veteres nonnullos a Cl. P. Ferrari (a) eam ob causam irrideri, quod dixerint, *colores* existere in corporibus, presente *lumine*; hoc vero sublato, eos in corporibus perire. Cum enim illi sumserint *colores* non pro ea corporis seu affectione, seu dispositione, per quam corpus ipsum habet *formaliter*, ut *lumen*, quod excipit, certa ratione modificatum in nos reflectat, atque hinc ut, illo mediante, *coloris* sensum in nobis excitet; sed pro ea reflexi *luminis* modificatione, ratione cujus sensorium visus ita ab illo immutatur, ut hinc determinetur anima ad *colorem* percipiendum, non est sane, cur illi propterea risu excipiantur. Nemo non videt enim, nihil tunc verius dici posse, quam *incidentem in subjectas res lucem*, colorem *esse*, *& constituta in tenebris corpora* colore *destitui*, ut olim ab Aristarcho Samio apud Gassendum (b) dicebatur. Nemo quoque ignorat, nihil esse, quod prohibeat, quominus ita sumatur *color*, quemadmodum nihil jure habetur, quod obstet, quominus *soni* nomine non tremor sonantis corporis, sed qui aeri ab illo motus imprimitur, intelligatur. Hinc laudatus Cl. Gassendus non magis absurdum esse, ait, dicere cum Epicuro, omnia in tenebris æque esse *coloris* expertia, quam sit absurdum dicere, *esse varias fistulas æque insonoras, & dispositiones tamen in se habere, propter quas, flatu adveniente, varios sonos exhibeant; aut esse varia grana æque exflora, & dispositiones tamen continere, propter quas, humore, caloreque advenientibus, varios flores exhibeant, parique modo alia sexcenta* (c). Veterum itaque Philosophorum mentem non satis perspectam habuit Cl. P. Ferrari, dum contra illos scripsit, *dicere colores existere, dum luce perfunduntur, absente vero lumine, deperire, perinde esse, ac si quis dicat, orientia quidem astra succendi, occidentia vero extingui*; sicuti etiam dum admirans scripsit: *hæc commenta quid aliud sunt, quam dicere, quos videas homines, esse; quos videre desinas, mori; aut eundem parietis v. g. alborem eodem simul tempore existere, dum ab uno inspiciente videtur; & non existere, dum alterum hominem latet* (d)?

(a) Loco citato in *prob.* asert. 6. *pag.* 434.
(b) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 12.
(c) Ibidem.
(d) Loco citato.

93.

V.

93. Dicendum modo de *ſaporibus*. Itaque Recentiores ſi audiamus, a *ſalinis* potiſſimum particulis habent naturalia quæque compoſita, ut nobis *ſapida* ſint; idque illæ non præſtant, niſi ratione *magnitudinis*, atque *figuræ*, quibus ſingulæ donantur. Quod ſpectat ad primum, illud ſane ex hoc uno fit manifeſtum, quod, ut etiam dictum fuit, cum adverſus Scholaſticos res hujuſmodi ageretur (§.70.), *ſapidum nihil ſit, ex quo extrahere ſal non detur; nihil, quod extracto ſale non reddatur inſipidum; nihil itidem ſit inſipidum, quod commixto ſale, ſapidum non fiat* (a). Dubium non eſt enim, quin corporum *ſapor* ex ea ſubſtantia oriatur, qua, in corporibus poſita, *ſapida* illa nobis ſunt, & qua ſublata, *inſipida* nobis ipſa redduntur. Ad ſecundum vero quod attinet, cum *ſalinæ* particulæ ſenſum *ſaporis* in nobis non excitent, niſi quia nerveas eas linguæ papillulas, in quibus *guſtus* organum poſitum eſt (§. 26.), certa ratione pungunt, movent, & vellicant (§.29.), ab eo certe habent *formaliter*, ut *ſaporis* ſenſum excitare illæ in nobis poſſint, a quo habent, ut nerveis linguæ papillulis debite applicatæ, pungere eas valeant, certaque ratione premere, atque movere. Nemo autem non videt, hanc in illis vim, utpote quæ eſt pure mechanica, a ſola earum *magnitudine*, atque *figura* dependere. Ergo ab hiſce tantum affectionibus ea vis oritur, qua ſalinæ ſapidi corporis particulæ ſenſum *ſaporis* in nobis efficiunt.

Confirmatur ex eo *primum*, quod neceſſe ſit, corpus ſapidum dentibus conteri, & ſaliva dilui, ut illius *ſapor* percipiatur. Hujuſce enim phœnomeni non alia ſane eſſe poteſt cauſa, niſi quia ſalinæ ipſius corporis particulæ diſſolvi debent, ab iiſque ſejungi, quibus in illo ſimul permixtæ ſunt, ut, ſui juris factæ, linguæ poros penetrare deinde valeant, ad nerveas ejuſdem papillulas deduci, eaſque libere premere, & pro ratione ſuæ *magnitudinis*, atque *figuræ*, diverſo modo ipſas pungere, & vellicare.

Secundo: quia nullius ſolidi corporis *ſapor* ſentitur, ſi lingua vel nimis arida fuerit, vel nimio humore turgida. Non ſentitur enim *ſapor*, ſi lingua fuerit nimis arida; quia, deficiente humore, deeſt menſtruum, quo ſalina corporis ſubſtantia debite diſſolvatur. Idipſum accidit, ſi lingua nimis humore turgeſcat; quia, ſi humoris copia

pia

(a) Gaſſendus Sect. I. *Phyſicæ* lib. VI. cap. 9.

pia debitam mensuram excedat, non solum retunditur salinarum particularum vis, verum etiam nerveæ linguæ papillulæ ineptæ reddantur ad eam ex illarum appulsu motionem concipiendam, quam *saporis* sensatio in anima comitatur.

Suadetur *postremo* ex eo, quod sapida corpora *calore* fiant *sapidiora*; ferme vero *insipida*, si nimio *frigore* corripiantur. Cum enim non aliunde repeti id posse videatur, nisi quia *calor* perfectius solvat attenuetque salis particulas, easque insuper contra nerveas linguæ papillulas fortius urgeat; *frigus* vero ex adverso perfectam illarum particularum dissolutionem prohibeat, & linguæ papillulas torpidas reddat, videtur, minime dubitandum, quominus pure mechanica sit actio, qua a salinis sapidi corporis particulis sensus *saporis* in nobis excitatur; ac proinde quominus ab salinarum particularum *magnitudine*, atque *figura* actio illa tota, adeoque etiam *sapor*, dependeat.

Contrarium sentit Cl. P. Ferrari. Tametsi enim & ipse, ut etiam innuimus alibi (§. 70.), a rigidiorum Peripateticorum sententia recesserit, admittens scilicet cum Recentioribus, sales non solum *sapidos* esse, verum etiam *efficientes saporum* (a), contendit tamen, secus ac illi docent, salinas particulas non habere a sua *figura*, ut afficiant gustus organum, & *saporis* sensum in nobis excitent. Sic enim argumentatur Vir Cl.: *data Recentiorum sententia, quælibet nostri corporis pars esset* gustativa, *& quolibet corpus esset* gustabile, *ac* saporificum; *nullum vero* insipidum. *Utrumque contrarium est experientiæ. Igitur* &c. Major probatur: *cum inter gustus, tactusque sensoria exiguum sit discrimen, nec cutis minus, quam lingua, salium asperitates nata sit percipere, quid est, quod cutis etiam non sit* saporum *judex? Nec juvat ad cutis, seu cuticulæ conformationem, aut duritiem recurrere, ratione cujus dicatur, minimas eas asperitatum differentias sentire non posse, quas lingua potest; parte enim cutis abrasa, asperitas salis liquati cuticula sentitur; & tamen inauditum est,* saporem *ibi aliquem percipi. Quod si ad leges Dei recurrant Recentiores, jam hæc commenta rejecimus in præcedenti disputatione. Deinde corpora* insipida *reperiri, certum est, ut sunt aqua, terra, & corpora omnia, in quibus spiritus a terra, & aqua obruuntur in statu fixationis, ut ajunt Chimici. Atqui juxta Recentiores, qui mechanicis principiis omnia expendunt, nullum corpus reperitur, quod conflatum non sit ex atomis, seu moleculis certa configuratione donatis. Ergo aqua etiam, & terra suas habent*

(c) Tom III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 2. *pag.* 367, & 368.

bent atomos, seu particulas, quibus organum gustus valent afficere. Re ipsa autem aqua linguam alterat. Sed Recentiores dicent, aquam id efficere in linguam, ut hæc tactiva *est, non ut* gustativa. *Porro hæc explicandum manet per mechanicas affectiones. Si enim suavis gustus fit mollibus atomis linguam lenientibus; hoc totum præstat aqua, adeoque saporem habet suavem, linguæ, non ut* tactivæ *solum, sed etiam ut* gustativæ, *se insinuantem. Asperitas quoque in terræ partibus reperitur. Quod si ad asperitatem, lenitatemque minorem Recentiores confugiant, non alium omnino sensum, sed eundem delicatiorem efficient. Ad hæc, varia corpora, quæ variis proinde moleculis constant, eundem reddunt saporem, ut mel, & saccharum, & similia. Quamquam ergo sales in corporibus existant, & sapidi sint, & variam habeant figuram, non tamen figura ipsa efficit saporem, aut corpus sapidum constituit* (a).

Respondeo ad hoc argumentum, singulas ejus partes singulatim expendendo. Primo itaque nego *majorem*, nempe fore, admissa sententia Recentiorum, ut *qualibet nostri corporis pars sit gustativa, & quodlibet corpus sit gustabile, ac saporificum, nullum vero insipidum*. Ad hujus probationem dico, inter sensoria *gustus*, & *tactus*, quamvis ex nerveis fibrillis æque composita, tantum esse discriminis, quantum sufficit, ut neque ab omnibus omnium corporum particulis excitari ad motum possint, neque ex motionibus, quæ in illis omnibus fiunt, eædem sensationes in anima consequantur. Illorum quippe structura plane diversa est, pro specifico scilicet ipsorum discrimine; idque satis esse, ne & ab omnibus omnium corporum particulis excitentur ad motum, & ex eorum motionibus eædem sensationes in anima contingant, abunde ostendimus supra (§. 29.), cum nempe momenta dissolveremus, quibus Cl. ipse Auctor demonstrare nitebatur, passionem externi sensorii, quam sensatio in anima consequitur, in sola motione nervearum fibrillarum, ex quibus organa ipsa immediate constant, perperam a Recentioribus collocari. Unum tantum addo, quod ibidem etiam notatum fuit, mihi nempe apprime gratum futurum, si Vir Cl. in aperto posuerit, quamobrem *gustus*, & *tactus* organa, licet, ipso quoque docente (b), ex nerveis tantum fibrillis æque componantur, & ut habet hoc loco, exiguum inter illa sit discrimen; attamen ab iisdem *absolutis* saporum, & tactilium qualitatum *accidentibus* ex æquo non immutentur? Videtur enim, ut qua ratione stare potest, ab iisdem *absolutis accidentibus* illa non affici, quamvis exiguum sit ipsorum discrimen, ea-

 dem

(a) Loco citato *prob. assert.* 2. *pag.* 367.
(b) Ibidem *pag.* 366.

dem prorsus stare itidem queat, illa ab iisdem corpusculis non immutari, vel saltem non ita immutari, ut similes sensationes hinc in anima contingant.

Ad illud propterea, quod addit, *parte* scilicet *cutis abrasa*, *asperitatem salis liquati cuticula sentiri*, quin idcirco *sapor* aliquis percipiatur, facilis responsio est: dicendum nempe, ab iis acuminatis liquati salis corpusculis, quæ immutato *gustus* organo, *acidi saporis* sensationem in nobis excitant, etiam nerveas sensorii *tactus* fibrillas irritari, adeoque illorum corpusculorum asperitatem *tactu* quoque sentiri; verum, ob plane dissimilem horum sensoriorum structuram, sensationes, quæ ex illis motionibus in anima fiunt, diversas esse inter se, quemadmodum diversæ sunt sensationes *gustus*, & *olfactus*, tametsi eadem salina corpuscula, quæ *gustus* organum movent, etiam sensorium *olfactus*, ad *volatilitatis* statum, ut Chymici ajunt, evecta, ipsa afficiant.

Quod porro nullum, ut ille ait, in natura futurum sit corpus *insipidum*, si vis, qua salinæ particulæ sensum *saporis* in nobis excitant, illarum *magnitudini*, & *figuræ* accepta referatur, plane falsum mihi est. Neque enim id ex eo sequitur, quod juxta Recentiorum doctrinam *nullum corpus*, ut ait Cl. Adversarius, *reperiatur*, *quod conflatum non sit ex atomis*, *seu moleculis certa configuratione donatis*; cum stare possit, omne corpus componi hoc modo, quin propterea in omni corpore habeantur particulæ ejus *magnitudinis*, atque *figuræ*, cujus necessario esse debent, ut ex illarum appulsu *gustus* organum immutetur; quemadmodum sane potest stare, ut stat reipsa, omne corpus sensibile ex figuratis corpusculis coalescere, quin corpus omne aliquid salis contineat. Certe ipsum P. Ferrari si audiamus, omne corpus constat ex *materia*, & *forma substantiali* (a), neque tamen omne corpus continet salinas particulas, ex quibus ipse etiam (b) corporum omnium *sapores* derivat. Qua ergo ratione dicet ille, stare posse, ut omnia corpora componantur ex *materia*, & *forma substantiali*, quin in omnibus habeatur sal, nobisque *sapida* illa se prodant; eadem ipsa ratione dicent etiam Recentiores, nihil in eo esse repugnantiæ, ut *nullum corpus reperiatur*, *quod conflatum non sit ex atomis*, *seu moleculis certa configuratione donatis*, quin propterea corpus omne consurgat ex particulis salinis; ac proinde quin *sapore* præditum a nobis deprehendatur.

Hinc

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. II. q. 1.
(b) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 2. pag. 367.

Hinc explicatum manet per *mechanicas affectiones*, quemadmodum ille optat, cur aqua, etsi linguam afficiat, nullius tamen *saporis* sensum in nobis excitet. Causa nempe est, quia aqua ex ipsa sua natura nihil salis in se continet, sive quia componentes illius particulæ ejus non sunt *magnitudinis*, & *figuræ*, ut illas nerveas linguæ papillulas, in quibus sensorium *gustus* positum est, valeat premere, & vellicare, quemadmodum ex iis ipsa consurgit, a quibus illæ nerveę fibrillę ejusdem linguæ concuti possunt, in quibus sensorium *tactus* consistit. Et hinc est, optime dici a Recentioribus, linguam affici ab aqua, aliisque insipidis corporibus, *ut hæc tactiva est, non ut gustativa*. Patet quoque, quamobrem aqua suavem gustum in nobis non efficiat, licet ille fieri dicatur *a mollibus atomis linguam lenientibus*. Ut enim suavis gustus excitetur, non quæcunque nerveæ linguæ papillulæ, sed eæ liniri debent, blandoque ictu vellicari, quæ *gustus* organum constituunt; unde, cum eas tantum, in quibus consistit organum *tactus*, linire possit aqua, causa apparet, cur suavem gustum illa in nobis nequaquam excitet.

Nullius demum momenti est, quod postremo loco habet Vir Cl., *varia* nimirum *corpora*, *quæ variis proinde moleculis constant*, *eundem reddere saporem*, *ut mel*, *& saccharum*, *& similia*. Dato namque existere corpora, quæ ejusdem omnino sint *saporis*, licet *specie* differant, dico, id non impedire, quominus vis, quam illa habent excitandi in nobis sensum *saporis*, ex *magnitudine*, & *figura* salinarum particularum, quibus composita sunt, repetatur. Cum enim essentiale corporum discrimen a solis componentibus salinis particulis non dependeat, fieri potest, ut duo corpora, ceteroquin diversa, similes salinas particulas comprehendant; atque hinc, ut licet differant *specie*, ejusdem *saporis* appareant. Dixi autem: *si existant corpora, quæ eodem sapore donata sint, licet sint* specie *diversa*. Id enim non adeo certum puto, ut verti a nemine in dubium possit. Certe mel, & saccharum, quæ a viro Cl. exempli loco proferuntur, non ita in *dulcedine* consentiunt, ut nullum prorsus ne levissimum quidem discrimen penes illam inter ipsa corpora discernatur. De hoc sane discrimine minime dubitari posse, censuit Cl. Gassendus, dum adversus Aristotelem, contendentem innumerabiles fore *saporum* species, si a figuris illi provenirent, *an*, inquit, *eodem modo afficit gustatum*, *quæ dulcedo agnoscitur in* melle, *& quæ in* lacte, *quæ in* saccharo, *quæ in* vino, *quæ in* pomo, *quæ in* carne, *quæ in ceteris? an eadem acerbitas* pomi, pyri, cerasi, pruni, sorbi, *reliquorumque*

fructuum viridium? cur non igitur tanta sit saporum varietas, *quanta est* specierum *in sapidis rebus* (a)?

Ceterum, utut se habeat res hujusmodi, videtur, hoc argumentum etiam contra suum Auctorem ita urgeri posse: in melle, & saccharo, ceterisque corporibus, quæ, licet *specie* differant, eodem *sapore* donata dicuntur, vel iidem omnino sunt sales, vel sunt sales diversi. Si iidem: quomodo illa *specie* differunt? Si diversi: quomodo eundem *saporem* referunt? Quippe ipse etiam P. Ferrari expresse docet, *salinas particulas esse sapidas, atque ex earum etiam commixtione corpora reddi sapida* (b), & tantum inficiatur Vir Cl., *saporem consistere in partium configuratione* (c).

S C H O L I O N.

94. Quæ sit, pro specifico *saporum* discrimine, salinarum particularum, a quibus illi in nobis excitantur, *figura*, divinare certo non possumus. Satis probabili tamen conjectura, ut vidimus in Physica (d), putant Recentiores, saporem *salsum* oriri a particulis *cubica* figura affectis; *acrem* a particulis subtilissimis, angulo acutissimo præditis, motuque celeri, perturbato, & expansivo donatis; *acidum* a particulis maxime rigidis, *tetrahedrica* figura affectis; *acerbum* a particulis uncinatis, & asperis; a particulis non multum ab hisce dissimilibus *austerum*; *dulcem* a particulis, quæ *obtusis* angulis præditæ sunt, & cum subtiliori quadam sulphurea substantia permixtæ; *amarum* postremo a particulis, quarum multiplices sunt anguli.

VI.

95. Circa *odores* tria docent recentiores Philosophi. Primum est, *odores in substantiali quodam subtilissimo odori corporis effluvio consistere*. Secundum: *hoc effluvium esse sulphureo-mercuriale*. Postremum: *subtilissima hujusce effluvii corpuscula habere a sua tantum* magnitudine, *atque* figura, *ut naribus attracta, immutent* olfactus *organum, & odoris sensum in nobis excitent*. *Odorem*, quem corpus diffundit, positum esse in subtilissimo quodam ipsius corporis *substantiali effluvio*, manifeste, inquiunt illi, & recte quidem, ex eo colligitur, quod nullus plane corporis etiam intensissime olentis *odor* sentiatur,

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 9.
(b) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 2. *pag.* 368.
(c) Ibidem.
(d) Tom. I. § 1020. & seq.

tiatur, si vase *hermetice*, ut Chymici ajunt, sigillato, clausum illud fuerit. Hinc certe sequitur, vitrum ab *odore* non penetrari; cumque ille per aerem ab odoro corpore quoquoversus diffundatur, unum superest *substantiale* ipsius corporis subtilissimum *effluvium*, in quo *odor* collocari possit. Minime porro sentiri *odorem* corporis, si vase perfectissime obturato contentum fuerit, patet experimento, quod factum ab Academicis Florentinis; supra retulimus (§. 71.). Accedit veterum etiam Philosophorum auctoritas, silentio propterea non negligenda, ut perspicuum fiat Scholasticis, novitatis insimulari ab illis jure non posse Philosophos recentiores, dum in *substantiali* corporis *effluvio* illius *odorem* constituunt. Plato itaque de *odoribus* loquens, aperte dicit, eos *fumum esse, aut caliginem* (a). Aristoteles vero quærens, *quam ob causam res male olidæ gravius oleant, cum calent, quam cum frigent? An*, inquit, *quod natura* odoris *vapor quidam, & delatio est, quæ calore existunt? motus etenim quidam sunt, calor autem movendi vim obtinet; frigus contra efficit, ut res consistat, & contrahatur* (b). Testatur insuper (c), *omnium Philosophorum sententias in id congruere*, quod *odor sit fumida aspiratio*.

Quod autem *substantiale* ejusmodi *effluvium* sit *sulphureo-mercuriale*, præclaro Cl. Boerhaavii testimonio, alibi etiam memorato (§. 71.), evincitur. Patet quippe, inquit ille, *experimentorum enumeratione, quod id subtile, quod oleo inhærens*, spiritus *dicitur, sit primarium illud, quod* odorem *excitat. Hoc enim absolute separato a corporibus odoratis, residuum vix fragat; eo autem affuso, aliis fragrantia conciliatur* (d). Ita porro id totum explicat: *corpus odoratum, sive grate, sive tetriter oleat, quamprimum parte spirituosa olei, & sale volatili privatum est, nihil omnino virium retinet. Neque enim sal fixus, neque aqua, neque oleum absque spiritu adoratum est. Si vero ab ipso oleo, aut sale volatili separaveris eam partem, quæ sponte exhalat, reliquum pariter absque odore erit. Deinde sal volatilis alkalinus nonnisi pro ratione spiritus rectoris odoratus est* (e). Cum igitur, tanto Viro observante, & confirmante experientia, res ita sit, fallitur Cl. P. Ferrari (f), dum vocat sulphur *fœtoris sentinam*, & nulla ratione ait ostendi a Recentioribus, illud esse *officinam odoris*. Sibi quoque ille non constat, dum tradit (g), sententiam Chymicorum cum sua coincidere, *si crassæ pinguesque partes nomine sulphuris donentur*. Si namque ex crassis, & pinguibus corporis partibus illius *odores*, ejus sententia, proveniunt, stare nequit, quod

(a) In *Timæo*.
(b) Sect. XIII. *Problem.* q. 5.
(c) Lib. *de sensu, sensibili*.
(e) Instit. Medic. *de olfactu* num. 499.
(e) Ibidem in *Prælect. Academ.*
(f) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 3. *pag.* 372.
(g) Ibidem.

quod ipse docet, nempe *odora corpora attenuari in subtiles halitus, odoremque ipsum per halitus diffundi, & invisibiliter etiam exhalari* (a); & *spiritus, qui exhalant, quantumvis in magna copia, adeo tenuis esse entitatis, ut sæpe non augeant, nec minuant sensibiliter pondus, & molem rei* (b).

Restat modo, ut ostendamus, ab subtilissimi hujusce effluvii particulis non affici *olfactus* organum, neque *odoris* sensum in nobis ab illis excitari, nisi ratione *magnitudinis*, & *figuræ*, quibus singulæ sunt affectæ. Id ergo suadetur ex ipsa sensorii immutatione, quemadmodum supra ex haud dissimili principio ostensum fuit, vim, quam habent salina corpuscula, excitandi sensum *saporis*, ab illorum *magnitudine*, & *figura* unice dependere. Igitur, cum immutatio sensorii *olfactus* non sit, nisi certa quædam motio ab odoro effluvio iis nerveis papillulis, dum naribus attrahitur, impressa, quæ sensorium illud constituunt (§. 29.), dubitari non potest, quin odori effluvii corpuscula per id *formaliter* immutent *olfactus* organum, & *odoris* sensum in nobis excitent, ratione cujus *formaliter* valent nerveas illas papillulas, dum ad eas, naribus attracta, appellunt, certa ratione urgere, pungere, & vellicare. Evidens est autem, id ab illis non fieri, nisi quia certa *magnitudine*, atque *figura* affecta sunt, ratione demonstrante, effectum pure mechanicum, cujusmodi certe illa nervearum papillularum motio est, nonnisi a causa mechanica posse provenire. Ergo a sola *magnitudine*, & *figura*, quibus donata sunt, habent corpuscula effluvii odori, ut *odoris* sensum in nobis efficiant.

Ex illis perniciosis motibus id præterea confirmatur, qui in sano etiam firmoque corpore ab *odoribus* quandoque excitantur. *Nisi ferme quotidianum esset, incredibile ferme foret*, inquit Cl. Boyle, *suavis thymiamatis odorem statim in humano corpore, quod modo sanum & firmum erat, syncopas, lypothymias, sensibilis respirationis amissionem, apparentes epilepsias, & veros convulsivos membrorum motus, ac noxia quammulta formidanda symptomata producere, quæ ab imperitis effecta sortilegii reputantur* (c). Itaque, cum motus hujusmodi ab odoro effluvio in nobis non excitentur, nisi quatenus *odorum* est (nulla enim est ratio, quamobrem aliam *qualitatem* fingere in illo oporteat) ab eo illud habet *formaliter*, ut sit *odorum*, a quo habet, ut eos motus in nobis producat. Illos autem non producit, nisi causa *magnitudinis*, & *figuræ*, quibus affecta sunt ipsius corpuscula. Motus siquidem illi

(a) Tom.III.P.III.*Physicæ* Disp.III.q.3. *pag.* 371.

(b) Ibidem *pag.* 373.

(c) Lib. *de insigni efficacia effluviorum* cap. 6.

illi a violenta nervorum contractione, ob quam liber per eos *animalium spirituum* affluxus prohibetur, unice proveniunt. Ergo a sola quoque suorum corpusculorum *magnitudine*, & *figura* habet illud effluvium, ut sit *odorum*.

VII.

96. Expendendæ restant modo *tactiles qualitates*, atque ut a *calore* ordiamur, maxima sane probabilitate ille statuitur in *substantiali* caloriferi corporis *effluvio*, cujus particulæ *mole* exilissimæ sint, *figura* rotundæ, simulque *celerrimo*, *perturbato*, & *expansivo motu* affectæ. Velim itaque illud habeatur, principii loco, quod pluribus observationibus, ipsisque certissimis, in Physica demonstravimus (a), proprium nempe esse *caloris* dilatare corpora, quæ afficit, eorumque partes expansivo, perturbatoque motu agitare; & ideo *calorem* in eo consistere, cujus vi, & energia corpora, dum incalescunt, dilatantur, solvitur nexus, quo componentes illorum particulæ colligatæ sunt, motuque tumultuario eædem ipsæ impelluntur. Hisce ergo præmissis, & citra omnem dubitationis aleam positis, ita ostenditur, eam esse *caloris* naturam, quam modo paucis adumbravimus. Et primo quidem, *calorem* positum esse in *substantiali* caloriferi corporis *effluvio*, ex eo suadetur, quod *calor*, ut supra contra Scholasticos satis probatum fuit (§.72.), sit aliquod impenetrabile, adeoque corpus (§.19.). Sequitur enim hinc, *calorem* non posse corpora penetrare, eorumque internas partes perturbate impellere, nisi quatenus illorum poros subeat, & contra pororum parietes vim faciat; adeoque nisi sit aliquod subtile, instar vaporis; ac proinde nisi in *substantiali* caloriferi corporis *effluvio* ille consistat.

Quod autem componentia hujusce *effluvii* corpuscula sint *mole* supra omnem imaginationem exilissima, ex hoc uno manifestum est, quod nullum sit corpus, utut densum, seu compactum, cujus subtilissimos poros ille non subeat. *Ignis corpuscula*, inquit Cl. Boerhaavius, *videntur esse omnium, quæ nota habentur, corporum minima. Si enim corpora vere sunt, erunt necessario subtilissima; quoniam penetrant se quam facillime per omnia vel densissima corpora, atque maximam eorum crassitiem transgressa in omni parte penetrabili corporis effectus suos vere præstant . . . . . . Alia quidem, quæcunque demum sint, quæ unquam cognovimus corpora, excludere possumus, ne intrare queant ullo modo in meatus quorundam corporum. Sane aer, aqua, spiritus,* sa-

(a) Tom I. §. 820., & *seq.*

sales, olea, cetera omnia facile videmus excludi posse, ne intrent intra ampullam vitream Hermetice undique clausam; ne exeant inde, postquam prius fuerant immmissa. Solus ignis libero ingreditur, atque denuo egreditur itinere. Solus ille ingressus, & egressus omnes ipsi proprios effectus præstat (a). Hinc non immerito dixit idem Vir doctissimus (b), ignis corpuscula adeo exiguæ esse magnitudinis, ut si ad nostram imaginationem referamus, necesse sit, *infinite parva* censeantur. Verum ne cui aliquid negotii facessat, non *caloris*, sed *ignis* corpuscula a tanto Viro memori, monemus, *ignem*, atque *calorem*, Veterum quoque Philosophorum judicio, ut præclare observat Gassendus, non differre inter se, *nisi secundum* magis, *&* minus, *vel certe quatenus* calor *generatim, & secundum omnem gradum accipitur*; ignis *autem specialius, & pro* summo *caloris* gradu, *docente ipso quoque Aristotele, nihil esse* ignem *aliud, quam* caloris *excessum, & quasi fervorem* (c).

Caloris corpuscula sunt *figura* rotunda. Patet ex mira illa facilitate, qua sese insinuant in poros corporis, illudque totum penetrant. Ut enim egregie advertit Cl. Josephus del Papa, *concedendo a questi corpi la figura piramidale, egli è poi necessario il supporre, che eglino si muovan sempre con un degli angoli inanzi, col qual possan pungere, ed insinuarsi nelle sostanze, nelle quali s' incontrano; giacchè movendosi a traverso, o con un piano avanti, non potrebbero essercitare la propria attività, la quale secondo Platone nella acutezza della punta risiede. Ma il conservar sempre questa positura nel moto, non sò come sia facile per gli spessi intoppi, che essi devono ritrovare, i quali col far loro mutar strada, pare, che debbano ancora fargli variar sovente la positura: se per sorte mai non dicessimo, che essendo principio interno di tali corpi il muoversi sempre con quella constituzione, ogni qual volta da qualche esterna forza ne sian rimossi, essi tornino subito a riacquistarla: il che poi è un riccorrere ad un immaginario suppposto, del quale stando nell' opinione di Democrito non abbiamo bisogno alcuno; imperocchè quando cotali corpicciuoli sien di figura rotonda, si muovan pure in qualsisia modo, ed incontrino le materie in qualsivoglia parte di loro medesimi, che seguirà sempre lo stesso effetto; essendo eglino, in virtù della rotondità, atti al moto, ed alla penetrazione per ogni verso, e con tutte le loro parti egualmente* (d).

Motu demum *celerrimo, perturbato,* & *expansivo* prædita sunt *caloris* corpuscula. Id manifeste ex eo sequitur, quod *calor* dilatet corporis

(a) Tom. I. *Elem. Chemiæ pag.* 194.
(b) Loco citato *pag.* 195.
(c) Sect. I. *Physices* lib. VI. cap. 6.
(d) Della natura del *caldo*, e del *freddo pag.* 41. *secundæ edit.* Elorentiæ 1690.

ris molem, ejusque componentes particulas divellat a se mutuo, tumultuario impellat, prohibeatque, quamdiu in eo est, ne ad contactum pristinum illæ revertantur. *Cum calor*, inquit Cl. Gulielminus, *liquet liquabilia, oportet, ut eorum partes a partibus divellat non modo, verum etiam impediat, ne ad pristinos contactus redeant. Neutrum tamen horum motu quodam rectilineo, aut etiam curvilineo certam directionem servante, aut quam habet, certo modo mutante, potest obtineri. Quandoquidem hi sejungere quidem possunt partes lateraliter se invicem contingentes, non vero eas, quæ sibi insident secundum eam directionem, qua motus fit. Ad prohibendum autem, ne partes corporis denuo se complexentur, oportet, ut perennis sit variatio respectus, quem invicem habent, non tantum quod spectat situm, sed etiam quod attinet positionem unius ad alteram; ideoque ut motu quodam circa proprium axem volutentur: qui utique sicut importat diversas directiones, ita & exigit, ut fiat, & conservetur. Cum vero id, quod hunc motum efficit, & conservat, calor sit, in hoc varias directiones esse oportet, quod est idem, ac dicere, quod motus caloris necessario debet esse perturbatus* (a). Necesse est etiam, ut motus eorundem corpusculorum sit celerrimus, nempe ut vi maxima perficiatur. Neque enim, si secus, posset *calor* dilatare corpora durissima, eorumque partes separare a se mutuo, & huc illucque impellere. Quippe cum *caloris* corpuscula sint *mole* minima, & *vis motrix* adæquet factum ex ductu *massæ* in *celeritatem* (b), maxima nequit esse illorum corpusculorum vis, nisi celeritate maxima moveantur. Hinc laudatus celeberrimus Gulielminus, *notum est*, inquit, *quanta sit vis* caloris *in rarefaciendis corporibus, quantaque corporum, dum rarescunt, potestas ad obstantia vel diffringenda, vel removenda. Tanta autem vis nonnisi a maxima potentia proficisci potest; cumque momenta potentiarum hujus generis coalescant ex motus velocitate, & materia, quemadmodum a Mechanicis demonstratur; in* calore *vero minimum materiæ sit, adeout Peripatetici eum* immateriatam qualitatem *existimaverint, profecto oportet, ut quantum* caloris *momentum deficit in materia, tantumdem recipiat a celeritate. Si ergo potentia* caloris *maxima est (commensuratur enim validissimis resistentiis, easque superat) necesse est etiam, ut celeritas ejus motus maxima sit* (c). Demonstratum itaque manet, *calorem* satis probabiliter positum esse in *substantiali* caloriferi corporis *effluvio*, cujus particulæ *mole* minime sint, *figura* rotundæ, *motuque celerrimo, perturbato, & expansivo* affectæ.

S Con-

(a) De principio sulphureo *Dissert.* V.

(b) Vide quæ diximus in *Physica* T. I. §. 211.

(c) Loco citato.

Contrarium sentit Cl. P. Ferrari. Ita autem probat, in *substantiali effluvio* non posse *calorem* consistere. *Lux*, inquit, *ex sententia Atomistarum consistit in atomis igneis, quæ rotundæ sunt, ac tenuissimæ, maximeque mobiles. Quare, cum in iisdem atomis constituant Atomistæ naturam caloris, ex illorum opinione manifestum est, quod ultro ipsi fatentur, hanc solummodo differentiam haberi inter calorem, & lucem, quod calor atomos præseferat in majori copia, quam lux. Atqui assertio ista est contraria experientiæ. Ergo caloris natura non consistit in atomis rotundis &c. Minor probatur: speculum metallicum, & concavum, ut refert Auctor Burgundiæ, ignis calorem ita reflectit, ut in puncto concursus multo sit intensior. At si inter ignem lucidum, & ardentem, ac speculum ipsum interponatur vitrum, in speculi foco lux quidem augetur, sed nullus omnino calor procreatur. Ergo evidens est, calorem a luce reipsa distingui, quod altero prohibito, altera diffundi adhuc pergat expedita, & luce aucta, calor tollatur. Nec fas est affirmare, non quaslibet atomos igneas habere in se se calorem; nam & hoc gratis confingeretur, & ignis non esset per se ardens, & calidus. Rursus lux in sui diffusione habet velocitatem longe majorem, quam calor. Sentitur enim jam plena, ubi calor omnino tenuis sensum incipit vellicare* (a).

Sed nemo non videt, hac ratione minime evinci, in substantiali exilissimorum corpusculorum effluvio *calorem* collocari non posse. *Primo* etenim, si quid probat hæc ratio, contra illos tantum probat, qui, uti *calorem*, ita & *lumen* in substantiali effluvio constituunt. Necessarium autem non esse, ut, qui *calorem* statuunt in effluvio, etiam *lumen* ab effluvio non discernant, testem appello ipsummet Cl. Adversarium. Fatetur namque, se non inficiari, *substantiale effluvium haberi in caloris propagatione, & diffusione* (b), sed persuasum habere, *calorem vel semper, vel fere semper conjungi cum substantiali calidorum corpusculorum effluvio* (c); neque tamen admittit, *lumen* in simili effluvio consistere, sed nititur rationibus pluribus, ut visum est (§. 85.), contrarium demonstrare (d).

Secundo: quia incertum est, num *calor* ita possit a *lumine* separari, ut dari queat *lumen*, quod nullum plane *calorem* sibi adjunctum habeat. Contingere enim potest, adeo debile fieri *lumen*, ut afficere quidem *visum* possit, *tactum* non possit; quod nempe *visus* organum ex longe delicatioribus fibris, quam organum *tactus*, componatur. Hanc certe ob causam putat Cl. Gravesandus, nihil *de distinguendo lumi-*

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 3. in *prob.* assert. 1. *pag.* 225.
(b) Ibidem.
(c) Ibidem assert. 5. *pag.* 231.
(d) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5.

lumine a calore deduci posse ex eo, quod *in Lunari lumine, quod a Sole procedit, nulla arte calor detegi possit. Nimium debile est enim,* inquit ille, *Solare lumen, quod a Luna repercussum, ad nos pervenit* (a). Rem idcirco non satis evincit experimentum Cl. Romeri, quod a P. Ferrari ex Cl. Du-Hamel (b) in argumento relatum est. *Lux* enim in transitu per vitrum cum apprime debilitetur, mirum videri non debet, si, ignem inter atque speculum interposito vitro, augeatur quidem *lux* in *foco*, sed nullus *calor* percipiatur. Dici potest præterea, ab iisdem particulis haberi tam *calorem*, quam *lucem*, quin idcirco ubicunque sentitur *calor*, etiam *lumen* appareat. Nihil prohibet enim, quominus dicamus, particulas, quæ, secundum rectas lineas in oculum incurrentes, *lucis* sensum in nobis excitant, sensum solius *caloris*, non autem *lucis*, easdem ipsas in nobis efficere, si non recta procedant, sed tumultuario motu agitentur. Quærens namque Cl. Musschenbroekius, *an* ignis, & lucis *substantia tantum magnitudine partium, & directione motus a se differant? forte,* inquit, *nec* substantia, *nec* partium magnitudine *differunt; cum copiosa* lux *collecta, semper* ignis *characteres habeat. Ignis autem non lucet, nisi ad oculum in* rectis lineis *determinetur. Cochlear argenteum aliquantulum calefactum, in tenebris non lucet: ei adamantes, crystallive non lucentes immitantur; extemplo lucere incipiunt, ignem receptum sub* lucis *forma expellentes. Idem aquæ calidæ injecti præstant* (c). Fallitur propterea Cl. Adversarius, dum ait, *fas minime esse affirmare, non quaslibet atomos igneas habere in sese calorem;* idcirco quia *& hoc gratis confingeretur, & ignis non esset per se ardens, & calidus.* Certum enim est, gratis non fingi, quod experientia comprobatur. Experientia autem patet, corpuscula, quæ ex igne erumpunt, posse in adeo exigua copia ad nos pervenire, ut immutare *visum* possint, *tactum* non possint; ac proinde ut *luminis* quidem, minime vero *caloris* in nobis sensum excitent. Neque propterea sequitur, ignem non esse *per se*, hoc est, natura sua, *ardentem*, & *calidum*. Quippe, ut sit hujusmodi, sufficit, ex talibus particulis ille coalescat, quæ valeant & *lucis* sensum in nobis efficere, si recta in oculum incurrant, & sensum *caloris* in nobis excitare, si fibras sensorii *tactus* perturbate percellant. Utrumque autem præstari posse ab igne, licet quandoque solius *caloris*, quandoque solius *luminis* in nobis sensum producat, satis ex modo traditis manifestum est. Pa-

 tet

(a) Elem. *Physices* Mathem. §. 2423.
(b) P. II. *Physicæ* ad usum Burgundiæ *Dissert.* II. *cap.* 2.
(c) Elem. *Physices* §. 856. num. 1.

tet demum, nihil quoque facessere posse negotii, quod ille postremo addit, *lucem* scilicet *in sui diffusione habere velocitatem longe majorem, quam calor*; idcirco quia *sentiatur jam plena*, *ubi calor omnino tenuis sensum incipit vellicare*. Etenim, ut diximus, non quævis *lucis* copia, sed magna illa esse debet, ut robustum sensorium *tactus* immutare ipsa possit, & *caloris* sensum in nobis efficere.

Postremo nihil est, quod impediat, quominus dicamus, ab aliis corpusculis *lumen*, ab aliis *calorem* provenire; imo tantum abest, aliquid huic distinctioni obesse, quin potius plura sint, quæ illi favere videntur. Ei certe apprime favet, summum quandoque haberi *calorem*, ubi nullum prorsus *lumen* est, & vicissim satis vividam *lucem* alicubi interdum existere, ubi nullus plane *calor* a nobis sentitur. Hinc Cl. Gravesandus ponit inter incerta, *utrum* calor, *&* lumen *unquam separentur* (a). Non inficiatur quidem Vir Cl., hæc duo sæpissime conjungi, verum, inquit, *an merito ad eandem causam diversa hæc duo referamus phænomena*, *non*, *ut jam monuimus*, *itaut omnis omnino removeatur scrupulus*, *determinari potest* (b). Cum ergo ita res sit, liquido apparet, non satis evinci, ideo *calorem* minime posse in *substantiali* caloriferi corporis *effluvio* collocari, quia *calor* ita distinguatur a *lumine*, ut, quemadmodum ait Cl. Adversarius, *altero prohibito*, *altera diffundi adhuc pergat expedita*, *&*, luce *aucta*, calor *tollatur*.

Ita porro ille ipse demonstrare nititur, *caloris* naturam non posse in motu consistere: *impossibile*, inquit, *omnino est*, *imo ne intelligi quidem potest*, *motum rectum simul cum perturbato*, *&* *irregulari per eandem lineam diffundi*, *&* *propagari*. *Atqui lux*, *&* *calor per eandem lineam propagantur*. *Ergo vel calor non est motus*, *vel lux non est motus rectus*, *nec recta movetur* (c).

Verum enimvero non minus, quam præcedens, hoc itidem argumentum facile diluitur. *Primo* etenim etiam ab suomet Auctore solvendum illud est. Licet enim Vir Cl., *caloris* naturam, ut Cartesiani, in motu non collocet; fatetur tamen, *calorem vel semper*, *vel fere semper cum motu conjungi* (d), quemadmodum (illius sunt verba) *experimenta ostendunt* (e). Docet quoque, *lucem per rectilineum produci* (f). Itaque, si est impossibile, imo, si, ut ille ait, ne intelligi quidem potest, *motum rectum simul cum perturbato*, *&* *irregulari per eandem lineam diffundi*, *&* *propagari*, impossibile quoque est,

(a) Elem. *Physicæ* Mathemat. §. 2418.
(b) Ibid. §. 2419. Vide Cl. Pluch. Tom. VII. spettacolo della natura *Trattenim*. XI.
(c) Loco citato in *prob*. 1. assert. 2. *pag*. 225
(d) Ibid, *assert*. 5. *pag*. 231.
(e) Ibidem in *probatione*.
(f) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. in respon. ad 8. *objectionem pag*. 424.

eſt, noſtrumque captum omnino excedit, *calorem* cum motu conjungi, & ſimul cum *luce* per eandem lineam propagari. Perinde enim puto, ſive *calor* ſtatuatur in motu, ſive cum motu conjungatur.

Arbitror autem, P. Ferrari, ut nodum ſolvat, minime dicturum, *calorem* ab ſe quidem conjungi cum motu, ſed non cum motu perturbato, & irregulari. Id namque ſi diceret, in ſyllam profecto incideret, cupiens vitare charybdim; cum *calor* vel non conjungatur cum motu, & vel certe cum perturbato, & expanſivo, quemadmodum oſtendunt experimenta, & ipſe etiam Vir Cl., *caloris* phœnomena explicans (a), ſemel atque iterum docet. Falſo quoque dixiſſet, *hanc eſſe caloris vim, ut homogenea congreget, & ſegreget heterogenea* (b); cum ejuſmodi effectus ſine perturbato, penituſque irregulari motu partium haberi profecto non poſſit. Haud recte demum, poſtquam dixit contra Carteſianos, *caloris naturam non conſiſtere in motu,* addidiſſet, ſe non propterea inficiari, *calorem conjungi cum motu* (c). Hiſce enim verbis ſignificare videtur, *calorem*, ſuo quoque judicio, cum illo motu conjungi, in quo a Carteſianis collocatur.

Secundo: dici poteſt ad argumentum, impoſſibile quidem eſſe, neque poſſe intelligi, *motum rectum ſimul cum perturbato, & irregulari per eandem lineam diffundi, & propagari*, ſi de eodem individuo corpore id dicatur; minime vero, ſi diverſa ſint, quæ moventur. Nihil enim repugnantiæ in eo eſt, ut ſecundum rectam lineam projiciatur, & moveatur corpus, cujus componentes particulæ tumultuario ſimul motu agantur. Id certe accidit, dum globulus metallicus, ebulliente aqua plenus, recta proiicitur. Recta ſiquidem tunc movetur aqua, quin in ejus particulis tumultus idcirco deficiat. Fieri ergo poteſt, ut ſubſtantiale *caloris* effluvium ita propellatur, ſeu vibretur a corpore calorifero ſecundum rectam lineam, ut componentia illius corpuſcula ſimul tumultuario motu agitentur.

Hæc, ſi *caloris* effluvium reipſa a *luce* diſtinguatur. Si vero eædem omnino particulæ, quæ *lucis* ſenſum in nobis efficiunt, *calorem* quoque in corporibus producant, ejuſque ſenſum in nobis ſimul excitent, dicimus ad argumentum, nullatenus repugnare, ut particulæ, quæ per rectam lineam diffunduntur, ita urgeant partes corporis, cujus poros ſubeunt, ut tumultuarium motum hinc illæ concipiant; ſicuti etiam, ut ita premant nerveas tactus fibras, in quas incurrunt, ut & illæ inordinate tremant, & quem continent liquorem, ad expanſivum tumultuarium-

que

(a) Tom. II. P. I. *Phyſices* Diſp. IV. q. 3. *pag.* 236.
(b) Ibidem *aſſert.* 3. *pag.* 230.
(c) Ibidem *aſſert.* 2. *pag.* 225.

que motum ipsæ determinent. Nemo enim ignorat, perturbate agitari aquam ex jniecto in ipsam lapide, tametsi hujus motus tam intra, quam extra aquam secundum rectam lineam perficiatur. Si autem id præstare potest lapis suo motu rectilineo, ecquid prohibet, quominus etiam *luminis* particulæ suo itidem rectilineo motu idipsum præstent? Nihil sane, quod videam. Stare ergo potest, *calorem* provenire ex *lumine*, quamvis ille in expansivo perturbatoque motu positus sit; hoc vero secundum rectam lineam constantissime diffundatur.

Sed non melioris conditionis est alterum ejusdem Viri Cl. argumentum. Inquit: *si calor est motus perturbatus, sensibilis ejusmodi motus erit calor sensibilis; major, vel minor motus erit major, vel minor calor. Atqui licet in liquorum effervescentia sensibilis motus appareat, iis tamen ab igne remotis, & effervescentiæ motu intra exiguum temporis spatium sensibiliter detumescente, nulla profecto fit ad sensum imminutio caloris; quin etiam dum pix igni primum exponitur, effervescentia fit major, quæ sensim amittitur, dum calor augetur. Ergo dicendum est, calorem non esse motum. Præterea injice manum in aquam frigidam, tolerabis utcunque frigus, dum manum immotam servas, quam tamen si agites simul cum aqua, sustinere frigus non poteris. Ergo calor non est motus. Si enim calor est agitatio, cur frigus agitatione non minuitur, sed augetur? An frigus calore crescit, & vires a suo contrario accipit? Ita & in Machina Pneumatica, excusso crassiore aere, aqua ebullire conspicitur, ac si igni esset exposita, nec tamen aqua tunc est calida. Ergo calor non in motu consistit* (a)

Primo itaque hoc argumentum, plane non secus atque præcedens, contra summet Cl. Auctorem, æque ac contra Cartesianos pugnat. Cum enim illius, ut vidimus, sit aperta sententia, *calorem* cum motu perturbato vel semper, vel fere semper conjungi, manifeste sequitur, fore, ut cum sensibili ejusmodi motu sit *calor sensibilis*; cum majore, vel minore motu *major*, vel *minor calor*. Id ergo si, ut ille contendit, non semper verum est, sed plerumque fallit, necesse est profecto, ipse quoque concedat, *calorem* non semper, nec ferme semper, ut docuerat, cum perturbato motu conjungi.

Secundo: corruit argumentum principale, si *sensibilitas* perturbati motus, in quo *calor* statuitur, probe distinguatur. Motus enim, in quo ponitur *calor*, dupliciter potest dici *sensibilis*, nimirum *visu*, & *tactu*. Concedimus ergo, *calorem sensibilem* semper quidem conjunctum esse cum motu, qui sentiatur *tactu*; at non semper motu, qui vi-

(a) Loco citato *prob*. 2. assert. 2. *pag*. 229.

visu discernatur. Ut enim motus *visui* appareat, non sufficit, ipsum esse pernicissimum, sed requiritur, ut, quod movetur, eam habeat magnitudinem, quæ *visu* discerni possit. Hinc omnino *per accidens* est, in corpore calido motum *visu* discerni. *Per accidens* est enim, ut particulæ, quæ tumultuario, *caloris* causa, in corpore moventur, tantæ sint magnitudinis, quæ *visus* organum valeant immutare. Damus itaque, motum partium *tactu* sensibilem, esse *calorem* sensibilem, atque illi motui ita *calorem* respondere, ut, illo aucto, augeatur *calor*; illo imminuto, *calor* minuatur. Sed, loquendo de motu sensibili per *visum*, illud negamus constantissime. Unde apparet, quid dicendum sit de experimento ex effervescentia in *minori propositione* assumto. Verum est, in liquorum effervescentia quandoque dari motum *visu* sensibilem, eumque præterea minui, atque etiam cessare, nulla prorsus ad sensum facta imminutione *caloris*. At hoc est falsum, loquendo de motu earum particularum, quarum magnitudo sub *visu* non cadit. Is enim non cessat, cessante motu partium, quæ *visui* apparent; imo ille tunc fit validior, quatenus longa agitatione cum atterantur partes, quæ antea *visu* discerni poterant, augetur copia earum, a quibus afficitur sensorium *tactus*, & *caloris* sensus in nobis excitatur; & hæc est causa, quamobrem, dum pix igni primum exponitur, effervescentia fiat major, nempe fiat *visu* sensibilis; insensibilis vero sensim evadat, dum *calor* augetur.

Ad illud vero de manu injecta in aquam frigidam, dico, ideo tolerari vix posse *frigus*, si manus per aquam circumferatur; quia cum in novum semper frigidum ambiens tunc illa incurrat, causa quodammodo multiplicatur, quæ *frigus* illi communicat: quod non accidit, si prorsus immota in aqua extiterit; tunc quippe *frigus* circumamambientis aquæ suo illa nativo *calore* paulatim retundit. Stupendum tamen nonnemini fortasse videbitur, tantum Virum ignorasse, huic argumento ab se quoque fieri debere satis. Cum enim aperte ille doceat, *motum esse causam caloris* (a), necesse profecto videtur, palam ipse quoque efficiat, quamobrem manus si agitetur simul cum aqua frigida, cui immersa est, sustinere *frigus* non possit. Sicuti namque, *si calor est agitatio*, quærit ille, *cur frigus agitatione non minuitur, sed augetur?* ita, si *motus est causa caloris*, postulabunt Cartesiani, quamobrem *frigus* agitatione non minuatur, sed potius crescat? Equidem scio, ipsum dicturum, *non sufficere quamcunque partium separationem ad calorem producendum ex motu; sed requiri tum vehementem agitationem, tum solidorum corporum affrictum, vel quod* ca-

(a) Loco citato *assert.* 4. pag. 231.

calidiora corpuscula in sufficienti copia emittantur (a). Verum ille quoque non ignoret velim, idem prorsus etiam Cartesianos respondere.

Ad illud postremo de aqua ebulliente in Machina Pneumatica, dum aer exsugitur, dico, me non videre, undenam cognoverit Vir Cl., aquam illam tunc non esse calidam. Non enim tactu id dignoscere poterat; cum aqua, dum illud fit periculum, manu tangi non possit. Neque *thermometro* id certe expertus est; cum hujus ab se facti periculi nullam prorsus mentionem faciat, quam fecisset profecto, si aquam tunc non incalescere, etsi quammaxime ebulliat, *thermometro* deprehendisset. Res igitur cum ita sit, æquo ferat animo Vir Cl., si, calidam tunc non esse aquam, Cartesianus aliquis negaverit. Refert sane Musschenbroekius ex Cl. Du-Hamel, *Hombergium observasse, citius aquam congelatam in vacuo solvi, quam in aere aperto*; & hujus causam esse, ait, quia *continet glacies quamplurimas valde elasticas aereas bullas, quæ in vacuo se validius extrorsum exserunt, utpote minus ab exteriori parte compressæ, adeoque glaciei particulas dissolvunt, discerpuntque, eas adversus se mutuo pellunt, atterunt: attritu ignem colligunt, qui aquam solvit; ignis facilius in massam ita diffractam ingreditur, pluribusque occurrens superficiebus facilius adhæret, suamque actionem dissolvendi exercet* (b). Aqua igitur in Machina, dum aer exsugitur, ebulliens, non omni prorsus *calore* destituta est.

Sicuti porro negat P. Ferrari, *calorem* consistere in *substantiali* corpusculorum *effluvio*, ita contendit, *figuram rotundam non satis congruere* caloris, & ignis *activitati, nec illorum effectis expendendis esse accommodatam* (c). Id autem probat alio loco (d), ubi nempe de ignis natura disserit. Opinatur ergo, *pyramidatam* potius, quam *rotundam* figuram igneis particulis tribui oportere, idcirco quia illa potius, quam hæc, explicandis ignis effectis maxime conferat. *Hinc enim*, inquit, *optime intelligitur, quomodo ignis lignum destruat; nam vi sua, veluti cuspidatus ensis, partes ligni penetrans dissolvit. Hinc & duriora dividit corpora, dum cuspidatis particulis suis, veluti totidem cuneis, locum sibi facit. At si ramorum instar ignis particulæ se haberent, non adeo facile possent penetrare, maxime ubi minutissimi sunt corporum pori; implicarent enim potius sese invicem. Ita & difficile pervaderent illæ particulæ, si rotundæ forent. Igitur* (concludit) *dicendum est, ignis particulas potius esse pyramidatas, quam rotundas, vel ramosas.*

Verum quanti facienda sit hæc ratio, satis ex ea ratione patet, prop-

(a) Loco citato *assert.* 4. *pag.* 231.
(b) Comment. in *Experim. Acad. del Cimento* P. I. *pag.* 95.
(c) Loco cit. *in prob.* assert. 1. *pag.* 225.
(d) Ibidem Disp. II. q. 5. *pag.* 101.

propter quam diximus, rotundam figuram corpusculis *caloris* esse tribuendam. Ex ea namque liquido apparet, *pyramidalem* figuram esse quidem ad divisionem aptissimam; verum ad id præstandum necessario requiri, quemadmodum egregie observat Cl. Josephus del Papa, ut, quæ illa figura denotata sunt corpuscula, *si muovan sempre con un degli angoli inanzi, col qual possan pungere, ed insinuarsi nelle sostanze, nelle quali s'incontrano; giacche movendosi a traverso, o con un piano avanti, non potrebbero essercitare la propria attività, la quale secondo Platone* (cujus quoque judicio pyramidales sunt ignis particulæ) *nell'acutezza della punta risiede* (a). Cum igitur ita perpetuo moveri debeant ignis corpuscula, necesse est, si ponantur *pyramidali* figura affecta, ostendat Cl. P. Ferrari, a quonam principio ita illa perpetuo dirigantur: quod profecto incommodum nullum est, figura *rotunda* illis corpusculis concessa; siquidem, ut ait laudatus Vir Cl., *quando cotali corpicciuoli sien di figura rotonda, si muovan pure in qualsisia modo, ed incontrino le materie in qualsivoglia parte di loro medesimi, che seguirà sempre lo stesso effetto, essendo eglino, in virtu della rotondità, atti al moto, ed alla penetrazione per ogni verso, e con tutte le loro parti egualmente* (b). Fallitur propterea Cl. Adversarius, dum ait, ignis particulas, *si rotundæ forent*, difficile corporum poros esse subituras; cum jam manifeste pateat, ad facillime penetranda corpora non aliud tunc requiri, nisi ut poris ipsorum corporum illæ mole sua sint exiliores, nempe ut tantulæ sint magnitudinis, quantulæ ab ipso Viro Cl. ponitur acies *pyramidalium* suorum corpusculorum. Accedit, *pyramidales* particulas esse quidem aptas ad corpora acuminatis suis apicibus penetranda; at eas simul id habere proprium ratione suæ figuræ, ut figant partes corporis, quibus incuneantur, quemadmodum de *cuneo* ex Mechanicis constat. Ergo tantum abest, *figuram pyramidalem maxime*, ut ille ait, *conferre effectibus ignis explicandis*, quin potius id illa prohibeat.

Urget postremo Cl. Auctor, *non satis perspectam esse ex effectis figuram atomorum. Nam*, inquit, *ex effectis fas est quidem colligere, hanc, vel illam figuram esse in moleculis, sive in minimis physicis, quoniam corpora per moleculas immediate operantur. Non tamen ex effectis figura atomorum innotescit; neque enim qualibet atomus per seipsam operatur. Accedit, atomos insectiles, ac simul figuratas percipi non posse* (c).

Verum, si mihi detur, ingenue fateri, quod sentio, dicam, quæ hoc loco tradit Vir Cl., neutiquam a me posse animo comprehendi.

 Dum

(a) Loco citato.
(b) Ibidem.
(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 3. *pag.* 225.

Dum enim ait, *ex effectis fas esse colligere, hanc, vel illam figuram esse in moleculis*, vel intelligit, colligi posse ex effectis, qualis determinate sit illarum molecularum figura, vel ejus mens est, non aliud posse colligi ex effectis, nisi illas moleculas aliqua, sed nobis prorsus ignota, figura donari. Si primum: sibi certe minime consentit, dum dixit, *non tamen ex effectis figuram atomorum innotescere*. Sin alterum: sibi adversatur, primo dum alibi docet (a), *pyramidatam figuram tribuendam esse igneis particulis*, idcirco quia illa *maxime conferat effectibus ignis explicandis*. Secundo, cum asserit, *spiralem esse particularum aeris figuram*; quia illa *aptior videtur effectis illis exhibendis, quos ab aere, ejusque elaterio proficiscuntur* (b). Postremo, cum asserit, *aquæ particulas rite dici posse oblongas, & anguillarum instar efformatas, multiplici tamen asperitate præditas, quod hinc apta effectuum ratio intelligatur, & omnia simul componi valeant, quæ ad istud elementum pertinent* (c).

Præterea, *si satis perspecta*, ejus judicio, *non est ex effectis figura atomorum, neque ex effectis figura atomorum innotescit*, eccur dixerat, *figuram rotundam non satis congruere caloris, & ignis activitati, nec illorum effectis expendendis esse accommodatam*? Quæ enim ratio ostendit, hanc figuram non congruere activitati *ignis*, & *caloris*, neque eorum explicandis effectis usui esse posse, eadem ipsa demonstrat, quænam huic muneri valeat inservire, quemadmodum sane Auctor ipse huic principio innixus, non solum censuit, ut vidimus, *figuram* particularum ignis esse *pyramidatam* (d), verum etiam, secernens ea, quæ in ab se relatis, oppugnatisque Recentiorum sententiis ipse quoque putat *verissima*, scripsit, *concitato motu agitari particulas ignis*, & hinc fieri, *ut accedente* cuspidata *illarum* figura, *poros obiectorum corporum pervadat, motum in illis procreet, partes eorum concidat, divellat, segreget, dispergat* (e). Quis namque non videt, hæc considerans, persuasum esse tanto Viro, figuram atomorum ignis ex illius effectis sibi plane constare?

Non est demum, cur addat, ut Recentioribus invidiam creet, *atomos insectiles, ac simul figuratas percipi non posse*. Ut enim habet Gassendus, quem ipsum non decuit ignorare, *insectilis dicitur atomus, non quia partibus careat, & magnitudine destituatur, sitque proinde aliud nihil, quam punctum mathematicum; sed quod ita solida, &, ut ita dicam, dura, compactaque sit, ut divisioni, sectionive, & plagæ nul-*

(a) Tom. II. P.I. *Physicæ* Disput. II. q. 5. *pag.* 101.
(b) Ibidem q. 6. *pag.* 146.
(c) Loco citato q. 7. *pag.* 154.
(d) Ibidem q. 5. *pag.* 101.
(e) Ibidem *pag.* 112.

nullum locum faciat, ſeu quod nulla vis in natura ſit, quæ dividere illam poſſit (a). Sed age, demus Cl. Adverſario, non defuiſſe, qui opinaretur, *atomos*, ex quibus coaleſcere dicuntur corpora, & in quarum effluvio *activæ* illorum *qualitates* ſtatuuntur, *inſectiles* idcirco dici, quod partibus deſtitutæ ſint, omnique extenſione careant. Ita certe, ſi Gaſſendo credimus, interpretati ſunt *quidam alioquin eruditi* (b). Fortene putat Cl. P. Ferrari, vel ita eos omnes ſenſiſſe de atomorum *inſectilitate*, qui in ſubſtantiali corpuſculorum effluvio *calorem* collocant; vel in hujuſcemodi effluvio ſtatui *calorem* non poſſe, niſi componentia illius corpuſcula penitus *inextenſa*, ſimulque *figurata* dicantur? Primum certe non dicet Vir Cl., cum unus ſufficiat Gaſſendus, ut ille in errore tunc verſari manifeſtiſſime convincatur. *Conſtat* enim, inquit, *cum dico*, calorem *ſubire, penetrare, exſolvere &c. non intelligi quandam nudam nudam, & ſolitariam qualitatem; ſed intelligi certas atomos, quatenus præditæ hac* mole, *hac* figura, *hoc* motu, *ſubingrediuntur, pervadunt, diſcutiunt, & reliqua peragunt, quæ referri vulgo ad* calorem *ſolent* (c). Sed neque ſecundum, ſpero fore, ut ille dicat. Aperte quippe tunc ſibi adverſaretur; cum *pyramidatas*, ut vidimus, dixerit *ignis*, adeoque etiam *caloris*, particulas; & faſſus aperte fuerit, *calorem vel ſemper, vel fere ſemper cum ſubſtantiali calidorum corpuſculorum effluvio conjungi* (d). Si enim poteſt *calor* cum *ſubſtantiali* corpuſculorum *effluvio* aliquando conjungi, quin illa corpuſcula *inextenſa* propterea ſint, ſimulque *figurata*, poterit ille in eodem *effluvio* ſemper conſtitui, quin eadem ipſa corpuſcula ſimul itidem *inextenſa*, & *figurata* dicantur.

VIII.

97. Cum proprium ſit *frigoris*, denſare corpora, dura reddere, quæ mollia ſunt, eorumque partes, ſi moveantur, ad quietem redigere, eaſque inter ſe devincere quodammodo, ac veluti ligare (e); dicendum manet, *frigus* poſitum eſſe in *corpuſculis* mole *exiliſſimis*, figura *affectis*, *quæ planis ſuperficiebus*, acutos, *aut* rectos *ſolidos angulos conſtituentibus*, *terminetur*. Videtur enim, nonniſi ex hujuſmodi corpuſculis effectus illos, qui *frigoris* proprii ſunt, poſſe derivari. Et *primo* quidem, cum *frigus* ſimul devinciat, ac veluti liget partes corporis, quod afficit, & ſi quem habent motum, retardet, atque

(a) Sect. I. *Phyſices* lib. III. cap. 5.
(b) Ibidem.
(c) Ibidem lib. VI. cap. 6.
(d) T. II. P. I. *Phyſ.* Diſp. IV. q. 3. aſſert. 5. *p.* 231.
(e) Vide, quæ diximus in *Phyſica* Tom. I. §. 864., & ſeq.

etiam penitus sistat, dubitandum non est, quemadmodum alibi etiam diximus (§.73.), quominus *frigus* sit aliquod natura sua impenetrabile, ac proinde corpus (§.19.); cumque corpora penetret, neque alia ratione præstare id possit, nisi subeundo illorum poros, relinquitur, *frigus*, ut est quoque dictum eandem ob causam de *calore* (§.96.), in subtilissimis corpusculis collocari oportere. Quod vero horum corpusculorum figura *planis superficiebus*, acutos, *aut* rectos *solidos angulos constituentibus*, *terminetur*, non obscure colligitur tum ex *Mechanica*, tum ex eo quod *frigus* contrarie *calori* opponatur. Colligitur *primo* ex *Mechanica*. Ex illa siquidem constat, nullam figuram ad figenda corpora, & ad sistendum illorum motum ea esse aptiorem, quæ ita terminatur planis superficiebus, ut in *acutos*, aut *rectos* solidos angulos desinat. Hanc certe ob causam *cuneus*, ut omnes norunt, ad hosce præstandos effectus omnium Machinarum aptissima est. Colligitur *secundo* ex contrarietate, quæ *frigus* inter, atque *calorem* habetur conspicua. Necesse quippe hinc est, ut figura corpusculorum *frigoris* figuræ corpusculorum *caloris* suo modo adversetur; & ideo, cum *sphærica* sit figura corpusculorum *caloris* (§.96.), restat, ut figura corpusculorum *frigoris* vel *acutis*, vel *rectis* solidis angulis comprehendatur. Neque enim alia sphæram inter, ceterasque solidas figuras fingi potest oppositio. Igitur corpuscula, in quibus necessario statuendum est *frigus*, figuram habent *tetraedricam*, aut *octaedricam*, vel etiam *prismaticam*, trilatera, vel quadrilatera basi terminatam. Quæ siquidem corpuscula hisce figuris instructa sunt, in *acutos*, vel *rectos* solidos angulos, ut patet, desinunt. Non inficior tamen cum Cl. Gassendo, *tetraedricam* figuram ad præstandos *frigoris* effectus esse omnium aptissimam. *Certe exinde perspicuum fiet*, inquit ille, *quemadmodum frigus calori opponitur, ita atomos frigoris atomis caloris oppositas esse. Nam quod ad* molem *attinet, possunt* tetraedricæ *cuspidibus totis majores esse, quam* sphæricæ, *quatenus potest* tetraedron *ipsi* sphæræ *circumscribi. Quod ad* figuram, *nulla est, quæ sit* sphæricæ *opposita* magis, *quatenus angulosa est, & maxime omnium recedit ab illa seu infinitate, seu innumerabilitate laterulorum insensibilium, quæ possunt in* sphæra *spectari. Quod ad* motum, *nullum est corpus, quod* tetraedrico *sit ineptius; nam quod* cubo *vulgo attribuunt ineptitudinem ad motum, perspicuum attendenti fit, eam* tetraedro *potius convenire. Non est porro intelligenda hujusmodi ineptitudo, ubi inanis libertas est; cum ea ratione illi habeant atomos omneis æqui veloceis; sed quatenus atomi intra concretiones implicitæ sunt, & intestinis motio-*

nibus

nibus expedire se connituntur (a). Verum, cum corpuscula salis cujusque commune habeant, corporibus, quibus miscentur, *frigus* inducere, ut proinde *frigorifica vis* omnibus salinis particulis, etsi non omnibus ex æquo, satis probabiliter a Recentioribus tribuatur (b); dandum quidem est, *tetraedricam* figuram aptiorem esse ceteris ad explicandam vim *frigoris*; at minime dicendum, eam esse unam, ex qua vis illa derivari possit. Neque enim una est omnium salium figura; utque habet Cl. Boyle, omnibus, *qui suis quæque ponderant effectis, est illud persuasissimum, nullum corpus existere in rerum natura, quod nitrum frigiditate exæquet* (c); & tamen, si Cl. Gulielmino credimus (d), *tetraedrica* non est figura particularum nitri, sed *prismatica*. Satis est igitur ad *frigus*, ut corpuscula, in quibus positum illud esse diximus, figuram habeant, quæ in *acutos*, vel *rectos* solidos angulos desinat.

Hæc tamen opinio, ut quævis alia Recentiorum, non placet P. Ferrari. *Gratuitam*, ait, *esse sententiam, quæ* frigoris *naturam in atomis frigorificis constituit*; idque *ex iis apparere, quæ supra contra atomos* dixit. *Quo enim*, inquit, *hæc familiaria magis sunt Atomistis, eo facilius a nobis negantur*. Petit præterea, *undenam atomi sint frigorificæ?* Petit, *quid sit ipsa frigiditas, quam atomi sunt frigidæ* (e)?

Verum enimvero opinio Recentiorum de *frigoris* natura ne levissime quidem hisce momentis labefactatur. *Primo* etenim cum minime diluat P. Ferrari, imo ne memoret quidem argumenta, quibus Recentiores, si non ad evidentiam, maxima tamen probabilitate suam sententiam probant, injuste prorsus *gratuitam* eam ille appellat; *gratuita* quippe, ut ipsius verbo utar, ea tantum opinio est, quæ nulla sufficienti ratione evincitur. *Secundo*, cum paulo infra manifeste ille doceat, *experimenta*, ab se *postea referenda, ostendere, frigida corpuscula diffundi, atque ex illorum communicatione alias etiam res frigidas effici* (f), non apparet, quomodo, quin sibi contradicat, dicere ille possit, *gratuitam esse sententiam, quæ* frigoris *naturam in atomis frigorificis constituit*. Contradictio est enim, *gratuitam esse sententiam, quæ* frigoris *naturam in atomis frigorificis constituit*, & *experimenta ostendere, frigida corpuscula diffundi, atque ex illorum communicationem alias etiam res frigidas effici*. Non inficior, illa corpuscula, judicio Recentiorum, esse *frigorifica* per suam *figuram*; contra vero per *accidens*

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 6.

(b) Vide, quæ hac de re tradidimus Tom. I. *Physicæ* §. 901.

(c) Tentam. Physico-Chim. *circa partes nitri* sect. 13.

(d) De *salibus* num. 16.

(e) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 4. *assert.* 1. *pag.* 238.

(f) Ibidem in prob. *assert.* 2.

dens absolutum illis superadditum, Scholasticos, ipsumque etiam P. Ferrari si audiamus. Verum id non sufficit, ut opinio statuens *frigoris* naturam in *atomis frigorificis* gratuita absolute censeatur. Undecunque enim derivetur vis, qua illa corpuscula sint frigorifica, semper verum est, naturam *frigoris* in *frigorificis atomis* recte constitui. *Tertio*: quæ contra *atomos* ille affert momenta, nullo modo evincunt, ex tenuissimis corpusculis oriri *frigus* non posse; quemadmodum illa nequaquam probant, per corpuscula tenuissima non propagari *frigus*, resque alias ex illorum communicatione *frigidas* non effici, alioquin Auctor ipse Cl. sibi, ut patet, nequaquam constaret. Mirandum est autem, illum dixisse, *quo hæc* (subtilissima scilicet corpuscula) *familiaria magis sunt Atomistis, eo facilius ab se negari*; cum ad naturæ phœnomena explicanda æque ipse, ac Recentiores, corpusculis utatur, pluresque corporum affectiones ex componentium exilium particularum *magnitudine*, *figura*, & *situ* ipse quoque desumat.

Ad illud demum, quod petit, videlicet undenam *atomi sint frigorificæ? quidque sit ipsa frigiditas, qua atomi fiunt frigidæ?* respondeo, & primo ad *primum* dico, *atomos* esse *formaliter* frigorificas per suam *figuram*, quatenus nempe ab illa habent, ut simul devinciant partes corporum, quibus infiguntur, earumque motum retardent & sistant; atque hinc ut simul congregent, tum quæ ejusdem generis sunt, tum quæ sunt generis diversi (a). Neque impossibile videbitur, ut arbitror, Cl. P. Ferrari, effectus *frigoris* ex figura corpusculorum, quibus illud diffunditur, rebusque aliis communicatur, provenire; cum ipse etiam aperte doceat, a sola *figura*, & *motu* suarum particularum habere ignem, *ut poros objectorum corporum pervadat, motum in illis procreet, partes eorum concidat, divellat, segreget, dispergat* (b); sicuti etiam aerem a *figura* in *spiræ* modum contorta habere, ut eos effectus producat, *qui ab ipso, ejusque elaterio proficiscuntur* (c). Qua ergo ratione quærenti, undenam aeris particulæ sint *elasticæ?* putat P. Ferrari, non aliud respondendum, nisi illas id habere a sua *figura* in *spiræ* modum contorta; eadem ratione arbitrari jure possunt Recentiores, satis ab ipsis fieri quærenti, *undenam atomi sint frigorificæ?* si dixerint, eas id habere a sua *figura* in *acutos*, vel *rectos* solidos angulos definente.

Ad *secundum* vero, quod ab illo quærebatur, dico, *frigiditatem*, *qua atomi fiunt frigidæ*, esse ipsam earundem *figuram*, sumta *frigiditate*

(a) Vide quæ dicta sunt de hoc *frigoris* effectu §. 73.

(b) Tom. II. P. I. *Physicę* Disp. II. q. 5. *pag.* 112.

(c) Ibidem q. 6. *pag.* 146.

tate pro eo, per quod *formaliter* illæ atomi *frigoris* effectus producunt. Non dubito autem fore, ut Vir Cl. hac responsione sit contentus; cum si quis ab eo quærat, quid sit *elasticitas*, qua aeris particulæ sunt *elasticæ*, non aliud respondere ipse quoque possit, ut sibi constet, nisi esse *figuram* in *spiræ* motum contortam, qua illæ donantur.

Non ignoro, P. Ferrari necessario dicturum, *frigoris* corpuscula esse *frigorifica*, seu *frigida* per *formam accidentalem absolutam*, *quæ nata est densitatem inducere, homogenea, & heterogenea simul congregare, quæque calori opponitur, & illum destruit*. Ita quippe *frigus* ipse definit (a). Me tamen prorsus latet, quamobrem eam quoque vim per *formam absolutam* non descripserit, qua aeris particulæ sunt *elasticæ*, & ignis corpuscula pervadunt poros objectorum corporum, motum in illis procreant, partes eorum concidunt, divellunt, segregant, dispergunt. Nam vel etiam in hisce corpusculis ad illos effectus producendos *absoluta forma* necessaria est, & ideo peccavit ille, eos omnes ex sola *figura*, ut est modo visum, repetendo; vel neque in corpusculis frigorificis *forma* ejusmodi necessario requiritur; unde culpa non vacat Vir Cl. dum eam illis tribuendam putat, ut sint frigorifica. Neque enim video, quamobrem, si ratione solius *figuræ*, & *motus* possunt particulæ ignis *poros objectorum corporum pervadere, motum in illis procreare, partes eorum concidere, divellere, dispergere*, nequeant corpuscula frigorifica, itidem per solam suam *figuram*, *densitatem corporibus inducere, homogenea, & heterogenea simul congregare*. Accedit, vocabulum *formæ accidentalis absolutæ* nimis vagum & obscurum esse, quam ut ad explicandos frigoris effectus jure valeat a Viro philosopho usurpari. Certe nisi palam fiat, quomodo per illam *formam* valeant *frigoris* corpuscula *densitatem inducere, homogenea, & heterogenea simul congregare, calori opponi, & illum destruere*, non plus de *frigoris* cognosceret Philosophus, quam rusticus quisque. Ecquid enim aliud est, explicare effectus *frigoris* per vagum illius *formæ* vocabulum, nisi dicere, illos effectus ab aliquo oriri, quod ignoramus?

Nodum hunc probe vidit Vir ipse Cl. Propterea, ne Recentiores ab eo requirant, cur *ejusmodi descriptiones* proferat, opportunum duxit, illos præmonere, hisce descriptionibus ipsum esse *contentum*; *cum* (ejus sunt verba) *naturæ arcana mentis nostræ aciem effugiant, & ultima rerum differentia latitante, ea nonnisi ex particularibus effectis definire liceat* (b). Verum, si illa *frigoris* descriptione ipse con-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 5. *pag.* 241.

(b) Ibidem.

contentus est, contenti eadem esse nequeunt Recentiores; cum detur per *formam*, cujus existentia ex effectis nequaquam probatur. Mirum est autem, P. Ferrari, qui dixerat contra Cartesium, & Malebranchium, se *non facile assentiri dicentibus, & non probantibus* (a), modo velle, ut Recentiores minime illi vitio vertant, quod per abstracta & vaga Scholasticarum *formarum* vocabula describat *sensibiles* corporum *qualitates*, quin rationem aliquam afferat, qua illarum *formarum* existentia vel levissime demonstretur. Probare quidem nititur Vir Cl., *naturalem rationem non evertere sententiam Peripateticorum de accidentibus realibus, & absolutis* (b), hoc est, non ostendere, sententiam illam esse falsam; sed nullam affert, qua *positive* evincat, eam esse veram.

Illa demum ratio animum mihi non subit, propter quam, *nec probabile esse*, dicit (c), *nec verisimile*, aquam fieri *frigidam* per receptionem frigidorum corpusculorum, quia nempe *experientia constat, totam pene aquam frigidam reddi*. Hæc enim ratio, meo quidem judicio, vel nulla est, vel etiam falsum probat, quod Auctor ipse docet, videlicet *in frigoris communicatione ac propagatione corpuscula frigida diffundi, atque ex illorum communicatione alias etiam res frigidas effici* (d). Experientia enim non minus probat, *totam* aquam, ac *totas* alias res fieri *frigidas*. Ergo vel nulla res, secus ac ille expresse ait, *frigida* efficitur ex *communicatione* frigidorum corpusculorum, vel etiam aqua hoc modo redditur *frigida*. Ceterum quo sensu dici possit, *totam* aquam frigescere, patet ex alibi traditis (§. 73.), quæ non sunt repetenda.

I X.

98. Ad *humiditatem*, & *siccitatem* quod spectat, certum est, *primo*, consistentia corpora non humectari, nisi quatenus humor, sive humectans fluidum ingreditur illorum poros, eorumque parietibus adhærescit. Constat enim, eorum tam *molem*, quam *pondus* in humectatione augeri (e): quod profecto sine accessione novæ substantiæ fieri nullatenus potest. *Secundo*: valde probabile est, humectandi vim, qua pollent liquores, a *magnitudine*, & *figura* componentium particularum unice dependere. Fieri quippe videtur ob solam partium ma-

(a) Tom. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. *pag.* 417.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 2. *pag.* 220.

(c) Ibidem q. 4. in assert. 2., ejusque probatione *pag.* 238.

(d) Ibidem.

(e) Vide Tom. I. *Physicæ* §. 932.

magnitudinem, atque *figuram*, ut humor ſubeat poros corporum, ipſos dilatet, eorumque parietibus adhæreat. Accedit, nonniſi mechanicam eſſe poſſe cauſam, quamobrem confricatione, & calore opus ſit, ut volucrum aquaticarum plumæ, aliaque etiam apprime arida corpora aqua humectentur, ſicuti etiam, cur unus idemque liquor humectare aliqua corpora poſſit, alia non poſſit (a). Itaque, ſumta *humiditate* pro eo, quod aridis corporibus adveniens, illa humectat, *humiditas* non eſt *accidens*, ſed *ſubſtantia*. Sumta vero pro eo, ratione cujus humor habet, ut corpora humectet, *humiditas* eſt affectio pure *mechanica*, a ſola ſcilicet *magnitudine*, & *figura* particularum, quibus humor conſtat, tota dependens. Sicuti porro corpus fluidum dicitur *ſiccum*, quod vi humectandi deſtitutum eſt; ita corpus conſiſtens *ſiccum* vocatur, quod vel nihil prorſus in ſe habet humoris, vel nonniſi portionem adeo exiguam, ut ſenſibus non appareat. *Talis habetur vulgo pumex*, inquit Gaſſendus, *talis cos*, *talis arena*, *cinis*, *ipſa terra*, *tale demum*, *quidquid ejuſmodi eſt*, *ut neque in ſui ſuperficie madefactum ſit*, *neque intus humorem contineat*, *qui extractus valeat corpora humefacere* (b). Hinc ratum fixumque habent Recentiores *primo*, corporum omnium *ſiccitatem* in ſola humoris privatione conſiſtere. *Secundo*: humecta corpora non exſiccari, niſi quatenus humor ille paulatim diſſipatur, quo ipſorum pori turgeſcunt. *Io ben veggio*, inquit Vir Cl. Joſephus del Papa, *che troppo dura impreſa è la mia, a volere a forza di ſi fatti volgari modi di favellare diſtruggere una cotanto ſtabilita opinione* (Scholaſticorum) *qual' è, che il* ſecco *ſia una* reale qualità *all'* umidezza *contraria; ma ſiaſi come eſſer vuole, che io, il quale non ò altra mira adeſſo, che d' inveſtigare la natura di quella* ſiccità, *la quale da tutti gli uomini è come tale ricevuta, eſperimenta, ed univerſalmente così chiamata, debbo perciò molta ſtima fare dell' idea, che appreſſo tutti gli uomini ſi à di eſſa* ſecchezza, *e delle voci, con cui ſogliono tutti gli uomini della medeſima ragionare. Per la qual coſa io conſidero, che ſebbene non col ſolo nome di* ſiccità, *ma con altre voci eziandio così fatto naturale effetto è ſolito a denotarſi, onde ciò che è* ſecco, *ſi chiama parimente nella noſtra Toſcana favella* arido, aſciutto, *ed in altre guiſe ancora per avventura, alle quali corriſpondono altrettante, o più voci negli altri idiomi. Contuttociò di tutte quante eſſe voci una ſola, e generale ſi è la ſignificazione, la quale tende a ſtabilire il* ſecco *un' effetto dalla* mancanza dell' acquoſa umidità *procedente. Il che tanto è vero, che chiunque con filoſofica curioſità vorrà prenderſi briga di rinvenire,*

V *qual*

(a) Vide dicta ibidem §. 939., & 941.

(b) Sect. I. *Phiſices* lib. VI. cap. 7.

qual concetto abbiamo della secchezza, *che essi nominano soventemente*; *coloro, i quali scuri sono da ogni preoccupazione di scienza, e col solo autorevole e chiaro lume della natura favellano, trovarà al certo, non altro concepirsi dagli uomini per la* siccità, *che una* pura privazion dell'umido. *Il che così essendo, qual ragione potrà vietarmi, che io ricevendo questo vocabolo di* siccità *in quel significato, con cui da tutti gli uomini vien ricevuto, non affermi adesso, esser ella un* semplice discacciamento dell'umidezza, *quando oltracciò io venga confortato a tenere tal sentenza dalla ragione altrove apportata, e da troppe più, le quali per brevitade io tralascio. Non già distorammi da questo intendimento la Peripatetica scuola, la quale il contrario asserisce. Conciossiache ogni qual volta io mi son posto ad essaminare così fatta* Peripatetica qualità, *eita mi è sempre paruta una* secchezza chimerica, e immaginaria, *anzi che* vera, e reale, *la quale non apparisca a i sensi, agli uomini sia ignota, ed al comune uso di favellare, ed al comun concetto della* secchitade *affatto sia disdicevole, e impropria* (a). Apparet itaque, ob solam contenti humoris dissipationem corpora exsiccari. Si namque eatenus tantum *siccum* sit corpus, quatenus ejus pori humore sunt vacui, relinquitur sane, ob id dumtaxat humectum corpus exsiccari, quod humor ille penitus dissipetur, quo ejus pori turgescunt. Huic porro opinioni etiam experientia consona est. Constat enim, decrescere molem corporis, ejusque pondus minui, dum illud, ante humectatum, exsiccatur (b). Id autem fieri nequit, ut est perspicuum, sine alicujus substantiæ, humoris nempe, deperditione. Ergo nonnisi ob dissipationem humoris, quem continent, humecta corpora exsiccantur. Et hinc est, corporum *exsiccationem* calore perfici, quatenus scilicet calor humorem in illis contentum attenuat, efficitque, ut sub vaporis forma ex illorum poris exiliat: quod etiam docuit Aristoteles, scribens, corpora exsiccari a calore *humorem in vaporem eliciente* (c).

SCHOLION.

99. *Humidum* perperam prorsus cum *fluido*, & *siccum* cum *solido* confundi, sicuti ab Aristotele, atque cum illo a P. Ferrari, aliisque etiam factum est, ex alibi traditis (§. 77.) satis constare puto.

X.

(a) Lettera intorno alla natura dell' *umido*, e del *secco* pag. 51.

(b) Vide Tom. I. *Physicæ* §. 948.

(c) Lib. IV. *Meteororum* cap. 5.

X.

100. Posita notione superius tradita (§. 77.) corporis tam *fluidi*, quam *consistentis*, communis inter recentiores Philosophos sententia est, corpus ob id *formaliter esse fluidum*, quod particulæ, ex quibus immediate componitur, dissociatæ a se mutuo sint, & sphærica, vel quasi sphærica figura affectæ. Hoc enim ipso, putant illi, quod particulæ, ex quibus corpus immediate consurgit, dissociatæ sint a se mutuo, & sphæræ instar tornatæ, vel quasi tornatæ, illud hujusmodi est, ut, quemadmodum postulat *fluidi* corporis ratio, & diffluat quoquoversus, quamprimum genio suo relinquitur, & cuilibet figuræ sua veluti sponte facillime sese accommodet. *Ita certe se rem habere, intelligimus primum*, inquit Gassendus, *in acervo granorum frumenti, quorum quodlibet, ob spatiola intercepta, evolvere se circa contigua capax est: ex quo fit, ut in quamcunque partem volueris acervum emovere, aut intra quodcunque vas reponere, ipsa grana emoveantur, effundantur, accommodent sese interiori figuræ vasis. Ita deinde intelligimus, se rem habere in sabulo, & quolibet pulvere, cujus pari modo singula granula circa contigua emoveri, & effluere, ac in vas effusa, interiori superficiei sese accommodare valeant. Ita vero consequenter intelligendum est, sese rem habere in aqua* (eademque ratione & in quovis alio fluido). *Siquidem discrimen solummodo est, quod granula, seu corpuscula, ex quibus acervus, seu mavis, moles, & cumulus aquæ contexitur, sint incomparabiliter minora, tenujoraque, & incomparabiliter angustioribus intercepta spatiolis, quam concipi corpuscula valeant cujuslibet pulveris, quem deterere artificio liceat* (a).

Porro dissociatas a se mutuo esse particulas, ex ex quibus *fluidum* corpus proxime consurgere diximus, Recentiorum sententia, non obscure etiam colligitur ex illa facilitate, qua liquores inter se ita veluti sponte miscentur, ut unius partes a partibus alterius, perfecta mixtione facta, nullatenus discernantur. Sola enim partium dissolutio videtur esse posse hujusce phoenomeni causa; quemadmodum sola partium discretio itidem causa est, quamobrem dissimiles pulveres eodem ferme modo, quo liquores, simul misceantur. Accedit, *naturam ipsam juxta ac artem*, ut præclare observat Cl. Boyle, *cum earum alterutra fluorem conciliare corporibus grandioribus nititur, solere eadem ad istum finem obtinendum comminuere*. Certe *videmus*, ait ille, *naturam in ventriculis canum, dum redigere ossa in corpora fluida*, chy-

(a) Sect. I. *Physices* lib. VI. cap. 7.

chylum *scilicet*, & sanguinem, *molitur*, *forti quodam*, *aptoque liquore*, *sive ventriculi ipsius indigena*, *sive ex arteriis*, *in circulantis sanguinis transitu*, *ejecto*, *in partes adeo minutas ea dissolvere*, *ut vel perspicacissima oculorum acies nemini suspicionem injiceret*, *istiusmodi liquorem osseam unquam substantiam fuisse* (a).

Necesse est autem, ut proxime componentes *fluidi* corporis particulæ sphæricam, vel sphæræ analogam figuram habeant. Debent siquidem partes illæ nonnisi in puncto, vel quasi puncto sese mutuo contingere; quippe, cum ab externo fluido indesinenter præmantur, sibi invicem fortiter adhærerent, si mutuus earum contactus secundum planam notabilem superficiem fieret, quemadmodum in vulgato de duobus planis marmoribus experimento notum est. Perfecte quoque non difflueret corpus, sed illius particulæ hærerent in cumulum, si planis superficiebus terminarentur, acutisque, aut rectis, vel quasi rectis angulis instruerentur. Tunc quippe illæ sustinerent sese, neque dilabi ita facile possent, una scilicet plurium motum impediente. Unde hæc est causa, cur pulveres etiam minutissimi, qui arte parantur, sicuti & granulorum cumuli speciem *fluidi corporis* non omno referant. Ut enim *mycroscopium* ostendit, nimis aspera sunt illorum corpuscula; unde sese mutuo facile sustinent, & in suo lapsu invicem sese impediunt, contra prorsus atque ad *fluidum* corpus habendum requiratur.

Ex hisce proinde difficile explicatu non est, undenam corporum *consistentia* proveniat. Cum enim hæc *fluiditati* opponatur, & contrariorum contraria sit causa, sive ratio, sicuti ex proxime componentium particularum dissociatione, earumque mutuo contactu in puncto, vel quasi puncto oritur corporis *fluiditas*; ita vicissim ex eo provenit ejusdem *consistentia*, quod eædem ipsæ partes ita colligatæ sint inter se, eaque ratione sese mutuo tangant, ut, accedente externa circumambientis liquidi pressione, illarum nulla moveri secundum aliquam directionem possit, nisi reliquas omnes secum trahat, & secundum eandem directionem simul omnes moveantur. Valde probabile idcirco est, particulas *consistentis* corporis sibi mutuo, cuneorum instar, esse infixas. Sicuti namque pressio, quam partes *solidi* corporis ab externo circumambiente liquido sustinere coguntur, efficit, ut urgeantur contra se invicem, atque hinc ut, si sese mutuo tangant secundum planam notabilem superficiem, sibi mutuo satis valide adhæreant; ita mutua illa incuneatio impedit, ne qua sit directio, secundum quam impelli, vel tendere earum una possit, quin reliquæ pro-

(a) De *fluiditate* sect. 6.

prohibeant, quominus ſecundum illam directionem ipſa ſola moveatur. Ex majori porro, vel minori copia componentium particularum, quæ, cuneorum inſtar, ſibi mutuo infixæ ſunt, ſatis probabiliter oritur diviſio *conſiſtentis* corporis in *durum*, & *molle*. *Durum* nempe eſt corpus, ſi omnes, vel ferme omnes componentes illius particulæ ſint ſibi mutuo, cuneorum inſtar, valide infixæ. Eſt vero *molle*, ſi vel paucæ tantum ex illius partibus ea ratione ſibi mutuo infixæ ſint, vel ſi parum acuti ſint anguli, quibus ſibi mutuo incuneantur, vel demum ſi mutua illa infixio ſit, pro ratione molis ipſarum partium, non multum profunda. Fit namque haſce ob cauſas, ut partes corporis, ſi preſſæ fuerint, non difficile, quemadmodum poſtulat *durities*, ſed facile, in quo *mollities* corporum poſita eſt, introrſum cedant. Sufficit porro ad intentum, hæc paucis indicaſſe. Fuſius rem hanc pertractatam ſi quis cupit, adeat *Tomum* I. *Diſſert*. IV. *Sect*. II. *artic*. I. Philoſophiæ *ſenſuum* mechanicæ, quam nuper edidimus. Non reſtat igitur, niſi, ut, quæ opponit Cl. P. Ferrari, pro ratione ſuſcepti muneris diluamus.

Contendit itaque Vir Cl., *fluidi partes, quantumvis minimæ concipiantur, non eſſe omnino invicem diſſolutas, ſeu disjunctas, ſed invicem ſibimet adhærere, & continuitatem quamdam habere*. Duplici autem ratione id ab eo oſtenditur. Primam ex ea *viſcoſitate* deſumit, quæ in aqua, aliiſque etiam liquoribus ſatis conſpicua eſt. Hæc enim cum ex aliquali partium adhæreſcentia proveniat, partes ipſas *non eſſe omnino invicem diſſolutas, ſeu disjunctas, ſed invicem ſibimet adhærere, & continuitatem quamdam habere*, minime dubitandum eſt. Secundam vero rationem ita ille conficit: *multa fluida corpora ſunt diaphana, ut aer, & aqua. Ergo fluidum, ut tale, eſt capax perſpicuitatis, ſive lucis traiiciendæ. Atqui nullum corpus, cujus partes omnino invicem diſſolutæ ſint, ac disjunctæ, eſt perſpicuum. Ergo fluidi partes invicem cohærent. Subſumta illa* minor *probatur multiplici experientia. Si vitrum minutatim contundatur, eo ipſo deſinit eſſe perſpicuum. Porro id minime eveniret, ſi natura fluidi partium minutarum diſſociationem præ ſe fert. Contuſio enim illa reipſa vitrum redderet ſimile fluido. Perſpicuitas vero amitti non poteſt per acceſſum ad diſpoſitionem, quæ capax ſit perſpicuitatis, cujuſmodi ſane eſt fluiditas. Quare, cum fluiditas optime componatur cum perſpicuitate, contuſio illa, quæ vitrum faceret ſimile fluido, non poteſt tollere perſpicuitatem. At experientia oſtendit, ea comminutione peſpicuitatem tolli. Ergo comminutio illa non accedit ad fluiditatem, ſed falſam tantummodo ſpeciem fluiditatis præ ſe fert*.

fert. Igitur fluiditas non consistit in partium omnimoda dissolutione (a).

Sed neutra harum rationum intentum probat. Non prima. Concedo namque, aliquam in aqua, aliisque liquoribus haberi partium adhæsionem, ut eorum viscositas, quemadmodum dixi in Physica (b), satis manifeste evincit. Sed nego, adhærescentiam illam esse de ratione *fluidi*, eamque in omnibus *fluidis* reperiri. Nego, illam partium adhæsionem esse de ratione *fluidi*; repugnat enim, ut, quod naturæ rei, de qua agitur, contrarium est, eamque destruit, ad illius rationem pertineat. Illam autem partium adhæsionem contrariam esse *fluiditati*, eamque destruere, patet; nam ex illa, si notabilis fuerit, corporum *consistentia* provenit; neque inficiari id potest Cl. P. Ferrari, cum ipse etiam, *duritiei*, & *mollitiei* naturam explicans, ex partium adhæsione utramque aperte derivet. Inquit enim: *durities ex partium soliditate, & arctiori contextura proficiscitur, qua fortius invicem adhærent, & arctius sese complectuntur. Mollities e contra minorem partium cohæsionem præ se fert; unde & facile queant loco dimoveri & externæ vi cedant* (c). Nego tamen, mutuam illam partium adhæsionem in omnibus *fluidis* corporibus existere. Nulla quippe ea est in substantia ætherea, utpote fluidissima. Nulla in aere, vel nonnisi adeo exigua, ut vix, sed ne vix quidem sensibus discerni possit. Non inficior illam dari in aqua, in oleo, aliisque liquoribus. Sed non propterea inferri potest, adhæsionem ipsam in omnibus haberi, quemadmodum ex hoc, quod substantia ætherea, ipso teste P. Ferrari (d), vitrum pervadit, colligere non licet, id etiam ceteris *fluidis* convenire. Ajunt quidem Recentiores, *fluiditatem* corporum in partium dissociatione consistere; verum non ita, ut, nisi partes omnino dissociatæ a se mutuo sint, negent, corpus esse *fluidum*. Sicuti enim *fluiditas*, ita etiam partium dissociatio suos, illorum sententia, habet gradus. Dicunt nempe *perfectissime fluidum*, si componentes illius particulæ adeo sint a se mutuo dissociatæ, ut nonnisi in puncto, vel quasi puncto illæ sese contingant. Illud vero *non perfecte fluidum* appellant, cujus particulæ aliquantulum sibi mutuo adhærescunt, ut aqua, oleum, & liquores ceteri. Nullus quippe illorum est, in quibus aliqua *viscositas* non occurrat (e). Itaque, ut evincat P. Ferrari, *fluiditatem* ex dissociatione partium non provenire, demonstret necesse est, perfectiorem illam non esse in corporibus, quo magis minimæ eorum particulæ dissociatæ sunt a se mutuo,

sive

(a) Tom. II. P.I. *Physicæ* Disput.IV.q.6. ad assert. 1. *pag.* 253.

(b) Tom. I. §. 725., & seq.

(c) Tom.II. P.I. *Physicę* Disp.IV.q.6. *p.*261.

(d) Ibidem *pag.* 114.

(e) Vide Tomum I. *Physicæ* §. 726., & seq.

ſive quo minus illæ ſibi mutuo adhæreſcunt. Caveat tamen Vir Cl., ne, ſi id nitatur oſtendere, ſibi deinde contradicat. Velim quippe conſideret, ſe alio loco aperte dixiſſe, *figuram ramoſam maximæ aeris fluiditati, ac motui non apte reſpondere* (a). Videtur enim, figuram hanc propterea non apte reſpondere aeris *fluiditati*, quia officit diſſociationi partium, efficitque, ut illæ ſimul implicentur.

Ad ſecundam vero rationem quod ſpectat; candide fateor, me non ſatis illius vim percipere. Probare enim videtur, perfectam diſſociationem partium contrariam adeo eſſe *fluiditati*, ut, quemadmodum illa dicitur deſtruere *diaphaneitatem* in vitro contuſo, ita, ne corpus *fluidum* ſit, ipſa plane prohibeat. Verum ſi hoc, dicendum ſupereſt, ſolam remanere adhæſionem mutuam partium, ex qua deſumi *fluiditas* poſſit. Neque enim diſſociatio officere poteſt *fluiditati*, niſi illi faveat mutua partium adhæſio. Igitur dabit P. Ferrari, corpus eo magis eſſe *fluidum*, quo fortius componentes illius particulæ ſibi mutuo adhæreſcunt; & ideo illud eſſe *fluidiſſimum*, cujus partes ſibi mutuo adhærent perquam fortiſſime. At quomodo ſtare tunc poſſit, corporum *duritiem*, ut ille docet, *ex partium ſoliditate, & arctiori contextura proficiſci, qua fortius invicem adhærent, & arctius ſeſe complectuntur* (b), vim mentis meæ (nec me pudet, id fateri) prorſus excedit. Sed reſpondendum eſt in forma, ut ajunt, ad argumentum.

Dico ergo, veriſſimum eſſe, *multa fluida corpora eſſe diaphana*; atque hinc *fluidum, ut tale, eſſe capax perſpicuitatis*. At omnino falſum puto, quod ſubſumitur, *nullum* ſcilicet *corpus, cujus partes omnino invicem diſſolutæ ſunt, ac disjunctæ, eſſe perſpicuum*. Ut prætercam quippe, ſubſtantiam æthercam, atque aerem eſſe corpora apprime *diaphana*, ſimulque ex diſſociatis particulis (quoadusque P. Ferrari contrarium oſtenderit) coaleſcere, naturalis ipſa ratio oppoſitum demonſtrat. Si enim ea corpora, quorum componentes particulæ ſibi mutuo maxime adhærent, lumini præbere tranſitum poſſunt, id certe longe facilius præſtare debent, quæ ex diſſociatis particulis componuntur. Ad probationem vero illius *minoris ſubſumtæ*, videlicet *ſi vitrum minutatim contundatur, eo ipſo deſinere eſſe perſpicuum*, reſpondeo, concedendo experimentum, ſed negando, ideo vitrum ſuam *diaphaneitatem* tunc amittere, quia, ut pro comperto habere videtur Vir Cl., eæ illius partes, quæ antea ſibi mutuo adhæreſcebant, contuſione diſſocientur. Vitrum enim ideo, dum atteritur, in pulverem *opacum* faceſſit, non quia *diaphaneitas* ita adverſetur diſſociationi partium, ut ſimul cum illa in uno eodemque corpore ſtare non poſſit; ſed

(a) Tom.II. P.I. *Phyſicæ* Diſp.II. q.6. *p.*146. (b) Ibidem Diſp.IV. q. 6. *pag.* 261.

sed quia tanta est irregularitas earum particularum, in quas vitrum attritione resolvitur, & adeo inordinata illarum in pulveris cumulo dispositio, ut vel earum pori non amplius inter se mutuo secundum rectam directionem communicent, vel nimis multas *refractiones*, & *reflexiones* pati cogatur incidens lumen, antequam ex illo pulveris cumulo erumpat (a). Valde idcirco a vero distat Cl. Auctor, dum ait, *perspicuitatem amitti non posse per accessum ad dispositionem, quæ capax sit perspicuitatis*; & ideo, *cum fluiditas optime componatur cum perspicuitate, contusionem illam, quæ vitrum faceret simile fluido, non posse tollere perspicuitatem*. Sane, cum plura sint *fluida* corpora omnino *opaca*, nihil magis falsum est, quam corpus *diaphanum* per accessum ad dispositionem, quæ optime stat cum *diaphaneitate*, privari congenita sua *perspicuitate* non posse.

Verum, ut apertius fiat, quantum a vero aberret Vir Cl., si putat, hoc suo argumento Atomistas premi, liceat contra illum haud dissimile argumentum conficere. Itaque, cum perspicua res sit, multa corpora *consistentia*, imo etiam *dura*, esse *diaphana*, dubium esse nequit, quin corpus *consistens*, & *durum* capax sit *perspicuitatis*, quemadmodum idipsum de *fluidis* corporibus ex eo ille deducit, quod *multa corpora fluida sint diaphana*. Sicuti ergo contendit P. Ferrari, fieri non posse hanc ob causam, ut solidum *diaphanum* per *accessum ad dispositionem, quæ capax sit perspicuitatis, perspicuitatem amittat*; ita necesse est, ille ipse concedat Recentioribus, neque posse fieri eadem ratione, ut corpus *fluidum* itidem *diaphanum* per accessum ad non absimilem dispositionem, nempe ad *consistentiam*, & *soliditatem*, sua itidem *diaphaneitate* privetur. Experientia autem teste, contrarium accidit. Aqua enim, dum in spumam, adeoque in consistentem massam abit, fit *opaca*, sicuti etiam dum in duram glaciem eadem ipsa concrescit. Oleum quoque *diaphanum* esse desinit, dum congelatur. Ergo si *fluiditas* statui non potest in partium dissociatione, idcirco quia dum vitrum per attritionem fit simile *fluido*, desinit esse *perspicuum*, dicendum quoque pari ratione est, in partium valida adhæsione *consistentiam*, & *duritiem* minime posse constitui, propterea nimirum quia aqua, & oleum, dum per congelationem durescunt, congenita sua *perspicuitate* privantur; & ideo, cum Viri Cl. sit aperta sententia, *duritiem ex partium soliditate, & arctiori contextura proficisci, qua fortius invicem adhærent, & arctius sese complectuntur; mollitiem vero minorem partium cohæsionem præ se ferre* (b), eo necessario ille

(a) Vide quæ diximus in *Physica* Tom. I. Dissert. IV. Sect. IV. art. 1. cap. 5.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disput. IV. q. 6. *pag.* 261.

ille adigitur, ut fateatur, vel nullum esse argumentum, quo Recentiorum opinionem de *fluiditatis* natura prorsus convelli, arbitratus est; vel se fuisse deceptum, dum corporum *duritiem* in valida, *mollitiem* in minus forti partium *adhæsione* constituit. Spero autem, tantum Virum minime negaturum, ideo aquam, & oleum durescere in congelatione, quatenus fit actione frigoris, ut illorum corporum partes sibi mutuo valide adhærescant. Sequeretur enim, id si ille negaret, in forti partium *adhæsione* ipsum haud recte corporum *duritiem* collocasse. Neque enim in eo statuenda corporum *durities* est, sine quo haberi *durum* corpus potest.

Sicuti porro a vero alienum putat Vir Cl., corporum *fluiditatem* in partium dissociatione statuere, ita dissonum veritati ille ipse censet, corporum *duritiem* ab externa subtilis materiæ pressione derivare (a). Id autem duplici ratione ostendit. Prima est, hinc necessario futurum, ut *ejusdem, & æqualis omnino soliditatis sint omnia solida corpora. Eadem enim omnino est*, inquit, *subtilis materiæ pressio, eademque aeris crassioris gravitas urget omnia corpora. Sed ex eadem vi non potest impar resistentia oriri. Ergo* (concludit) *eadem durities, seu soliditas omnibus esset corporibus, qua divisioni æqualiter omnia resisterent: quod est contra experientiam.*

℞., negando, necessario futurum, admissa doctrina externæ pressionis, ut omnia *solida* corpora sint ejusdem, sive æqualis *soliditatis*. Cum enim in æstimanda, ut ex Hydrostaticis constat, pressione gravium fluidorum, ratio haberi debeat non tantum *altitudinis* columnæ prementis, sed etiam plani, sive *basis*, quæ pressionem sustinet, nequeunt particulæ solidi cujusque corporis contra se invicem a circumambiente fluido ex æquo urgeri, nisi secundum planam æqualem superficiem illæ in omnibus solidis corporibus sese contingant; ac proinde nisi partes ipsæ in omnibus sint æqualis *magnitudinis*, & ejusdem *figuræ*. Id autem cum plane falsum sit, omnino falsum est etiam, corporum *soliditatem* minime posse ex pressione circumambientis liquidi derivari, quin solida quæque corpora æqualis *soliditatis* statuantur. Itaque, nisi ostenderit Vir Cl., secundum planam æqualem superficiem omnes componentes solidi cujusque corporis particulas sese contingere, apteque jungi, patienter ferat, si dixerim, ipsum falli, dum ait, *eandem omnino esse subtilis materiæ pressionem, eandemque aeris crassioris gravitatem urgere omnia corpora;* persuasum habens, tantum Virum minime negaturum hoc loco, quod alibi docuerat, *liquorum* scilicet *gravitatem in vasis æstimandam esse secundum ipso-*

(a) Ibidem *assert.* 4. *pag.* 259.

rum altitudinem, habita tamen ratione basis (a).

Secunda ratio ita se habet: *Si corporum soliditas ab aeris pressione proficiscitur, aut nulla, aut invicta resistentia repugnarent divisioni solida corpora. Vel enim intra solidorum corporum partes æther, sive aer intercipitur, vel non? Si primum: partes illæ non resisterent divisioni, quemadmodum latera follis, inter quæ aer existat, occlusis foraminibus divisioni non repugnant. Si secundum: duæ partes solidi corporis se haberent, ut duo marmora lævigata invicem conjuncta; utrobique enim circumambientis ætheris, sive aeris pressio eadem extaret, cui internus aer, qui vel nullus est, vel admodum perexiguus, resistere neutiquam posset. Igitur, qui duas illas solidi corporis partes separare contendit, vel eas invicem conatur disjungere æqualiter, & perpendiculariter, vel per circulum, sive ex laterum parte? Si primum: resistentia illarum partium invicta esset, nec posset superari, quemadmodum contingit in duobus illis marmoribus. Si alterum: nulla est partium illarum resistentia, uti & ipsa marmora disjungi invicem lateraliter absque ulla resistentia possunt. Ergo ex data Recentiorum sententia vel nulla, vel invicta esset omnium solidorum corporum resistentia, qua divisioni repugnant. Quorum utrumque absurdum est.*

℞. falsum esse, *consistentiam*, sive *soliditatem* corporum a pressione externi circumambientis fluidi dependere non posse, neque ex illa provenire, quin ipsa corpora vel ne levissime quidem, vel penitus invicte divisioni resistant. Concedo, nihil prorsus aeris, aut ætheris inter eas corporis particulas intercipi, quæ sese mutuo tangunt. Concedo, partes illas coniungi inter se, perinde prorsus ac in celebri Guerikii experimento duo marmora, seu hemisphæria lævigatissima. Nego tamen, propterea futurum, ut illæ partes nulla prorsus vi divelli a se mutuo possint. Cum enim planæ superficies, secundum quas illæ solidi corporis particulæ sese contingunt, sint supra omnem nostram imaginationem exilissimæ, eæque sint bases columnarum externi fluidi, a quibus contra se invicem illæ particulæ urgentur, manifeste sequitur, ut, sicuti vis illarum columnarum, utpote quæ sunt minimæ crassitiei, non est tanta, quæ vinci non possit, ita neque vis, qua particulæ ipsæ sibi mutuo, ratione illius pressionis, adhærent, nulla potentia valeat superari. Patet ex Cl. Gravesando. Refert enim, *posita segmentorum* (sese mutuo secundum planam superficiem contingentium) *diametro trium pollicum cum semisse, pondus centum, & circiter quadraginta librarum requiri, ut duo illa segmenta separentur* (b). Ergo, ut separentur duæ ex minimis compo-

(a) Loco citato Disp. II. q. 4. *pag.* 78.

(b) Elem. *Physices* §. 2208.

ponentibus solidi corporis particulis, non major vis requiritur, nisi quæ sit ad pondus *centum*, & *circiter quadraginta librarum*, ut est planum, secundum quod fit mutuus illarum particularum contactus, ad simile planum, cujus diameter sit *trium pollicum cum semisse*. Pressiones enim, quas exercent columnæ ejusdem altitudinis, sunt *directe* inter se, ut bases, quibus illæ columnæ incumbunt. Plana autem superficies, secundum quam mutuus illarum particularum contactus efficitur, quantum deficiat a simili plana superficie, cujus diameter sit *trium pollicum cum semisse*, non est, cur dicam. Judicet ergo Cl. Adversarius, quanto minor vi *centum*, & *circiter quadraginta librarum* vis illa esse debeat, quæ requiritur, ut duæ minimæ componentes solidi corporis particulæ, etiam *tetrahedrica* figura donatæ, a se mutuo divellantur. Mihi certe persuasum est, id si attento animo ille expenderit, fore, ut candide fateatur, falso dixisse, *resistentiam illarum partium invictam esse, nec posse superari*. Accedit, ipsum quoque docuisse alio loco, ideo, *si clepsydra irrigatoria sit majoris altitudinis, aquam*, in ea contentam, *non remanere suspensam, sed effluere*, quia *tunc aeris, & aquæ in clepsydra contentæ gravitas, & vis longe superior est pressione externi aeris, proindeque istius actionem evincit, eumque cedere loco cogit, & aqua in ejus locum pervadit, a clepsydra egrediens* (a). Negare ergo nequit, etiam vim, qua duæ quævis duri corporis particulæ sibi mutuo, causa externæ pressionis, adhærent, vinci posse; & ideo non esse verum, quod ille dixerat, *ex data* scilicet *Recentiorum sententia vel nullam, vel invictam esse omnium solidorum corporum resistentiam, qua divisioni repugnant*.

Unum porro restat, quod, bona tanti Viri venia, dissimulare non possum. Docet, *soliditatem corporum non oriri ex atomis ramosis, & hamatis, ut placet Atomistis* (b). Tum paulo post explicans, quidnam de ejusdem *soliditatis* causa ipse tenendum putet, & reapse teneat, ait, *soliditatem, seu siccitatem* (eas enim habet pro una eademque corporis affectione) *potissimum esse repetendam ex partium configuratione, ac textura, quatenus partes* ramorum *instar invicem sese arctius complectuntur* (c). Optarem ergo, mihi ostenderet Vir Cl., quomodo stare possit, corporum *soliditatem* non oriri ex *ramosis* particulis, & simul eam provenire ex partibus, quæ *ramorum* instar invicem sese arctius complectantur. Videtur quippe, partes illas non posse *ramorum* instar sese complecti, quin *ramorum* instar conformatæ sint; ac proinde quin *ramosæ*, ut eas Atomistæ appellant, dici

 pos-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. II. q. 6. *pag.* 123.

(b) Ibidem Disp. IV. q. 6. *assert.* 6. *pag.* 260.

(c) Ibidem *assert. ultima*.

possint. Caveat propterea P. Ferrari, ne quis illud ipsum ab eo quærat, quod ipse ab Atomistis postulat, cur nempe, si componentes solidorum corporum particulæ *ramorum* instar, ut ipse ait, conformatæ sint, *etiam manus & digitos eisdem non concedat* (a)? Velim quoque, ne fabulis amandandam dicat (b) opinionem Atomistarum de *soliditatis* origine, nisi, prius demonstraverit, se ab illis distare, quamvis eam *repetendam esse*, doceat, *ex partium configuratione, ac textura, quatenus partes ramorum instar invicem sese arctius complectuntur.*

X I.

101. Inter Recentiores demum convenit, corporum *densitatem*, & *raritatem* a *pororum*, quos componentes illorum particulæ intercipiunt, *magnitudine*, & *copia* unice dependere. Convenit nempe, *rarum* fieri corpus, quod *densum* est, quatenus dilatantur pori, qui per illius substantiam disseminati sunt, vel numero augentur; contra vero, quod *rarum* est, *densum* evadere ob id præcise, quod constringantur illorum *pori*, vel eorum copia minuatur. Id porro ita *primo* ostenditur. Certum est, nullum esse corpus sensibile, quod innumeros porulos non contineat. Tot sane experimentis id deprehensum est, ut nemo jam sit inter Philosophos, qui de corporum *porositate* vel minimum dubitet. Perspicuum est autem, augeri volumen corporis, quin augeatur illius materia, hoc ipso dumtaxat, quod vel dilatentur, quos illud jam habet poros, vel novos acquirat; contra vero illius volumen decrescere, quin ejusdem materia minuatur, hoc ipso tantum quod ejus pori constringantur, vel numero pauciores evadant. Ergo, cum corpus rarescat, quatenus, eadem manente illius materia, ejus volumen augetur; & vicissim illud densum fiat, quatenus, non imminuta illius materia, ejus volumen decrescit, relinquitur, corporis *rarefactionem* satis apte ex eo derivari, quod illius pori dilatentur, vel crescat eorum numerus; ex eo vero *condensationem*, quod ipsius pori constringantur, eorumve numerus minuatur.

Constat 2. corpora *frigore* densari, & *calore* rarefieri. Non aliud autem in corporibus, *frigoris* actione, contingit, nisi partium constrictio, fortis earum mutua adhæsio, & ipsarum quies; non aliud vero, vi, & energia *caloris*, nisi illarum expansio, dissolutio, & motus (§§. 72., 73., *96.*, *97.*). Ergo sola pororum constrictione *densatio*; sola eorundem dilatatione *rarefactio* efficitur.

Constat *postremo*, vi solius compressionis *densum* plerumque fieri, quod

(a) Ibidem in *prob.* assert. *6. pag.* 260. (b) Ibidem.

quod *rarum* est. Fit autem per compressionem, ut ad se mutuo accedant partes corporis, quæ antea erant disjunctæ; ac proinde ut numero, & magnitudine minuantur pori, qui sunt per illius substantiam dispersi. Ergo per solam pororum constrictionem, eorumque imminutionem corpus, quod *rarum* est, *densum* efficitur. Hinc Gassendus, *quemadmodum*, inquit, *vellus manu diducentes, atque comprimentes, concipimus lanam rarescere, & addensari; ac raritatem fieri, cum prius unitiores, aut viciniores distrahuntur a se invicem, locaque intercipiuntur plura, aut ampliora, in quibus lanæ nihil sit; densitatem vero, cum pili prius distantiores magis ad se mutuo accedunt, locaque pauciora, minorave intercipiuntur; ita penitus concipere licet eandem materiam nunc rarescere in aerem, nunc condensari in aquam, scilicet cum loco pilorum concipere liceat quantalascunque, & qualeiscunque volueris parteis materiæ, quæ dissocientur, aut adunentur. Idem vero concipere licet in spongia, & similibus, quæ sunt diductionis, & compressionis, ob solam loculorum interceptorum contractionem, & explicationem, capacia* (a).

Hisce rationibus adiicienda est auctoritas plurium veterum Philosophorum, ut inde scilicet pateat, Scholasticos, si qui sint, quibus non arrideat, quam modo tradidimus, *rarefactionis*, & *condensationis* explicatio, non Recentioribus tantum, sed etiam suæ Scholæ Magistris aperte adversari. Primus ergo occurrit Aristoteles. Ait namque, *densum quippiam esse, eo quod partes ipsius sibi ipsis propinquæ sint; rarum vero, eo quod distent a se invicem* (b). Aristoteli adstipulati sunt Ammonius, Porphyrius, & Boetius. *Est enim densum*, inquit Ammonius, *cujus prope invicem sunt partes positæ adeo, ut corpus admittere diversi generis nequeant. Rarum, quod diductas habet partes, ut recipere alterius generis corpus valeat* (c). Porphyrius vero ait, *rarum* dici, *cujus partes ita inter se dissident, ut diversi generis corpus inter eas permeare possit, ut spongia. Densum autem, cujus partes inter se sitæ sunt ita, ut nullum aliud diversi generis corpus intercedere queat, ut aurum* (d). Boetius demum, *quod*, inquit, *dicimus* rarum, *positio quædam partium est, non qualitas. Nam quia ita partes a se separatæ distant, ut inter eas alieni generis corpus possit admitti, ideo* rarum *vocatur, ut spongiæ, pumicesque, quoniam in eorum cavernis surculus, vel aliud aliquid immitti potest, ita ut inter rimas partium sit, idcirco* rarum *dicitur. Porro autem* spissum, *quoniam ita sibi partes vicinæ sunt, atque ad se invicem strictæ, ut inter eas nullum corpus*

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 2.
(b) De *prædicam.* cap. *de quali.*
(c) Comment. ibidem.
(d) Comment. ibidem.

pus possit incidere; atque ideo spissum *vocatur, ut est ferrum, & adamas. Positio ergo quædam partium his inest, non qualitas* (a).

Hæc cum ita sint, mirandum sane, non deesse inter Scholasticos, quibus sententia, quam modo demonstravimus, de natura *rari*, & *densi*, tametsi ab Aristotele, atque adeo ab eo aperte tradita, qui, ipsos si audiamus,

sapit solus, reliqui umbrarum instar oberrant (b),

non penitus placeat, imo plane displiceat. Certe Cl. P. Ferrari, licet fateatur, *admittendam esse* raritatem, & densitatem, *etiam ut docent Recentiores, per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, aut aliorum substantialium corpusculorum,* propterea quia, inquit, *id sane plurima ostendant experimenta* (c); contendit tamen, *in Physicis admitti posse genus illud* raritatis, & densitatis, *quæ non aliud præ se ferant, nisi majorem, vel minorem localem extensionem* (d), minime considerans Vir Cl., tunc vel nullas esse rationes, quibus posteriorem sententiam probat, vel si quid illæ evincant, sententiam priorem corruere; sibique proinde, utpote qui illam, tamquam experimentis consonam, ipse etiam admittendam censet, tunc minime consentire. Id porro ut pateat, rationes singulatim expendemus, quibus suaderi ab se putat Cl. Auctor, *admitti posse genus illud raritatis, & densitatis, quæ non aliud præ se ferant, nisi majorem, vel minorem localem extensionem,* suis ipsis verbis expressas.

Prima: *mobile, quod intra unius horæ spatium quingentos, verbi gratia, passus acquirit, idem si duplo velocius moveatur, acquiret passus mille. Ergo idem mobile per tarditatem quingentis, per velocitatem millenis partibus correspondet intra eandem horam. Igitur a simili affirmare possumus idem contingere corpori, ut per* raritatem *majori, per* densitatem *minori spatio respondeat, & coæquetur; & quidem absque interjectione corpusculorum, quemadmodum in tarditate nec morulæ, nec interjectum quidpiam habetur. Quare sicuti sine istis intelligitur mobilis intra idem tempus coæquatio successiva nunc majori, nunc minori spatio, ita sine illis possumus intelligere simultaneam coæquationem corporis cum majori, aut minori loco per eandem entitatem, sed per extensionem diversam.*

Verum plura sunt, in quibus hæc prima ratio peccat. Primum est, quia principium, cui illa innititur, æque, vel etiam magis nos latet,

(a) Comment. in *eundem locum*.
(b) Homerus *Odyss.* X.
(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 5. *assert.* 2. *pag.* 246.
(d) Ibidem *assert.* 3.

latet, quam sit illud, quod per eam demonstratur. Quis enim ignorat, magis nos latere, in quonam *velocitas*, & *tarditas* motus *formaliter* posita sit, quam per quid *formaliter* corpus densetur, & rarescat? Testem appello ipsum Virum Cl. Differens quippe de *velocitate*, & *tarditate* motus, aperte fatetur (a), vix definiri posse, quid illæ præ se ferant; imo, cum eorum sententiam oppugnet, qui *velocitatem*, & *tarditatem* motus ex *morularum* interpositione derivant, nihilque præterea addat, quod ad hasce motus affectiones explicandas pertineat, sentire & ipse videtur, eas explicari nullatenus a nobis posse; contra vero, loquens de *raritate*, & *densitate*, ait, exponi eas posse, quemadmodum *docent Recentiores*, scilicet *per ingressum, aut egressum substantialium corpusculorum*.

Peccat *secundo*; quia, si nihil vacuitatis interiicitur inter partes *densi* corporis, dum rarefit, quemadmodum *nec morulæ, nec interjectum quidpiam*, ut ille ait, *habetur* in motu tardo, *dicere profecto licet*, ut recte argumentatur Gassendus, *tot omnino esse, & non plures, neque pauciores complentis aquæ particulas, quam sint particulæ spatii, quod completur. Nam* (pergit ille) *ut totum spatium completur, occupaturve a tota aqua, ita dimidium a dimidia, quadrans a quadrante, pars centesima a centesima, millesima a millesima, atque ita de ceteris; adeo ut ex tota aquæ mole, seu materia nulla omnino sit, quæ in aliqua spatii parte non sit, & nulla vicissim spatii pars sit, in qua non sit pars aliqua aquæ. Nimirum, si esset particula aquæ sine spatii particula, esset corpus sine loco, vel se penetraret cum particula alia, spatii partem vendicante; sicque duo forent in eodem loco corpora: quod per naturam fieri repugnat; & si esset particula spatii sine aquæ particula, illa pars spatii esset inanis, quod qui adversantur, non dabunt; idipsum est enim, quod negant. Est ergo ea commensuratio inter aquam, & spatium, ut sit æqualitas omnimoda partium. Esto deinde illud vas non amplius aqua, sed aere plenum; si nullum omnino interceptum est inane spatiolum, sequetur rursus, totidem, & neque plures, neque pauciores aeris particulas esse, quam sint spatii particulæ; quippe ratiocinium perinde procedit, ac pari modo concludetur, eam esse commensurationem inter spatium, & aerem, ut sit omnimoda æqualitas partium. Ecquid exinde sequitur? Nempe ut partes aeris sint æquales partibus aquæ; cum utræque sint numero æquales spatii partibus, & vulgatissimum sit effatum*, ea esse æqualia inter se, quæ uni tertio sunt æqualia. *Quid rursus? Nempe tantumdem esse materiæ, corporisque in aere, quantum est in aqua; quoniam, divisione materiæ, corporisve, utriusque facta in particulas, utræque coæquantur particulis spa-*

(a) Tom.II.P.I.*Physicæ* Disp.IX.q.2. *pag.* 353.

spatii; neque potest dici, ullam esse spatii partem, in qua non sit aliqua particula materiæ, corporisve aquæ, & aliqua materiæ, corporisve aeris, neque vicissim ullam esse particulam materiæ, corporisve aquæ, ullam materiæ, corporisve aeris, quæ non sit in aliqua particula ejusdem spatii. Quid tum postea? Fac jam, aquam illam sic rarescere, ut aer ex illa productus occupare possit vas, cujus capacitas sit, nisi centum, saltem decem pedum. Si in illo vase nullum intercipiatur inane spatiolum, sequetur pari, quo ante, modo æqualitatem omnimodam esse partium spatii, & aeris, & in hoc porro aere non sunt plures partes materiæ, corporisve, quam essent in aqua. Itaque, cum partes spatii tam pedalis, quam decempedalis coæquentur ejusdem materiæ, corporisve partibus, sequetur, spatium unius pedis æquale esse spatio decempedum, hoc est, partem toti, seu quantitatem minorem majori, quod sane perabsurdum est. Fac etiam, aerem in vase pedali contentum ita condensari, ut occupare posit solum vas, cujus capacitas sit digiti unius; efficietur pari ratione, spatium pedale coæquari spatio digitali, hoc est, totum parti, sive quantitatem majorem minori, quod rursus perabsurdum est. Deinde sequetur, tantumdem esse materiæ aquæ in digito uno, quantum in pede integro. Et fac præterea vas pedale repleri plumbo, aut hydrargyro; efficietur omnino non amplius esse materiæ, corporisve in plumbo, aut hydrargyro, quam in aere; cum partes materiæ, corporisve tam plumbi, aut hydrargyri, quam ipsius aeris eisdem omnino spatii partibus coæquentur. Quid vero exinde consequitur? nimirum, ut aer tam sit densus, quam plumbum, quam hydrargyrus, quam quidlibet aliud: & aqua, plumbum, hydrargyrus, quidlibet aliud tam sit rarum, quam ipse aer: ac uno verbo, ut omnia omnino, quæ in Mundo sunt, sint æque rara, aut æque densa; sicque nihil rarum densescere, nihil densum rarescere posit; quæ quidem, aliaque id genus nisi absurda sunt, quæso, quid esse absurdum valeat (a).

Peccat demum memorata ratio ex capite superfluitatis. Cum enim natura compendio studeat, sive non efficiat modis pluribus, ipsisque dissimilibus, quod uno præstare potest, negandum absolute est, rarescere, & densari corpora *per ingressum, & egressum subtilis ætheris, aut aliorum substantialium corpusculorum*, si *genus illud raritatis, & densitatis, quæ non aliud præ se ferant, nisi majorem, vel minorem localem extensionem*, admittatur. Certum est præterea, concedi non posse hoc alterum genus *raritatis*, & *densitatis*, nisi quandoque in natura contingat, ut corpora neque rarescant per dilatationem *pororum*, sive per ingressum *subtilis materiæ*, neque per *pororum* con-

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. VI. cap. 2.

constrictionem, seu per *subtilis substantiæ* egressum ipsa densentur. Sicuti enim P. Ferrari eam ob causam censet, *admittendam esse raritatem, & densitatem, ut docent Recentiores, per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, vel aliorum substantialium corpusculorum*, quia *id sane plurima ostendunt experimenta*; ita non dubito, ipsum quoque daturum Recentioribus, admitti non debere *genus illud raritatis, & densitatis*, quod ipse cum Peripateticis admitti posse contendit, nimirum *quæ non aliud præ se ferant, nisi majorem, vel minorem localem exsensionem*, nisi aliqua saltem experimenta alterum hoc *raritatis*, & *densitatis* genus admittendum esse demonstrent. Nullum autem afferri experimentum potest, quo, dari genus hoc *raritatis*, & *densitatis*, ostendatur. Nullum certe hujusmodi affert, imo ne memorat quidem P. Ferrari. Ergo illud genus *raritatis*, & *densitatis*, *quæ*, ut ipse ait, *non aliud præ se ferant, nisi majorem, vel minorem localem extensionem*, non est admittendum.

Ratio secunda: *definitiones*, inquit Vir Cl., rari, *&* densi, *proprio ac rigoroso sensu acceptæ, non videntur subsistere, nisi* raritas, *&* densitas *solam præ se ferant majorem, aut minorem localem extensionem. Ubi enim intelligitur ingressus, & egressus subtilis ætheris, non jam* rarum *haberet parum materiæ sub magna dimensione, nec* densum *haberet multum materiæ sub parva dimensione; sed & in* raro *multum extaret materiæ, & in* denso *parum. At vero* parum, *&* multum *in illis definitionibus non sunt adjuncta extensionis, sed entitatis, quæ parva, & magna dicitur in priori ad dimensiones, quatenus ad ipsas comparatur. Sic dum materia extensa palmariter evadit semipalmaris, dicitur magna respectu hujus novæ extensionis, quia capax est extensionis majoris, quam prius habuit; dum vero fit ex semipalmari palmaris, dicitur parva respectu novæ extensionis, quia capax est iterum illius minoris. Semper tamen eadem & una est.*

Sed contra *primo*. Nam falsum est, definitiones *rari*, & *densi* non subsistere, si *rarum* dicatur, quod multos, vel satis amplos habet poros; *densum* vero, quod paucos, vel valde constrictos poros, ceteris paribus, comprehendit. Cum enim hoc ipso, quod corpus *multos*, vel *satis amplos* habeat *poros*, parum materiæ sub magna dimensione contineat, & quod *valde constrictos poros* habet, multum materiæ sub parva dimensione, ut est perspicuum, complectatur, manifeste sequitur, vel perperam etiam ab Aristotele definiri *rarum*, quod *habet parum materiæ sub magnis dimensionibus, densum vero, quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*; vel definitiones *rari*, & *densi*, proprio, & rigoroso sensu acceptas, etiam in hypothesi Recentiorum egregie subsistere.

Neque officit, quod additur in argumento, *ubi* scilicet *intelligitur ingressus, & egressus subtilis ætheris, non jam* rarum *habere parum materiæ sub magna dimensione, nec* densum *habere multum materiæ sub parva dimensione; sed & in* raro *multum extare materiæ, & in* denso *parum*. Cum enim subtilis illa substantia, quæ in *rarefactione* dicitur corporis poros ingredi, & ex illis vicissim in *condensatione* erumpere, ad ipsum corpus *essentialiter* non pertineat, sed sit illi omnino extranea; falsum est, admissa Recentiorum hypothesi, in *raro multum extare materiæ, & parum in denso*. Illius quippe *essentialis*, ut ita dicam, materia prorsus eadem est in utroque statu, *raritatis* scilicet, & *densitatis*, neque tamen eædem in utroque statu sunt ipsius corporis dimensiones. Quando autem dicitur, in *raro* parum haberi materiæ, multum in *denso*, id non de quacunque materia intelligendum est, sed de illa tantum, ex qua corpus *essentialiter* coalescit.

Quod si hæc materiæ distinctio non arrideat Viro Cl., contendatque necessario requiri ad *raritatem*, ut *absolute* habeatur parum materiæ sub magnis dimensionibus; ad *densitatem* vero, ut vicissim multum materiæ sub parvis dimensionibus comprehendatur, dicent Recentiores cum Gassendo, *inanis interceptionem, prout multa, paucave est, corpus facere aut rarum, aut densum* (a). Negat quidem Vir Cl., *raritatem haberi beneficio vacui, & densitatem fieri per spatiolorum inanium constrictionem* (b). At vero, dum id probare nititur, manifeste sibi contradicit. Ait enim, *experientiam docere, omnes aquæ effervescentis partes esse calidas, & raras*, & ideo *in aqua effervescente non extare inania illa spatiola* (c). Sed cum alibi dicat, *calorem semper, vel fere semper cum substantiali calidorum corpusculorum effluvio conjungi* (d); & hoc eodem loco aperte tradat, *admittendam esse* raritatem, *&* densitatem *per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, aut aliorum substantialium corpusculorum*, fateaturque, *in aqua calida, & ebulliente multum aeris admisceri*, & ideo *raram* ipsam evadere (e); dare necessario debet, non omnes effervescentis aquæ partes esse *calidas*; sed eas tantum, quibus plura *caloris* corpuscula admixta sunt (f); neque omnes partes ejusdem aquæ esse *raras*, sed illas dumtaxat, quibus plura ætheris, vel aeris, alteriusve extraneæ materiæ corpuscula interiiciuntur. Addit præterea, *raritatem, & densitatem* in corpore *correspondere velocitati motus, adeo ut motus velox dicatur, aut tardus,* quem-

(a) Sect. I. *Physicæ* lib. IV. cap. 2.
(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 5. *assert.* 1. *pag.* 245.
(c) Ibidem.
(d) Ibidem q. 3. *pag.* 231.
(e) Ibidem q. 5. assert. 2. *pag.* 246.
(f) Vide, quæ diximus §. 72.

quemadmodum corpus dicitur densum, aut rarum. Unde infert Cl. Auctor, ficuti *in motus velocitate non intervenit ulla morula, quæ vacuolis correspondeat*, ita *in corporis raritate spatiola inania non intervenire* (a). Verum, si hæc ratio legitima est, recteque concludit, dare debet P. Ferrari, quod docet paulo post, videlicet *admittendam esse raritatem, & densitatem per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, aut aliorum substantialium corpusculorum* (b). Ita enim argumentum conficio; corpus dicitur *rarum*, vel *densum*, sicuti motus dicitur *velox*, aut *tardus*. In motus autem *velocitate* non intervenit ulla morula. Ergo neque in *raritate* corporis intervenire possunt poruli, sive extraneæ alicujus substantiæ corpuscula. Itaque vel nulla prorsus illa ratio est, vel etiam suum Auctorem cogit, ut sententiam mutet.

Contra 2. Quia, *si definitiones* rari, & densi, *proprio ac rigoroso sensu acceptæ, non videntur subsistere, nisi* raritas, & densitas *solam*, ut ait P. Ferrari, *præ se ferant majorem, aut minorem localem extensionem* in sensu Scholastico, falso ille deinde docuit, *admittendam esse* raritatem, & densitatem *per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, aut aliorum substantialium corpusculorum.* Quippe, ut illius verbis utar, *ubi intelligitur ingressus, & egressus subtilis ætheris, non jam* rarum *haberet parum materiæ sub magna dimensione, nec* densum *haberet multum materiæ sub parva dimensione; sed & in* raro *multum extaret materiæ, & in* denso *parum.* Male quoque dixisset Aristoteles, *densum* esse corpus, *eo quod partes sibi ipsæ propinquæ sint; rarum, eo quod distent a se invicem;* cum, hoc modo explicata natura *rari*, & *densi*, non stet, vere proprieque loquendo, *rarum* esse *illud, quod habet parum materiæ sub magnis dimensiooibus; densum vero, quod habet multum materiæ sub parvis dimensionibus*, quemadmodum utramque hanc corporum affectionem ipse definit.

Tertia Viri Cl. ratio est; quia, inquit, *extant in Physicis corpora per se, & ex sui natura densiora, sicut & corpora quædam rariora. Et certe rarissimum elementum ignis est, densissimum terra. Semper enim ignis se explicat, & terra se contrahit. Quod autem semper fit, natura fit. Rursus corpora rariora eadem perfectiora sunt. Accedunt enim magis ad ignem simplicium corporum perfectissimum. Nunc*, inquit, *sic ratiocinamur. Si corpora essent rara vel propter vacuola, vel per immissionem corpusculorum, jam corpus rarum deberet intra se, tamquam naturæ suæ partem, admittere vel multum de non ente, sive vacuo, vel multum de alieno ente, sive substantialibus illis corpusculis. Hoc absurdum est. Ergo admittenda est raritas in sola majori locali extensione con-*

(a) Loco citato *pag.* 245. (b) Ibidem *pag.* 246.

consistens. Major probatur. Quod per se est rarum, per se quoque est omne illud, a quo in ratione rari constituitur. Atqui corpus rarum constitueretur tale per vacuola, aut corpuscula illa. Ergo corpus rarum esset per se vel vacuola, vel corpuscula illa. Atque adeo inde colligeretur, substantiam unam esse alterius substantiæ proprietatem, aut non ens esse proprietatem entis. Ignis etiam esset ex sui natura densissimum corpus; quia ex sui natura exposceret corpuscula illa, per quæ densissimum redditur. Quæ omnia falsa sunt, & absurda. Igitur &c.

At vero non minus, quam reliquæ, hæc etiam ratio peccat. *Primo* siquidem potest illa in suum Auctorem ita retorqueri. Absurdum est, ejus judicio, corpus fieri *rarum* propter *vacuola*, vel per *immissionem corpusculorum*, idcirco quia *corpus rarum deberet intra se, tamquam naturæ suæ partem, admittere vel multum de non ente, sive vacuo, vel multum de alieno ente, sive substantialibus illis corpusculis*. Ergo absurdum est etiam, illud *rarum* evadere, amittendo extensionem, quam habet, ipsamque in majorem commutando. Quippe etiam tunc, ut est perspicuum, *rarum* fieret corpus, quatenus multum de *alieno ente*, scilicet de *quantitate*, intra se, tamquam naturæ suæ partem, admitteret. Posita autem Cl. Adversarii opinione, *corpus palmariter extensum* evadit *modo bipalmare*, dum nempe rarefit, *modo semipalmare*, scilicet dum condensatur, *non retinendo palmarem extensionem, sed eam amittendo, commutandoque in majorem, minoremve* (a). Ergo, Cl. Viri sententia admissa, illud ipsum absutdum sequitur, quod sequitur, ut ipse putat, posita sententia Recentiorum.

Secundo: cum ait Vir Cl., *extare in Physicis corpora* per se, *&* ex sui natura *densiora, sicut & corpora quædam rariora*, vel ita intelligit ly *per se*, & ly *ex sui natura*, ut velit, *raritatem*, & *densitatem* spectare ad essentiam corporis, perinde prorsus atque ad illud attinet *forma substantialis*; vel ly *per se*, & ly *ex sui natura* hoc sensu ipse non sumit. Si primum: non est, cur pluribus ostendam, illum vehementer falli; cum nemo sit, qui ignoret, *raritatem*, & *densitatem* ad essentiam corporis nullatenus pertinere, sive *essentialiter* non mutari corpus, dum densatur, vel rarescit. Sin altrum: parcat Cl. Auctor, si dixero, ipsum terminis abuti, & nihil prorsus sua ratiocinatione concludere. Abutitur terminis; cum id omne ad rei essentiam spectare vulgo intelligatur, quod dicitur *per se*, & *ex sui natura* ad rem ipsam pertinere. Et sane, ex præmisso principio de existen-

(a) Loco citato in *responsione* ad objectionem *pag.* 248.

ſtentia corporum, quæ *per ſe*, & *ex ſui natura* denſiora ſint, vel rariora, infert Auctor ipſe Cl., fore, ut corpus *rarum* admittat intra ſe, *tamquam naturæ ſuæ partem*, vel multum de *non ente*, vel multum de *ente alieno*, ſi eſſet *rarum* vel *propter vacuola*, vel per *immiſſionem corpuſculorum*. Ergo eſſe rarum, vel denſum *per ſe*, & *ex ſui natura*, perinde eſt omnino, ac *raritatem*, & *denſitatem* ſpectare ad eſſentiam corporis; cum niſi ad illud pertineant hoc modo, verum eſſe nequeat, corpus admittere intra ſe, *tamquam naturæ ſuæ partem*, id, per quod *rarum*, vel *denſum* efficitur. Nihil quoque ratiocinatione ſua ipſe concludit. Falſum eſt enim, *ſi corpora eſſent rara vel propter vacuola, vel per immiſſionem corpuſculorum, jam corpus rarum debere intra ſe, tamquam naturæ ſuæ partem, admittere vel multum de non ente, ſive vacuo, vel multum de alieno ente, ſive ſubſtantialibus illis corpuſculis*. Quippe, cum *raritas*, & *denſitas* non ſint niſi *accidentales* corporum *affectiones*, id ſpectare nequit ad corpus, *tamquam naturæ ſuæ pars*, per quod denſatur, vel rareſcit. Ad illius autem probationem quod attinet, dico, verum quidem eſſe, id, *quod per ſe eſt rarum*, per ſe *quoque eſſe omne illud*, *a quo in ratione rari conſtituitur*; ſimul tamen dico, neque *rarum*, neque *denſum* eſſe tale *per ſe*, & *ex ſui natura*, ſed *contingenter* omnino, ac prorſus *per accidens*; atque hinc non eſſe abſurdum, ut corpus ſit *rarum* vel propter vacuola intercepta, vel per immiſſionem corpuſculorum, a quibus illius pori dilatentur; quemadmodum nihil abſurdi in eo eſt, ut per intercepta vacuola corpus ſit *poroſum*. Eodem ſiquidem modo, quo corpus eſt *poroſum*, eſt etiam *rarum*, & *denſum*; cum, ſicuti *poroſitas*, ita *raritas*, & *denſitas* a partium poſitione, ſive ſitu unice dependeant. Optarem propterea, attente conſideret P. Ferrari, num ratio, qua contra Recentiores oſtendere nititur, corpus non poſſe eſſe *rarum* per intercepta ſpatiola, neque per immiſſionem extraneorum corpuſculorum, uſui eadem ipſa nonnemini eſſe poſſit ad probandum, nullum eſſe, nec dari poſſe corpus *poroſum*; atque hinc quomodo illam ipſe dilueret, ſi ei, dum corpus *poroſum* admittit, ab aliquo obiiceretur. Minime demum fore, quemadmodum dicitur in argumento, ut ignis ſit corpus denſiſſimum, ſi per ſubtilium corpuſculorum ingreſſum corpora rareſcerent, ex dictis ſatis eſt manifeſtum.

Tandem adeo probat hæc tertia ratio, ut niſi ab ipſomet etiam P. Ferrari ſolvatur, Vir Cl. ſibi nequaquam conſentiat. Si enim, ut ille ait, falſum eſt, ſi abſurdum, *corpora eſſe rara per immiſſionem corpuſculorum*, admitti ab ipſo non poſſunt *raritas*, & *denſitas*, quæ fiant per ingreſſum, & egreſſum corpuſculorum, niſi quod, ſuo judicio,

dicio, falsum & absurdum est, ipse quoque admittat. Docet, autem, *admittendam esse* raritatem, *&* densitatem, *etiam ut docent Recentiores, per ingressum, aut egressum subtilis ætheris, vel aeris, aut aliorum substantialium corpusculorum*. Ergo admittit uno loco (a), quod alio loco (b) ipse absurdum & falsum censet. Videat igitur P. Ferrari, quo etiam hoc loco ipsum impulerit nimia contradicendi libido.

X I I.

102. Satis itaque, nisi mea me fallat opinio, demonstratum manet, *sensibiles* corporum *qualitates ex mechanicis* materiæ *affectionibus* provenire. Restat modo videamus, an hæc opinio ab iis dissentiat, quæ circa venerabile Eucharistiæ sacramentum docet Ecclesia, & veteres Patres tradidere. Si quid enim vel minimum, ea posita opinione, in fide claudicet, nulla prorsus opinio ipsa est, quantacunque sit vis rationum, quibus demonstratur. Ut enim sapienter more suo observat Cl. Ludovicus Muratorius, *cum sacris literis, cum fide, ac revelatione divina perpetuo & necessario conjuncta est veritas. Aliquid revelante ac tradente Deo omniscio & veracissimo, illic errorem, aut mendacium excogitare, omnium perniciosissimum delirium est. Contra cum ratione humana, cum Philosophia, cum historia profana, aliisque artibus necessario veritas non habitat, & sæpe error locum habet. Igitur falsum sit, necesse est, quod a perspicua fidei eruditione dissentit. Neque enim alia esse potest Theologorum veritas, alia Philosophorum; alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi, sicuti æquum est, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat* (c). Nolim tamen arbitrentur rigidiores Scholastici, mechanicum Recentiorum systema censendum esse fidei dissonum, dignumque propterea, quod a Viro catholico rejiciatur, idcirco quia vel non consentiat cum doctrina S. Thomæ, aut Scoti, vel dissentire a fide, ipsis videatur. *Nec enim si quid aut Scoticis, aut Thomisticis pronunciatis contrarium est, error illico est*, inquit doctissimus Melchior Canus (d); neque satis esse puto *ad sententiam de hæresi rite justeque ferendam, hæresim ipsam suspicione attigisse*; *sed comprehensione quadam*, cum eodem Viro Cl., *opus esse*, arbitror, *ut sine errore de erroribus judicemus* (e): *quo loco sane*, ut ille antea scripserat, *arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex* opi-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 5. *pag*. 246.
(b) Ibidem *pag*. 247.
(c) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 21.
(d) Lib. VIII. *de locis Theol*. cap. 4. ad cap. 21.
(d) Ibidem lib. XII. cap. 8. *prope finem*.
(e) Ibidem lib. VIII. cap. 4. *ad concl*. 1.

opinionum, quas in Schola acceperunt, præjudiciis Viros catholicos notis gravioribus inurunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur (a). Inquiram igitur accuratius, quo fieri a me poteſt, an, rejectis *abſolutis* Scholæ *accidentibus*, & ex *mechanicis affectionibus* materiæ deſumta origine *ſenſibilium qualitatum*, ſarta tectaque ſint omnia, quæ circa venerabile Euchariſtiæ ſacramentum nobis credenda proponit Eccleſia, docuerunt Patres, & Concilia definiere. Candide in medium afferam, quæ tum ex Conciliis, tum ex Patribus deſumi poſſunt & ſolent contra Recentiores momenta præcipua, ſubjciamque ſingulis, quidnam de illorum valore in re, de qua agimus, mihi ſentiendum videatur. Ut enim præclare monet Tullius, *ne temere, vel falſæ rei, vel non ſatis cognitæ aſſentiamur, faciendum videtur, ut diligenter etiam atque etiam argumenta cum argumentis comparemus..... Nam cum omnibus in rebus temeritas in aſſentiendo, errorque turpis eſt, tum in eo loco maxime, in quo judicandum eſt, quantum rebus divinis, religionique tribuamus. Eſt enim periculum, ne aut, neglectis iis, impia fraude, aut ſuſceptis, anili ſuperſtitione obligemur* (b). Itaque

DOGMA I.

103. In venerabili Euchariſtiæ ſacramento exiſtunt *vere*, *realiter*, & *ſubſtantialiter* corpus, & ſanguis Chriſti. Ita Concilia, Lateranenſe ſub Innocentio III. *cap.* 1., Conſtantienſe *ſeſſ.* VIII., Florentinum in decreto *unionis*, & Tridentinum *ſeſſ.* XIII. *cap.* 1., & *can.* 1. contra Berengarium, Carloſtadium, Zuinglium, Oecolampadium, Bucerum, Calvinum, alioſque ejuſdem furfuris novatores impios, non minus falſo, quam inique dogmatizantes, tantum ut in *ſigno*, vel *figura*, aut *virtute* Chriſtum Dominum in Euchariſtia contineri.

PRO-

(a) Ibidem lib. VIII. cap. 4. ad *Concl.* 1.
(b) Lib. I. *de divinatione* cap. 4.

PROPOSITIO VII.

Realis præsentia Christi Domini in venerabili Eucharistiæ sacramento non exigit, ut qualitates sensibiles panis, & vini sint accidentia absoluta in sensu Scholastico.

104. Hæc propositio probatione non indiget. Cum enim certa prorsus atque perspicua res sit, Christum Dominus opus non habere aliquo *accidente absoluto*, ut *vere*, *realiter*, & *substantialiter* eo sit in loco, qui a substantia panis, & vini ante consecrationem occupabatur, (neque enim *species*, inquit Doctor Subtilis (a), *sunt ratio formalis corpori essendi hic; quia non sunt formaliter in corpore Christi, nec per eas aliquid formaliter inest corpori Christi)*, manifeste sequitur, perinde omnino esse ad *realem* Christi Domini *præsentiam* in Eucharistia stabiliendam, propugnandamque, sive *sensibiles qualitates* panis, & vini dicantur *accidentia absoluta*, ut contendunt Scholastici, sive ex *mechanicis* materiæ *affectionibus*, quemadmodum Recentioribus placet, repetantur. Sane, cum nullus Scholasticorum, quem viderim, Recentiorum hypothesim ex hoc capite oppugnaverit, quamvis iidem ipsi nullum non moveant lapidem, ut illam criminentur, dici non immerito potest, nihil prorsus, ipsorummet etiam Scholasticorum judicio, colligi jure hinc posse, quod mechanicæ *sensibilium qualitatum* origini vere officiat.

DOGMA II.

105. Vi consecrationis fit realis conversio totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem Christi, quam conversionem, mirabilem prorsus, ac singularem, Ecclesia Catholica *transsubstantiationem* aptissime appellat. Ita Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, & Tridentinum *sess.* XIII. *cap.* 4. *de Eucharistia*. Hoc enim, Tridentinum scilicet, contra Lutherum ejusque asseclas, inique docentes, panis, & vini substantiam post consecrationem remanere, & una simul cum corpore, & sanguine Christi in Eucharistia existere, eo loci aperte definit, *per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus* & hanc conversionem *convenienter*, & *proprie a sancta* Ca-

(a) Super IV. *sententiarum* Distin. X. q. 3.

Catholica Ecclesia transsubstantiationem *esse appellatam* : quod etiam repetit *can.* 2., anathema in eum dicens, qui dixerit, *in sacrosancto Eucharistiæ sacramento remanere substantiam panis, & vini, una cum corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi; negaveritque mirabilem illam, & singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis, & vini, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissime* transsubstantiationem *appellat*. Itaque, ut sarta tectaque sint dogmata fidei, duo demonstranda sunt a Recentioribus. Primum est, *absoluta* Scholasticorum *accidentia* non requiri, ut tota substantia panis in corpus, & tota substantia vini in sanguinem Christi, vi consecrationis, convertatur. Alterum vero, opus non esse iisdem *accidentibus*, ut sacratissimum Christi corpus sub *speciebus* panis, ejusque sanguis sub *speciebus* vini in hoc sacramento existat. Quod igitur attinet ad primum, sit

PROPOSITIO VIII.

Stare optime potest transsubstantiatio, licet qualitates sensibiles panis, & vini non sint accidentia absoluta in sensu Scholastico.

106. *Probatur*. Ex doctissimo Cardinali Bellarmino quatuor ad veram *conversionem* requiruntur. Primum est, inquit ille, *ut aliquid desinat esse; non enim est intelligibile, ut unum convertatur in aliud, nisi id, quod convertitur, desinat esse, quod antea erat.* Secundum: *ut aliquid succedat in locum ejus, quod desinit esse; alioqui non esset* conversio, *sed* corruptio, *vel* annihilatio, *si terminus illius actionis esset non esse rei*. Tertium: *ut sit connexio quædam, & dependentia inter desitionem unius, & successionem alterius, itaut unum desinat, ut alterum succedat, & vi desitionis fiat successio. Nam si ista non essent connexa, non esset una actio, quæ dici posset* conversio, *sed essent duæ actiones per accidens se concomitantes, quarum una* annihilatio, *altera* creatio *diceretur*. Postremum vero: *ut tam terminus* a quo, *quam terminus* ad quem *sit vere positivus. In hoc enim distinguitur* perfecta conversio *non solum a* creatione, & annihilatione, *sed etiam a* naturali conversione (a), in qua, ut Scholastici ipsi docent, terminus *a quo* est *privatio*. Hac ergo *conversionis* generatim sumtæ notione præmissa, ita ostenditur propositio. *Transsubstantiatio* non requirit, ut *qualitates sensibiles* panis, & vini sint *accidentia absoluta* in sensu Scholastico, si nulla ex conditionibus, in quibus tota *conversionis* ratio posita est, acci-

(a) De sacramento *Eucharistiæ* lib. III. cap. 18

accidentia ipsa necessario postulet, nulla ab illis aliquo modo dependeat. Nulla autem earum conditionum *absoluta accidentia* requirit, nulla ab illis necessario dependet. Facta namque hypothesi, profecto non repugnante, ut habeatur substantia omnibus *accidentibus absolutis* spoliata, potest illa ita in aliam converti, ut primo *tota desinat esse*; secundo, *ut altera in locum ejus succedat*; tertio, *ut sit connexio, & dependentia inter desitionem unius, & successionem alterius*, ita nempe *ut ponatur una, quia desinit altera, & vicissim ut una desinat, quia altera ponitur*; postremo, *ut uterque terminus in ipsa conversione sit vere positivus*. Ergo non est necesse, *qualitates sensibiles* panis, & vini sint *accidentia absoluta*, ut habeatur *transubstantiatio*.

Confirmatur. Nulla *conversio naturalis* ita dependet ab *accidentibus absolutis* Scholasticorum, ut nulla ea sit, si nullum ejuscemodi *accidens* existat. Hoc certe modo ab illis non dependet *generatio substantialis*, neque *alteratio*, quæ *conversionem naturalem* generatim sumtam adæquate dividunt. Non enim prima; cum in eo tantum posita illa sit, ut ex uno corrupto naturali composito alterum *specie* diversum producatur. Neque secunda; cum tam *rarefactio*, quam *condensatio* sit species *alterationis*, quamvis, ut ipsi etiam Scholastici, si non omnes, meliores saltem, ne ipso quidem Aristotele, ut vidimus (§. 101.) excepto, manifeste docent, *raritas*, & *densitas* non sint *accidentia absoluta*. Ergo nulla *conversio naturalis* ab *absolutis accidentibus* necessario dependet. Quamobrem multo minus ab illis dependet *transubstantiatio*, utpote quæ, Tridentino Concilio teste, *mirabilis prorsus sit, & singularis*. Igitur &c.

Satisfit objectionibus.

I.

107. Opponit Cl. P. Ferrari, *conversionem ex sui notione præ se ferre necessario manere aliquid ex iis, quæ prius erant in re illa, quam dicimus converti. Quare, cum in ista conversione, quæ transubstantiatio est, non remaneat materia, ut subsistat conversionis notio, reliquum est, manere accidentia panis; atque hinc colligimus, accidentia illa realia esse, ac prius fuisse in substantia panis, quia non dicitur manere, destructis aliis, nisi id, quod fuit prius* (a).

℟. *primo*, negando, *conversionem ex sui notione præ se ferre necessario, manere aliquid ex iis, quæ prius erant in re illa, quam dicimus* con-

(a) Tom. II. P. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 202.

converti. Id certe non occurrit in notione *conversionis*, quam tradit, ut vidimus, doctissimus Bellarminus; & licet hanc conditionem requiri dicat Cl. P. Suarez (a), non dubito tamen, eam posse, tuta fide, *conversioni* denegari. Concedo equidem, doctrinam esse Concilii Tridentini, substantiam panis, & vini ita converti in corpus, & sanguinem Christi, ut *solæ* panis, & vini *species* maneant. Verum simul contendo, non ideo ex mente Concilii *species* illas manere, quia substantia panis in corpus, & substantia vini in Christi sanguinem convertatur. Hæc enim dumtaxat sive causa, sive ratio illud est, quod modo inficior, quodque a Cl. Adversario probandum erat, non vero, tamquam ex suis terminis notum, principii loco assumendum.

Non me latet, quod ille alio loco tradit, videlicet nisi admittatur, conversionem *ex sua notione formali* postulare, *ut quidpiam permaneat in termino ad quem, quod prius præcessit in termino a quo*, fore, *ut successiva rerum materialium, & spiritualium creatio, ubi ad unius destructionem altera a Deo produceretur, conversio dicenda sit, quod est falsum* (b).

Verum nisi manifesta aliqua ratione ostenderit, *successivam rerum materialium, & spiritualium creationem, ubi ad unius destructionem altera a Deo producatur*, non esse *veram conversionem*, patienter ferat Vir Cl., si id modo inficiar, & perpetuo deinceps sim negaturus. Fortene veræ *conversiones* dicendæ non sunt illæ, in quibus Mosis virga in serpentes (c), uxor Loth in statuam salis (d), & aqua in vinum in cœna Canæ Galileæ mutata est (e)? Quidnam porro aliud tunc fecit Deus, nisi *ad unius destructionem* alias substantias producere? Dicet forte Cl. Adversarius, in hisce *conversionibus* eandem numero materiam sub utroque termino fuisse.

Sed contra; nam id non est plane certum, sed tantum probabile, teste doctissimo Bellarmino (f). Ergo contrarium neque certo falsum est, neque absurdum. Profecto docet Cl. P. Suarez, non esse *de ratione mutationis ut sic* habere *subjectum*, in quo fiat; quia nempe *potest dari conversio, quæ non sit ex subjecto* (g).

Pergit porro Vir Cl., sed non feliciori successu. *Cum*, inquit, *præsens controversia* (de formali ratione conversionis) *maxime pendeat a testimonio Tridentini Concilii, ideo etiam dicimus, conversionis nomen*

(a) Disp. L. in 3. *partem* S. Thomę *sect*. 2.
(b) Tom. II. laudato *pag*. 217. in *respon*. ad 8. *objectionem*.
(c) Exodi *cap*. VII. *v*. 10.
(d) Genesis *cap*. XIX. *v*. 26.
(e) Joannis *cap*. II. *v*. 9.
(f) Lib. III. *de Eucharistia cap*. 18.
(g) Loco laudato.

eo sensu usurpatum fuisse a Patribus Tridentinis. Voces enim Patres illi tenebant juxta communem tunc apud omnes receptam opinionem. Nemo porro ea tempestate conversionem alio sensu usurpavit, nisi quatenus quidpiam praecedens permaneret (a).

Ita ille; sed, iterum dico, non feliciori successu. Falsum namque est, *neminem ea tempestate conversionem* (adeoque etiam *transubstantiationem*) *alio sensu usurpasse, nisi quatenus quidpiam praecedens permaneret*. Non ita neque de natura *conversionis*, ac proinde de natura *transubstantiationis* senserunt Scholæ Magistri, Doctores Angelicus, Seraphicus, & Subtilis. Nullibi enim, quod invenire potuerim, docent illi, necessarium esse ad *conversionem*, remaneat aliquid commune utrique termino, & ideo supersint *accidentia* panis, ut *transubstantiatio* sit vera *conversio*; neque locum ullum affert Cl. Adversarius, in quo aliquid illi tradant, quod ipsi faveat; imo non desunt conjecturæ, ex quibus, contra potius eos sensisse, non obscure colligitur. Quærens namque Angelicus Doctor, *utrum in hoc sacramento maneant accidentia panis, & vini post consecrationem*, affirmative respondet; sed hæc una illi ratio est, quia, inquit, *sensu apparet, facta consecratione, omnia accidentia panis, & vini remanere* (b). Si autem ejus fuisset opinio, ad formalem rationem *conversionis* generatim sumtæ, adeoque etiam *transubstantiationis*, pertinere, ut *quidquam permaneat in termino ad quem, quod praecessit in termino in quo*, eccur S. Doctor non probavit ex hoc capite, panis, vinique *accidentia* post consecrationem in hoc sacramento remanere? Fortene id latuit tantum Virum? Absit omnino. Superest ergo dicamus, illum pro re certa habuisse, non esse de formali *conversionis* ratione, ut aliquid utrique termino commune in illa habeatur; & ideo remanentiam *accidentium* panis, & vini in Eucharistia ex hoc principio minime posse demonstrari. Similiter Doctor Seraphicus quærens (c) *sub quo genere motus, vel mutationum contineatur transubstantiatio*, aperte docet, eam assimilari creationi, propterea quia in illa *nihil commune manet*. Respondens quoque ad argumenta in quibus dicebatur, aliquid etiam in *transubstantiatione* remanendum fore, idcirco quia illa sit *mutatio*, & *in omni specie motus aliquid maneat*, ait, *illud esse verum de mutatione, in qua habent aliquid commune termini; sed hic eos nihil habere*. Sed longe clarius Doctor Subtilis. *Dico* enim, inquit, *quod, proprie loquendo, transubstantiatio non est mutatio, nec circa hoc oportet laborare ad inquirendum genus transubstantiationis*.

Tum

(a) Loco citato *ad objectionem* 8.
(b) P. III. q. 75. *artic.* 5.
(c) Super IV. *Sententiarum* Distin. XI. *Artic.* I. q. 2.

Tum paulo post: *si autem*, ait, *omnino velis extendere* mutationem, *ut dicatur de* transsubstantiatione, *potest dici, quod sicut secundum Philosophum* V. Physicorum *triplex est* mutatio, *scilicet a* non subjecto *in* subjectum, *a* subjecto *in* subjectum, *& a* subjecto *in* non subjectum, *& accipitur ibi* subjectum *pro* ente positivo, *&* non subjectum *pro* privatione *ejus*; *sic potest* versio *extendendo ad mutationem supernaturalem distingui, ut illa, quæ est a* subjecto *in* non subjectum *dicatur* annihilatio; *quæ autem a* non subjecto *in* subjectum, creatio; *quæ vero a* subjecto *in* subjectum, transsubstantiatio. *Sed per hoc quasi nihil habetur de genere remoto* transmutationis, *quod scilicet est genus* versionis, *nisi quod utrumque formaliter est inferius ad relationem quamdam ordinis, sive successionis* (a). Videat ergo Cl. P. Ferrari, quonam jure dixerit, *neminem ea tempestate* (qua nempe Tridentinum Concilium celebratum est) *conversionem alio sensu usurpasse, nisi quatenus quidpiam præcedens permaneret*. Arbitror enim, ipsum minime dicturum, omnes Theologos ab suis Magistris, in quorum verba ferme jurabant, hac super re tunc recessisse.

Sed demus Viro Cl., omnes tunc *conversionem non alio sensu usurpasse, nisi quatenus quidpiam præcedens permanet*. Demus præterea, Tridentinos Patres in explicando Eucharistiæ sacramento tenuisse vocem *conversionis juxta communem tunc apud omnes*, ut ipse ait, *receptam opinionem*. Fortene dicendum ille putat, dogma esse fidei, vel saltem sine nota temeritatis negari non posse, *conversionem ex sua notione formali præ se ferre, ut quidpiam permaneat in termino* ad quem, *quod prius præcessit in termino* a quo? Si affirmative censeat respondendum: ergo doctissimus Card. Bellarminus, aliique etiam Viri præstantissimi, qui contra opinantur, gravem notam effugere non possunt: quod certe de tantis Viris nemo dicere audebit. Si autem negative respondeat: eccur ergo ad sacram Concilii auctoritatem ille nos provocat, ad eamque confugit, quasi actum de fide sit, nisi hæc sua opinio de formali ratione *conversionis* a Recentioribus admittatur? Fatetur ipse, *Concilium Tridentinum abstinuisse ex industria a voce accidentis, ne philosophicam Peripateticorum sententiam expresse definiret tamquam fidei catholicæ dogma* (b). Ergo sese quoque abstinere debuisset a voce *conversionis*, si res illi fuisset comperta, *formalem conversionis rationem* necessario postulare, *ut quidpiam permaneat in termino ad quem, quod præcessit in termino a quo*, ne cui scilicet videretur, vel definire voluisse, tamquam dogma fidei, existentiam *accidenden-*

(a) Super. IV. *Senten.* Distin. XI. q. 1. §. *dico ergo*.

(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 210. in responsione ad 1. *objectionem*.

dentium absolutorum; vel litem *de nomine*, ut ajunt, ipsum voluisse sua auctoritate dirimire. Non abstinuit autem sese a voce *conversionis*, quemadmodum sese abstinuit a voce *accidentis*. Ergo persuasum illi non fuit, *conversionem ex sua notione formali præ se ferre, ut quidpiam permaneat in termino ad quem, quod prius præcessit in termino a quo*.

Ceterum velim demonstret Cl. P. Ferrari, Concilium Tridentinum, non solum adhibuisse vocem conversionis *juxta communem tunc apud omnes receptam opinionem*, nempe prout significat, *quidquam permanere in termino ad quem, quod præcessit in termino a quo*; sed præterea ita vocem hanc illud usurpasse, ut eam sacram fecerit, adeo nimirum ut, ipsam sumere alio sensu, nemini deinceps sine piaculo licitum esse possit. Nec enim, ut vox aliqua sacra dicatur, sufficit, Tridentini, alteriusve Concilii Patres, ipsosque etiam Summos Pontifices eam in condendis fidei decretis adhibuisse. Monente quippe doctissimo Melchiore Cano, *quæ in Conciliorum, vel Pontificum decretis, vel explicandi gratia inducuntur* (ut certe in casu nostro) *vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter, & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catholicæ fidei judicia* (a); sed, eodem teste, *Summorum Pontificum, Conciliorumque doctrina, si toti Ecclesiæ proponatur, si cum obligatione etiam credendi proponatur, tum vero de fidei causa judicium est* (b). Nisi ergo ostenderit Vir Cl., Tridentinos Patres hoc sensu sacram fecisse vocem *conversionis*, sumtam *juxta communem tunc apud omnes receptam opinionem*, fucum facit (absit verbo invidia), dum opinionem suam de formali *conversionis* notione nititur Tridentini Concilii auctoritate stabilire.

℞. *secundo* ad argumentum principale, concedendo, esse quidem de ratione *conversionis* naturalis, *ut maneat aliquid ex iis, quæ prius erant in re illa, quam dicimus converti*; sed negando, id etiam in notione *transubstantiationis* contineri, ad eamque requiri. Neque enim, ab eo, quod naturaliter contingit, licet sine vitio ad id, quod supra omnes naturæ leges a Deo efficitur, argumentari. Testis sit ipsemet P. Ferrari. *Inconsulto*, inquit, *Philosophi plerique demonstrationes mathematicas sic adhibent ad res physicas, quasi in rerum natura extensio ita se haberet, ut a Geometris supponitur*: cujus quidem rei hæc una ipsi ratio est, quia *hoc est transire de genere in genus, ab iis, quæ sunt tantum in ideis nostris, ad rerum naturam* (c). Ergo ii quoque Philoso-

(a) Lib. V. *de locis Theologicis* cap. 5.
(b) Ibidem.
(c) Præfat. in *Physicam* pag. 9.

losophi pari jure agunt inconsulto, qui ex *conversione naturali* ad *supernaturalem* transitum faciunt, sibique licere putant, unam per aliam explicare. Et hi namque, perinde prorsus ac quos ille redarguit, transeunt a genere in genus. Accedit, *transubstantiationem* dici a Concilio Tridentino *conversionem mirabilem prorsus, ac singularem* (a). Igitur, judicio Tridentinorum Patrum, nobis non licet, notionem *transubstantiationis* in *naturalibus conversionibus* quærere. *Nullum enim*, inquit Cl. Tournely, *habet* (transubstantiatio) *in natura exemplum, quia* singularis; *nec ab humana ratione comprehendi potest, quia* mirabilis, *hoc est tota in mysteriis recondita* (b).

℞. *tertio* ad argumentum principale, permittendo, *conversionem* generatim sumtam, & quidem prout etiam *transubstantiationem* sub se continet, postulare, *ut maneat aliquid ex iis, quæ prius erant in re illa, quam dicimus converti*; sed negando, illud commune necessario debere esse *entitatem* aliquam *absolutam*. Docet enim Cl. P. Suarez (c), qui sane inter Scholasticos non ultimus est, sufficere ad *conversionem* generatim sumtam, ut id, in quod aliud convertitur, succedat illi in eodem loco; ac propterea, ut locus dumtaxat, adeoque nihil *reale absolutum*, sit utrique termino communis. Itaque ut etiam *transubstantiatio* habeat veram rationem *conversionis*, satis esse puto, remaneat panis *sensibilitas*, sub qua sacratissimum Christi corpus, in quod panis convertitur, delitescat, undecunque demum *sensibilitas* ipsa derivetur. Nihil ergo pro existentia *accidentium absolutorum* jure conficitur ex notione *conversionis*, quam tradit P. Ferrari, quamque etiam *transubstantiationi* communem esse vult, nisi demonstraverit Vir Cl., vel illud commune utrique *conversionis* termino debere esse *entitatem* aliquam *realem absolutam*, vel panis *sensibilitatem* manere non posse in Eucharistia, nisi *reales* ipsæ panis *qualitates*, non existente illius substantia, in hoc Sacramento supersint. Nunquam autem fore, ut ille primum ostendat, persuasum mihi ex eo est, quod sufficiat ad *conversionem*, quemadmodum diximus ex P. Suarez, ut *locus* dumtaxat sit utrique *conversionis* termino communis. Quod vero attinet ad secundum, animadvertat velim Cl. Auctor, minime evinci, necessario ad *conversionem* requiri, ut maneat aliquid commune utrique termino, per hoc tantum, quod demonstretur, manere non posse in Eucharistia *sensibilitatem* panis, nisi ipsæ panis *qualitates* in ea remaneant. Id enim, ut patebit consi- de-

(a) Sess. XIII. *cap.* 2.

(b) Prælect. Theol. *de sacram. Eucharistiæ* q. 3. artic. 2.

(c) Disp. L. in III. Partem S. Thomæ *sect.* 2.

deranti, verum esse potest, quamvis illud sit falsissimum.

Ea demum illatio mihi animum non subit, qua ex notione ab se tradita *conversionis* colligit P. Ferrari, panis vinique *accidentia* in Eucharistia remanere. Ait enim: *cum in ista conversione, quæ transubstantiatio est, non remaneat* materia, *ut subsistat* conversionis *notio, reliquum est, manere accidentia*. Hujus, inquam, illationis vim nullatenus percipio. Ex hoc enim, quod *non remaneat materia*, non tantum sequitur manere *accidentia*, si ejus sint naturæ, ut sine subjecto existere divinitus possint; verum etiam remanere *substantialem* panis *formam*, utpote quæ, ipso docente (a), sit *entitative* substantia, minusque propterea, quam *accidentia*, a subjecto illa dependeat. Puto ergo, errorem in hunc locum irrepsisse, Typographi oscitantia, videlicet positam ab illo fuisse *materiam* loco *substantiæ*. Certus sum enim, Cl. P. Ferrari cum iis non sentire, qui olim, ut refert S. Thomas, falso arbitrabantur, *facta consecratione, non solum remanere accidentia panis, sed etiam formam substantialem ejus*. (b).

I I.

108. Opponit P. Boucat, ut *absolutorum accidentium* existentiam in Eucharistia & ipse evincat, opponit, inquam, *in eo* transubstantiationem *differre ab* annihilatione, *quod* annihilatio *sit destructio totius compositi tum quoad substantiam, tum quoad accidentia*; transubstantiatio *vero sit destructio totius substantiæ, manentibus iisdem accidentibus* (c).

℞. negando assumtum. Falsum est enim primo, *transubstantiationem* in eo ab *annihilatione* differre, quod *annihilatio sit destructio totius compositi tum quoad substantiam, tum quoad accidentia*; at vero *transubstantiatio sit destructio totius substantiæ, manentibus iisdem accidentibus*. Communis quippe Theologorum sententia est, id potissimum inter *transubstantiationem*, & *annihilationem* haberi discriminis, ut terminus *ad quem* in *annihilatione* sit *negativus*, sive purum nihil; contra vero in *transubstantiatione* sit *positivus*, nempe Corpus Christi. Convenit inter Theologos, inquit Durandus, *conversionem panis in Corpus Christi differre* a creatione, *&* annihilatione, *&* transmutatione naturali. *A* creatione *quidem, quia illa fit ex* nihilo; *non autem ista conversio, sed habet substantiam panis pro termino* a quo; *ab* annihilatione *vero, quia illa non habet terminum* ad quem

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. I. q. 1. *pag.* 16.

(b) P. III. q. 75. artic. 6.

(c) Tom. VI. *Theol. Patrum* P. II. Differt. III. sect. 3. *pag.* 428. edi Venetæ 1736.

quem *positivum*, *sed purum nihil; hæc autem habet terminum* ad quem *positivum*, *scilicet Corpus Christi*; *a* transmutatione *vero* naturali, *quia omnis* transmutatio naturalis *habet subjectum commune*, *hæc autem conversio nullum habet subjectum commune* (a).

Falsum est secundo, *annihilationem esse destructionem totius compositi tum quoad substantiam*, *tum quoad accidentia*, si ita id intelligatur, ut ea compositi destructio, in qua sola illius *accidentia* remanerent, vera *annihilatio* censeri non possit. Sicuti namque, si substantia compositi tum quoad *materiam*, tum quoad *formam* produceretur, hæc productio esset vera *creatio*, tametsi illa substantia fieret vel sine *accidentibus*, vel sub *accidentibus* præexistentibus (facta hypothesi, ut possint præexistere); ita vicissim, si eadem ipsa substantia quoad omnes suas *essentiales* partes destrueretur, quin illius *accidentia* deficerent, hæc destructio esset vera *annihilatio*. Hæc sane utraque actio vim creatæ potentiæ omnino superat; cum potentia quævis creata ita a præexistente subjecto in operando dependeat, ut, si illud non adsit, nihil prorsus moliri ipsa possit. Neque juvat Virum Cl., S. Thomam (b), Scotum (c), omnesque ferme Theologos, ut refert P. Suarez (d), aperte docere, desitionem substantiæ panis in Eucharistia non esse *annihilationem*. Siquidem non ideo illi negant, substantiam panis annihilari in hoc sacramento, quia illius *accidentia* remaneant, sed quia, inquit Angelicus Doctor, *id*, *in quod substantia panis est conversa*, *est aliquid* (e), sive, ut ait Subtilis, quia *terminus* ad quem *transitus ipsius panis non est purum nihil*, sed corpus Christi (f); vel etiam quia, ut putat P. Suarez, panis substantia *non desinit per meram suspensionem concursus Dei*, *sed ex vi actionis positivæ*, *& physicæ*, ejus nempe, per quam illi succedit corpus Christi; sitque *contra rationem* annihilationis, *ut per positivam actionem fiat*, *sive consequatur* (g). Quis autem non videt, tantos Viros ex eo etiam dicturos fuisse, panis substantiam in hoc sacramento non annihilari, quia illius *accidentia* in eo supersint, si persuasum habuissent, requiri ad *annihilationem*, ut totum compositum tum quoad *substantiam*, tum quoad *accidentia* deficiat? Falsum est igitur, non solum attenta ratione, verum etiam summorum Virorum spectata auctoritate, *annihilationem esse destructionem totius compositi tum quoad substantiam*, *tum quod accidentia*.

A a Fal-

(a) Super IV. *Sententiarum* Distin. XI. q. 1. n. 1.
(b) P. III. q. 75. *artic.* 3.
(c) Ibidem q. 4. §. *ad quæstionem*.
(d) Disp. L. Sect. 7. in III. *Partem* S. Thomæ.
(e) Loco citato.
(f) Loco citato.
(g) Loco citato.

Falsum postremo est, *transubstantiationem esse destructionem totius substantiæ, manentibus iisdem accidentibus*. Hæc enim substantiæ destructio est mera *annihilatio*, ut modo ostendimus. Miror autem, P. Boucat, qui in SS. Patribus, Conciliis, atque Theologis non parum versatum se prodit, falsam adeo *transubstantiationis* definitionem tradidisse, quin viderit, Recentiores hinc posse occasionem arripere ipsum criminandi, quod malitiose egerit hoc loco, falsam scilicet exhibendo *transubstantiationis* notionem, ut, quem oppugnat Cl. P. Maignanum, reum faceret violatæ fidei, quasi nempe catholicum *transubstantiationis* dogma, negando *accidentia absoluta*, ille inficiaretur.

III.

109. Ita præterea ex hoc eodem capite urget idem Vir Cl.: *si, peracta consecratione, panis accidentia nequaquam remanerent, non magis dici posset, panem converti in corpus Christi, quam Petrum in Paulum, si, annihilato prorsus Paulo, produceretur in ejus loco Petrus, similis quoad omnia externa accidentia* (a).

℞. *concedendo assumtum*, dummodo tamen inter desitionem Pauli, & productionem Petri ea sit connexio, ut ideo in sui nihilum abeat Paulus, quia in illius loco producitur Petrus; & vicissim ideo in loco Pauli producatur Petrus, quia ille in nihilum sui redigatur. Hac enim posita connexione, prorsus me latet, quamobrem hæc conversio Pauli in Petrum vera, & propria *transubstantiatio* dici non possit. Neque enim huic officit, vel quia nihil Pauli tunc remaneat, vel quia Petrus *quoad omnia externa accidentia* Paulo omnino similis esse dicatur. Non officit primum; quia, ut satis demonstravimus, ad *transubstantiationem* minime opus est, ut aliquid utrique *conversionis* termino commune remaneat; & si id in argumento supponat Vir Cl., peccat vitio *petitionis principii*, ut est perspicuum. Neque officit secundum; siquidem perinde omnino ad *transubstantiationem* esse puto, sive similes, sive dissimiles sint substantiæ, quarum una in aliam tota convertitur. Id si non arridet Viro Cl., contrarium ostendat. Interea autem dicam, satis constare ex modo traditis, admittenda non esse *absoluta* Scholasticorum *accidentia*, ut in tuto sit *transubstantiatio*.

SCHO-

(a) Loco citato *pag.* 429.

SCHOLION.

110. Tantum abest, salvum esse non posse catholicum dogma *transubstantiationis*, nisi admissis *absolutis accidentibus* Scholasticorum, quin potius defuturus fortasse non sit, qui dicat, illis positis, & ansam dari heterodoxis dogma ipsum cavillandi, & valde minui ac debilitari plurium eorum momentorum vim, quibus tum ex verbis Christi Domini: *hoc est corpus meum*; tum ex congruentiis illud dogma contra Lutheranos a Catholicis propugnatur.

I.

111. Ansa datur heterodoxis catholicos cavillandi. Sumta enim *quantitate* panis pro *entitate* natura sua *extensa*, & *impenetrabili*, quemadmodum si non omnes, plerique saltem Scholasticorum eam sumunt, manifeste sequitur, dici non posse, *quantitatem* panis in Eucharistia remanere, nisi *extensam*, & *impenetrabilem entitatem*, quæ ad panem partineat, etiam post consecrationem haberi in hoc Sacramento, heterodoxis concedatur. Jam vero si hoc, dicent illi, in hoc Sacramento haberi substantiam panis. Dicent quippe, non aliud ab se intelligi nomine *substantiæ corporeæ*, nisi *entitatem* ipsa sua natura *extensam*, & *impenetrabilem*, sicuti eam sumsisse videtur etiam S.Augustinus, & catholici plurimi modo tuta fide propugnant. Ergo (urgebunt ipsi) negari non potest a catholicis, remanere *substantiam* panis in hoc sacramento, si eandem ipsam *entitatem* natura sua *extensam*, & *impenetrabilem*, quæ ante consecrationem habebatur, ipsi quoque in hoc Sacramento remanere concedant. Non parum etiam roboris huic argumento accedere videtur ex eo, quod *sensibiles* omnes panis *qualitates* in hac superstite *extensa*, & *solida entitate*, tamquam in subjecto immediato, ipsorummet Scholasticorum sententia, recipiantur. Dicent quippe heterodoxi, illud totum in hoc sacramento superesse, quod ipsi *panem* vocant. Manent enim *qualitates* panis *sensibiles* una cum illa *extensa*, & *solida entitate*, in qua recipiuntur. Neque multum illis negotii facesset, quod ajunt Scholastici, *extensam* nempe illam, *solidamque entitatem*, quæ una cum *sensibilibus* panis *qualitatibus* in hoc sacramento haberi dicitur, non esse *substantiam*, sed *accidens*, utpote quæ non existat *per se*, sed subjecto naturaliter indigeat; urgebunt quippe, sibi sufficere, si eadem penitus *solida extensio*, eædemque *reales sensibiles affectiones*, quæ habebantur

ante conſecrationem, etiam poſt conſecrationem in Euchariſtia habeantur; cum *panis* nomine nonniſi illud aggregatum ipſi intelligant.

II.

112. Multum quoque minuitur, hac admiſſa hypotheſi, robur plurium argumentorum, quibus tum ex verbis Chriſti, tum ex congruentiis *tranſubſtantiatio* probatur. Et primo ad rationem ex verbis Chriſti quod attinet, oſtenditur ex illis *tranſubſtantiatio*; quia, ſi panis *ſubſtantia* remaneret, non eſſet vera illa Chriſti propoſitio: *hoc eſt corpus meum*, propterea nimirum quia pronomen *hoc* non Chriſti corpus, ut debet vi propriæ locutionis, ſed *ſubſtantiam* panis deſignaret; nihilque ſit magis falſum, quam panis *ſubſtantiam* eſſe corpus Chriſti. Sed admiſſis *abſolutis accidentibus*, quæ remaneant, peracta conſecratione, non ſatis valida apparet hæc ratio. Enimvero, cum *pronomina* non minus afficiant *ſubſtantiam*, quam *accidentia*; neque minus compoſita, quæ ſunt *unum per ſe*, quam ea, quæ non ſunt, niſi *aggregatum per accidens*, illa deſignent (æque proprie namque dicitur *hæc* ſubſtantia, *hic* homo &c., ac *hæc* quantitas, *hic* color, *hic* acervus lapidum &c.) videtur, pronomen *hoc* in illis verbis Chriſti æque ſignificare poſſe ſolum Chriſti corpus, quamvis remaneat panis *ſubſtantia*, ac illud ipſum dumtaxat ſignificat, dum ſola remanent illius *accidentia*. Qua enim ratione pronomen *hoc*, poſitis ſolis *accidentibus*, non cadit ſupra illorum aggregatum, licet ſupra illud cadere poſſit, quemadmodum ipſum dumtaxat nobis apparet; eadem ipſa dicet Lutheranus, pronomen *hoc* non cadere ſupra *ſubſtantiam* panis, quæ remanet, quamvis ſi eſſet ſola, nempe ſine Chriſti corpore, ipſam dumtaxat afficeret, nobiſque indicaret; neque minus falſum eſſe, ſubjectum *accidentium*, quod ſupereſt, quodque præcipue ab illo *pronomine* affici videtur, ſcilicet *quantitatem* panis, eſſe corpus Chriſti, ac ſit falſum, panis *ſubſtantiam* eſſe illud ipſum corpus. Unde Cl. P. Maignan, cum, inquit, *Chriſtus ſic ait*: hoc eſt corpus meum, *perinde eſt ac ſi diceret*, hoc *nihil eſt aliud, quam corpus meum; quia* hoc *non poteſt eſſe duo ſimul, nempe &* corpus meum, *&* quantitas *panis*, albedo *panis* &c. *certe non magis, quam* panis *ipſe* (a). Huic proinde argumento non ſatis occurrit Cl. Tournely, dum ait, cauſam quare, licet in Euchariſtia præter corpus Chriſti ſint *accidentia realia*, hæc propoſitio ſit vera: *hoc eſt corpus meum*; vera autem non ſit, ſi

(a) Append. *de ſpeciebus Euchariſticis* ad cap. 33. *Philoſ. naturæ* n. 47.

si præter illud corpus adesset etiam substantia panis, causam, inquam esse, *quia pronomen* hoc *in hac propositione*: hoc est corpus meum, *non demonstrat* accidentia, *quæ corpus Christi non sunt, nec dici possunt; at si præsens esset panis* substantia, *pronomen* hoc *illam demonstraret, & ita demonstrando panis* substantiam, *dici posset*, hoc, *nempe* substantia *panis, est* corpus Christi, *quod certe falsum est* (a): apparet, dico, hoc modo argumentum non solvi, nisi rationem dederit Vir Cl., quare pronomen *hoc* (idipsum & de ceteris dicito) ita solam *substantiam* afficiat, ut *quantitatem*, si ponatur *extensio solida*, & immediatum subjectum *accidentium*, afficere, nobisque indicare nullo modo pronomen ipsum possit. Accedit præterea, *solidam* illam quantitatis *extensionem*, quæ remanere dicitur a Scholasticis post consecrationem, existere instar *substantiæ*, nempe veluti *per se* (nulli quippe subjecto tunc inhæret) & ideo aptam videri, ut a pronomine *hoc*, perinde prorsus ac *substantia* panis, tunc afficiatur. Neque porro locus est, quemadmodum optime observat laudatus P. Maignan, *ut* contra id, quod modo diximus, aliquis opponat, *non magis esse possibile, ut illud ipsum* hoc *sit species impressa, & simul corpus Christi. Occurro enim, & dico, magnum esse discrimen; quia de specie, utpote non sensibili nisi* ut quo, *neque solet usu hominum, neque potest inter demonstrandum intelligi velut simpliciter, & absolute dicta particula demonstrativa* hoc. *Albedo autem, & quantitas, aliaque sensibilia accidentia, & aggregatum ipsorum sunt quid sensibile* ut quod, *quatenus ad sui sensibilitatem indigent* specie sui: *qua sola (cum non detur* species speciei, *progressu nunquam terminando) est sensibilis* per se, *&* ut quo. *De eo autem, quod est sensibile non* per se, *adeoque est sensibile tantum* ut quod, *bene ex natura rei tum dicitur, tum intelligitur dictum absolute* hoc, *nempe hoc sensibile, quod ad sensum exhibetur, atque demonstratur* (b). Ergo &c.

III.

113. Quod vero spectat ad rationem ex congruentiis, dogma *transsubstantiationis* ostenditur ex hoc capite a doctissimo Bellarmino, *primo*: quia, *si cum corpore Domini maneret substantia panis, tunc duæ substantiæ haberent ordinem ad eadem accidentia, & ab iisdem accidentibus tamquam externis signis demonstraretur* (c). Hoc itaque argumentum valde nutat, si *quantitas* panis ponatur non solum *entitas absoluta* realiter distincta ab illius substantia, verum etiam omnium *sen-*

(a) Prælect. *de sacram. Eucharistiæ* q. 3. artic. 2.

(b) Loco citato n. 48.

(c) Lib. III. *de Eucharistiæ* cap. 3.

sensibilium qualitatum ipsius panis immediatum subjectum. Vel enim etiam *quantitas* corporis Christi dicit ordinem ad *sensibiles qualitates* panis, quemadmodum ad illas ordinem dicit panis *quantitas*, vel non dicit. Si non dicit, licet simul ipsa sit cum *quantitate* panis: ergo neque *substantia* corporis Christi, quamvis simul esset cum *substantia* panis, ordinem aliquem diceret ad illas *qualitates*, neque ab illis demonstraretur. Si autem dicit: ergo si non est absurdum, duas simul *quantitates*, scilicet corporis Christi, & panis, dicere ordinem ad easdem *sensibiles qualitates*, neque ab illis, tamquam ab externis signis, demonstrari (*accidentia* enim primo demonstrant subjectum, quod *immediate* afficiunt) absurdum quoque non est, duas simul *substantias* ordinem habere ad eadem *accidentia*, & ab iisdem designari.

Ita porro hoc idem argumentum prosequitur Vir Cl.: *quia* substantia *panis informaretur illis accidentibus, non autem corpus Christi, primarius ordo ad illa accidentia esset* substantiæ *panis, secundarius autem corporis Christi, & consequenter ipsa accidentia per se* primo *demonstrarent, & significarent panem*, secundario *autem corpus Christi, quod sane absurdm esset. Nam si quis peteret*, quid est, quod est in altari? *oporteret respondere:* est panis triticeus, & etiam corpus Christi; *& si quis quæreret*, quid significent illa accidentia? *respondendum esset*, substantiam panis illic esse, & simul corpus Christi; *& si alius interrogaret*, quid frangit Sacerdos, & communicantibus tanta religione distribuit? *diceremus*, panem triticeum, & simul corpus Christi. *Profecto igitur* (concludit ille) *multo convenientius fuit, ut solum Christi corpus ad illa accidentia ordinem haberet, & illa soli Christi corpori deservissent* (a).

Sed contra est. Cum enim, admissa Scholasticorum doctrina, *accidentia* panis in illius *quantitate*, non autem in corpore Christi recipiantur, ordo primarius ad illa *accidentia* erit *quantitatis* panis, secundarius vero corporis Christi; & ideo necesse est, *accidentia* ipsa primo demonstrent, & significent *quantitatem* panis, secundario corpus Christi, quemadmodum nonnisi secundario ipsam quoque panis *substantiam*, si in illa non sunt, nisi quatenus sunt in *quantitate*, nobis designant & exprimunt. Quærenti igitur, *quid sit, quod est in altari?* respondendum est, admissa Scholasticorum hypothesi, *quantitatem panis, ejusque omnia accidentia, & una simul cum illis corpus Christi*. Quærenti, *quid significent illa accidentia?* dicendum, *ea significare quantitatem panis, quam afficiunt, & simul corpus Christi.* Quærenti, *quid frangit Sacerdos, & fidelibus tanta religione distribuit?* res-

(a) Lib. III. de *Eucharistia* cap. 22.

respondendum, *quantitatem panis, & simul corpus Christi*. Sicuti ergo Scholasticis hæc minime absurda sunt, ita neque heterodoxis, quæ illis opponit doctissimus Bellarminus, absurda videbuntur.

Ratio quoque vacillat, quam ex veneratione jure debita tanto Sacramento ille desumit. Ait enim: *si una cum corpore Domini substantia panis sub iisdem accidentibus contineretur, periculum esset, ne simpliciores adorarent panem*, quod scilicet illi *non distinguant, sed simpliciter adorent, quod sub illis speciebus continetur* (a).

At, inquam, vacillat hæc ratio, imo & ferme corruit, *absolutis* Scholasticorum *accidentibus* admissis. Nemo quippe non videt, idem prorsus futurum esse periculum, si remaneat *quantitas* panis una simul cum reliquis omnibus ejusdem panis *sensibilibus qualitatibus*. Neque enim distinguunt simplices, sed id simpliciter adorant, quod illis apparet. Ergo cum, quod illis apparet, sit aggregatum *reale* ex *quantitate* panis, ejusque *accidentibus*, vel periculum est, ne hoc illi adorent, non corpus Christi; vel neque timendum, quominus iidem ipsi, non Christi corpus, sed panis substantiam, si ibi esset, venerentur.

Tertio: congruum non esse, ait, *ut simul maneant cibus ventris, & cibus mentis, panis terrenus, & panis cœlestis* (b). Verum, si id congruum non est, neque congruum esse potest, ut cum Christi corpore simul maneant *accidentia* panis. Et illa enim vere manducantur; neque minus terrena sunt, ac ipsa panis substantia. Hæc igitur cum ita sint, non est profecto, cur Scholastici in explicando Eucharistiæ Sacramento nimis de sua *absolutorum accidentium* doctrina sibi blandiantur, quasi nempe ea una ipsa sit, in qua tantum catholicæ fidei dogma facilius, quoad fieri ab homine potest, explicetur. Mea est opinio constansque sententia, non minus Scholasticos, quam Recentiores, cum agitur de hoc mysterio, captivare debere intellectum in obsequium fidei, ratum omnes fixumque habentes, in hoc potissimum factam a Deo fuisse *memoriam mirabilium suorum* (c).

PRO-

(a) Lib. III. *de Eucharistia* cap. 22.
(b) Ibidem.
(c) Psalm. CX. v. 4.

PROPOSITIO IX.

Necessarium non est, qualitates sensibiles panis, & vini, adeoque etiam corporum reliquorum, sint accidentia absoluta, quæ, consecratione peracta, sine illarum rerum substantia remaneant, ut Corpus Christi Domini sub speciebus panis, ejusque Sanguis sub speciebus vini vere & realiter sint in Eucharistia, nobisque sub illis tradantur.

114. Præscindimus hic a Conciliis, videlicet non quærimus, neque determinamus hoc loco, quid nomine *specierum* panis, & vini, sub quibus dicunt Concilia Corpus, & Sanguinem Christi Domini in Eucharistia existere, eadem ipsa intellexerint (id enim infra ad trutinam revocabitur), sed tantum contendimus, *absoluta* Scholasticorum *accidentia* non requiri, ut Corpus Christi Domini sub *speciebus* panis, ejusque Sanguis sub *speciebus* vini in Eucharistia vere & realiter sint, nobisque in illa se prodant.

Hoc itaque præmisso, sic ostenditur propositio. Corpus Christi existere in Eucharistia sub *speciebus* panis, ejusque Sanguinem sub *speciebus* vini, non est aliud, vere proprieque loquendo, nisi Corpus, & Sanguinem Christi ita in hoc Sacramento existere, nobisque tradi, ut alterum a pane, a vino alter discerni, sensuum ministerio, a nobis nequaquam possit (§. 18.). Ut autem Corpus, & Sanguis Christi Domini hoc modo sint in Eucharistia, nobisque in illa tradantur, non requiritur, *qualitates sensibiles* panis, & vini sint *accidentia absoluta*, sub quibus, consecratione peracta remanentibus, Corpus, & Sanguis Christi Domini, veluti sub velo, in hoc Sacramento delitescant. Satis est enim, ut Christus Dominus ex loco, in quo ante consecrationem erant panis, & vinum, & in quo post consecrationem *vere* & *realiter* ipse existit, eodem penitus modo sensoria nostra afficiat, quo eadem ipsa a pane, & a vino affici naturaliter solent, & ante consecrationem reapse ab rebus illis afficiebantur (§. 44.). Ergo *absolutis* Scholasticorum *accidentibus* opus non est, ut Corpus Christi sub *speciebus* panis, ejusque Sanguis sub *speciebus* vini in Eucharistia existant.

Sufficere porro ad apparentiam Christi Domini sub *speciebus* panis, & vini in Eucharistia, ut ex loco, in quo ante consecrationem erant panis, & vinum, & in quo post consecrationem ipse est, eodem modo, quo a pane, & a vino immutari solent, sensoria nostra moveat

ille

ille, atque afficiat, luculentissime confirmatur ex modo, quo ab Angelico Doctore, & a Viro doctissimo P. Cornelio a Lapide eæ apparitiones factæ dicuntur, in quibus Christus Dominus nonnullis piis Viris sub *specie pueri, vivæ carnis*, & *sanguinis* in Eucharistia, discipulis euntibus in Emmaus sub *specie peregrini*, nec non Magdalenæ, dum ejus corpus e sepulchro clam sublatum credidit, sub *specie hortulani* sese videndum præbuit. Certum enim est, Angelicum Doctorem si audiamus, apparitiones a Christo Domino interdum factas in hoc Sacramento sub *speciebus pueri, vivæ carnis, & sanguinis*, ex eo tantum contingere potuisse, quod, ut ille ait, *intuentium oculi* tunc immutarentur *tali immutatione, ac si expresse viderent exterius* carnem, *vel* sanguinem, *vel* puerum, *nulla immutatione facta ex parte sacramenti* (a), hoc est, nullis novis *absolutis accidentibus* in subsidium adscitis, sub quibus, prioribus destructis, Christus ipse delitesceret. Ergo ad apparitionem quoque Christi Domini sub *speciebus* panis, & vini in hoc eodem sacramento satis est, ut externa intuentium sensoria eo modo, quo a pane, & a vino affici naturaliter solent, ab ipso Christo immutentur. Modum similiter explicans doctissimus Cornelius a Lapide, quo Christus discipulis euntibus in Emmaus sub *peregrini specie* post resurrectionem apparuit, factum id esse, ait, quia *corpus Christi, in se licet idem, & immutatum manens, tamen quia Verbo unitum erat, & quia gloriosum, potestatem habebat, uti se occultandi, ac retinendi species sui corporis, ne ad oculos aliorum diffunderentur, sic & visum intuentium immutandi eo modo, quo ipsi libuerit, idque vel divaricando, & diverso modo imprimendo species, vel medium immutando, uti faciunt specula, vel ipsum etiam visus organum immutando. Hoc est enim, quod ait Lucas:* oculi eorum tenebantur, *a Jesu, ne officio suo fungi possent, perinde ac si velamine quopiam obducti fuissent, unde postea statim, ut voluit Jesus, eum agnoverunt. Idem & multo magis dico de auribus, & auditu, scilicet Christum a discipulis non fuisse agnitum ex voce, quia multo facilius est mutare vocis sonum, ac modum exprimendi, & pronunciandi* (b). Loquens quoque idem Vir Cl. de apparitione facta Magdalenæ sub specie hortulani, causam fuisse, ait, quamobrem illa nesciret, ipsum esse Jesum, *quia alia specie, scilicet* hortulani, *ei apparebat, uti euntibus in Emmaus specie peregrini. Gloriosa enim corpora possunt apparere ea specie, & forma, qua volunt; idque faciunt non mutando ipsam sui vultus figuram, & formam, sed impediendo, ne hæc vultus figura integras sui species, sed re-*

 fra-

(a) P. III. q. 76. *artic.* 8.
(b) Comment. in Lucam *cap.* XXIV. *v.* 16.

fractas, dimidiatas, & distractas ad oculum intuentis jaciat (a). Itaque, sicuti factum fuit sine ullo *accidente absoluto*, sed sola externorum sensoriorum immutatione, ut Christus Dominus videretur sub *specie hortulani*, & *peregrini*, imo etiam præberet sese in hoc sacramento sub *speciebus pueri, vivæ carnis*, & *sanguinis*; ita sola quoque eorundem sensoriorum immutatione fieri potest, ut sub panis, vinique *speciebus* sese nobis in hoc eodem sacramento videndum exhibeat. Nulla enim ratio apparet, quamobrem si aliquæ ex hisce apparitionibus per solam externorum sensuum immutationem fieri potuerint, omnes non possint.

Posse autem Christum Dominum ex se immediate, nullo scilicet *absoluto accidente* in subsidium assumto, afficere in hoc Sacramento externa intuentium organa, perinde omnino atque a pane, & a vino ante consecrationem illa afficiebantur, probatione non indiget. *Erroneum* quippe *est, dicere*, inquit S. Thomas, *Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam* (b); utque habet idem S. Doctor alio loco, sicuti in potestate Christi erat, *ut corpus suum videretur, vel non videretur, ita in potestate ejus erat* (post resurrectionem), *ut ex ejus aspectu formaretur in oculis intuentium vel forma gloriosa, vel non gloriosa, aut etiam commixta, vel qualitercunque se habens* (c). Necesse non est igitur, *qualitates sensibiles* panis, & vini sint *accidentia absoluta*, quæ sine rerum illarum substantia divinitus existant, ut sub *speciebus* panis, & vini Christus Dominus in venerabili Eucharistiæ sacramento sese nobis videndum exhibeat.

Opponet aliquis, verum quidem esse ex S. Thoma, apparitiones Christi Domini in hoc sacramento sub *specie pueri, vivæ carnis*, & *sanguinis* propterea tantum contigisse, quod tunc ab ipso Christo perinde immutarentur intuentium oculi, *ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum*; sed ex eodem quoque constare, id contingere, *quando uni videtur sub specie carnis, vel pueri, aliis tamen videtur, sicut & prius, sub specie panis, vel quando eidem ad horam videtur sub specie carnis, vel pueri, & postmodum sub specie panis* (d); quemadmodum ex eodem itidem constat, quandoque contingere tales apparitiones *non per solam immutationem videntium, sed specie, quæ videtur realiter exterius existere*; & hoc esse, *quando sub tali specie ab omnibus videtur, & non ad horam, sed per longum tempus ita permanet*

(a) Comment. in Joannem *cap.* XX. *v.* 14.
(b) P. I. *q.* 105. *artic.* 2.
(c) P. III. q. 54. *artic.* 1. *ad tertium.*
(d) Ibidem q. 76. *artic.* 8. *respondeo dicendum.*

net (a). Ergo ex S. Thoma, fieri nequit sine *accidentibus absolutis*, ut Christus Dominus sub *speciebus* panis, & vini nobis in Eucharistia appareat; cum sub hisce *speciebus* ab *omnibus* videatur, & *non ad horam, sed per longum tempus*.

℞. negando *conseq.* Non enim negat S. Doctor, posse fieri per solam oculorum immutationem, seclusis nempe *accidentibus absolutis*, ut Christus Dominus videatur sub *speciebus carnis*, vel *pueri*, adeoque & sub *speciebus panis*, & *vini*, ab *omnibus*, & *non ad horam, sed per longum tempus*; verum dumtaxat opinatur (semper enim utitur verbo *videtur*) apparitiones Christi factas in hoc sacramento sub *specie pueri*, vel *carnis* ideo contigisse per solam organorum immutationem, non sic autem ejusdem apparentiam sub *speciebus panis*, & *vini*; quia, cum illi indubia res fuerit, extare *accidentia absoluta*, eaque post consecrationem in Eucharistia remanere, verosimilius esse credidit (& recte quidem, *absolutis accidentibus* admissis) apparitiones Christi sub *specie pueri*, & *carnis* non provenire, quemadmodum ejusdem apparentiam sub *speciebus panis*, & *vini*, ab *accidentibus absolutis*, sed a sola immutatione sensuum externorum; jure scilicet ac merito putans S. Doctor, necessarium non esse ad apparitiones, quæ neque fiunt omnibus, neque multum durant, ut, destructis iis, quæ sunt *panis*, & *vini*, alia *accidentia*, *pueri* nimirum, vel *carnis*, reipsa producantur. Unde Cl. P. Suarez hoc *signum a S. Thoma datum* vocat *moraliter satis verisimile; quia facilius est*, inquit, *ita fieri; & quando ex aliis conjecturis aliud non constiterit, ita certe existimandum est; quia in omnibus his rebus, quæ miraculose apparent, id semper judicandum est fieri, quod facilius est magisque consentaneum apparentibus signis, & ad finem ipsius apparitionis est sufficiens* (b).

Mihi porro nunquam fuit animus probandi auctoritate S. Thomæ, apparentiam Christi Domini, quæ modo fit in Eucharistia, sub *speciebus panis*, & *vini*, non dependere ab *accidentibus absolutis* (esset enim, in meridie cæcutire), sed tantum, (& hoc velim alte animo infigatur) opus non esse illis *accidentibus*, ut sub *speciebus* panis, & vini Christus in hoc sacramento nobis se prodat, quemadmodum ex S. Thoma sine illis *accidentibus* factum non semel fuit, ut sub *specie pueri*, *vivæ carnis*, & *sanguinis* a nonnullis piis Viris in hoc itidem sacramento interdum videretur.

Neque quisquam dicet, ut puto, posse quidem Christum Dominum sine *absolutis accidentibus* sese per aliquod breve tempus, & ali-

(a) P. III. q. 76. *artic.* 8. *respondeo* (b) Disp. LV. in III. p. S. Thomæ sect. 1. *dicendum*.

quibus tantum sub *aliena specie, pueri* scilicet, vel *vivæ carnis*, aut *sanguinis*, exhibere; at non posse sine illis *accidentibus* ita apparere omnibus, diuque multumque in hac apparitione persistere.

Contra est enim. Nam Divina potentia ita limitibus circumscripta non est, ut quod per breve tempus aliquando facit, diu conservare nequeat, quodque in uno agit, simul in pluribus operari non possit. Sane, si dependenter ab *accidentibus absolutis* potest Christus Dominus sub *speciebus* panis, & vini simul apparere pluribus, & diu multumque in hac apparitione durare, alterutrum, velimus nolimus, dicendum est, aut scilicet id totum etiam sine *absolutis accidentibus* fieri ab illo posse, aut *non posse Deum facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam*: quod, ut diximus ex S. Thoma, est erroneum.

Nihil proinde juvat Auctorem *Dissertationis Physico-Theologicæ de accidentibus Eucharisticis*, anno 1735., suppresso illius nomine, Neapoli editæ, ipsum, inquam, nullatenus juvat, quod ait, apparitiones scilicet Christi Domini sub forma *peregrini, hortulani, & pueri, non esse de illis, quæ sensibus constanter apparent, & omnibus, ac semper sunt uniformes*; ac propterea non valere ad *inanem* probandam *realium accidentium permanentiam panis, & vini post consecrationem* (a). Quippe, ut ex modo traditis manifeste constat, perinde omnino est ad harum omnium apparitionum causam, illæ sive multum, sive parum durent, sicuti etiam sive omnibus, sive aliquibus tantum ipsæ fiant.

Instat idem Auctor: *sub specie hortulani, vel peregrini nulla debet realis conversio verificari; cum nullus in Christum hortulanus, nullus convertatur peregrinus. At de Christo sub speciebus Eucharisticis realis est conversio verificanda; cum panis in Christi corpus, & vinum in Christi sanguinem realiter convertantur. Debet ergo realis hujus, ac physicæ conversionis aliquod reale manere medium, quæ non sunt, nisi accidentia realia panis, ac vini* (b).

℞. *neg. conseq.* Aliud est enim, substantiam panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi converti; aliud vero, Christi corpus sub *speciebus* panis, ejusque sanguinem sub *speciebus* vini in hoc sacramento contineri, nobisque tradi. Necessario non requiri ad *transubstantiationem*, ut aliquid termini *a quo* remaneat in termino *ad quem*; & ideo illam esse in tuto, quamvis nulla *qualitas sensibilis* panis, & vini sit *accidens absolutum*, quod, consecratione peracta, supersit, satis, ut puto, in superioribus demonstravimus (§. 106., & seq.). Posse

(a) Pag. 25. (b) Pag. 28.

se vero corpus Christi nobis sese prodere in hoc sacramento sub *speciebus* panis, ejusque sanguinem sub *speciebus* vini independenter ab omni *accidente absoluto*, illud est, quod modo propugandum suscepimus, quodque contendimus, ex dogmate *transubstantiationis* ne levissime quidem oppugnari.

Urget præterea: *species hortulani, vel peregrini, sub quibus Christus erat, accidentia esse sine proprio subjecto, nullus docet, nullus unquam dixit: at species Eucharisticas accidentia esse sine proprio reali subjecto, Concilia tradunt, Ecclesia docet. Species ergo Eucharisticæ realia esse debent accidentia, physica, & objectiva* (a).

℞. *disting. majorem*: nullus docet, nullus dixit, *species* hortulani, & peregrini, sub quibus Christus apparuit, esse *accidentia*, hoc est, *entitates absolutas*, naturaliter exigentes inhærere hortulano, & peregrino, *concedo majorem*: nullus docet, nullus dixit, illas *species* esse *accidentia*, nempe *affectiones corporeas*, easque existere sine *proprio subjecto*, hoc est, non existente *objecto*, quod naturaliter sentienti animæ repræsentant, *nego majorem*. Hoc enim sensu sumto tum *accidente*, tum *subjecto*, dicere omnes necessario debent, *species* hortulani, & peregrini, sub quibus Christus Dominus apparuit, esse *accidentia*, eaque tunc sine proprio *subjecto* extitisse; cum nihil certius sit, quam illas *species* esse affectiones corporeas, idque reipsa tunc non extitisse, quod repræsentabant. Et *distinguo minorem*: Concilia tradunt, Ecclesia docet, *species Eucharisticas* esse *accidentia sine proprio reali subjecto*, hoc est, illas esse *entitates reales absolutas* inhærentes substantiæ panis, & vini ante consecrationem, & post consecrationem easdem ipsas numero sine panis, vinique substantia existentes, *nego min*: Concilia tradunt, Ecclesia docet, *species Eucharisticas* esse *accidentia sine proprio subjecto*, hoc est, manere in Eucharistia *sensibilitatem* panis, & vini, ibi non amplius tunc existente panis, vinique substantia, *concedo minorem*, & *nego conseq*. Ut enim fuse dicemus suo loco, nunquam docuit, nec docet Ecclesia, neque Concilia definiere, tamquam dogma fidei, *species* panis, & vini, sub quibus Christus Dominus in Eucharistia existit, esse illa ipsa *accidentia*, quæ panis, vinique substantiæ ante consecrationem inhærebant; sed Ecclesia tantum docuit, & Concilia definierunt, corpus, & sanguinem Christi ita in hoc sacramento existere, nobisque tradi, ut, quamvis nulla in eo sit panis, & vini substantia, attamen neque corpus a pane, neque sanguinem a vino discernere sensuum ministerio valeamus.

Sa-

(a) Pag. 28.

Satisfit objectionibus.

I.

115. Duplici porro Philosophica ratione ostendere nititur laudatæ *Dissertationis* Auctor, *absoluta* Scholasticorum *accidentia* necessario in hoc sacramento esse admittenda. Ratio illius prima est: *etiam facta consecratione, eandem* figuram, *&* albedinem *in Eucharistia videmus, eundem panis, & vini* saporem *gustamus, utriusque eundem percipimus* odorem, *eandem omnino* superficiem *tangimus. Ergo, deficiente per consecrationem substantia panis, & vini, permanentia* realium accidentium *panis, & vini, sensibus ipsis pervia est, ac nota. Constat enim, sensum nullo vitio laborantem decipi non posse circa proprium sensibile debite applicatum. Aliquando falluntur sensus circa proprium sensibile, sed vel ex defectu ipsius organi, ut quando cibi dulces gustantur amari; vel ipsius medii, sic remus etiam rectus apparet in aqua fractus; vel debita distantia, sic gigas a longe visus pigmæus videtur, & Sol maximæ magnitudinis parvus nobis apparet. Quod si nullus sit defectus neque ex parte organi vitiati, neque ex parte medii improportionati, neque ex parte indebitæ distantiæ, sensus circa proprium sensibile decipi non potest. Atqui facta consecratione, nullus ex his defectibus constat. Ergo circa permanentiam* realium accidentium *sensus decipi non possunt. In hoc ergo sensibus credendum, præsertim ab Adversariis, experientiæ etiam superstitiose fidentibus* (a).

℞. *disting.* añs principalis *enthymematis*: etiam facta consecratione, eandem percipimus *figuram, albedinem, odorem, saporem*, & *superficiem*, hoc est, eandem illarum *affectionum* impressionem factam in externis sensoriis, quæ menti, dum illas percipit, objecti instar sola occurrit, *concedo añs*; percipimus eandem *figuram, albedinem, odorem* &c. hoc est, percipimus, eandem esse *entitatem objectivam*, quæ tam post, quam ante consecrationem, eas in sensoriis nostris impressiones excitet, quas *figuræ, albedinis, odoris, saporis* &c. sensationes in anima consequuntur, *nego añs, & conseq.* Cum enim, ut demonstratum alibi fuit (§.38.), id, quod menti sentienti immediate, objecti instar, occurrit, quodque percipit illa, dum sentit, non sit nisi passio, sive motio ex rei sensibilis appulsu in externo sensorio excitata, nihil aliud sane requiritur, ut verum sit, nos eandem prorsus, quam ante, etiam post consecrationem vide-

(a) Pag. 24.

dere *figuram*, & *albedinem*, eundem nos gustare panis, vinique *saporem*, eundem horum corporum *odorem* percipere, eandemque omnino *superficiem* tangere, nisi, ut, quæ ante consecrationem in sensoriis *visus*, *gustus*, *olfactus*, & *tactus* fiebant impressiones, eædem ipsæ, etiam consecratione peracta, in iisdem sensoriis perficiantur. Posse autem easdem prorsus impressiones in illis fieri post consecrationem, quæ in ipsis ante consecrationem fiebant, quin aliquid reale panis, & vini post consecrationem supersit, satis ex dictis manifestum est. Ergo ex hoc, quod, facta consecratione, eandem *figuram*, & *albedinem* in Eucharistia videamus, eundem panis, & vini *saporem* gustemus, eundem penitus percipiamus *odorem*, eandemque omnino *superficiem* tangamus, inferre non licet, *deficiente per consecrationem substantia panis, & vini, permanentiam* realium accidentium *panis, & vini sensibus ipsis perviam esse, ac notam*.

Ad illud vero, quod additur, de sensuum certitudine, dico, verissimum esse, *sensum nullo vitio laborantem decipi non posse circa proprium sensibile debite applicatum*. Concedo etiam, facta consecratione, nullum in sensibus haberi defectum *neque ex parte organi vitiati, neque ex parte medii improportionati, neque ex parte indebitæ distantiæ*; & ideo nullam prorsus tunc in sensibus deceptionem contingere. Sed nego, aut idcirco admittenda esse *accidentia absoluta* in hoc sacramento, aut dicendum, in illo decipi sensum circa proprium sensibile, quin vel ex parte *organi*, vel ex parte *medii*, vel ex parte *distantiæ* defectus aliquis habeatur. Ut enim egregie observat P. Maignan, *notitia sensuum experimentalis, & quodcunque est eorum experimentale judicium, in hoc versantur, ut impressionem a sensibili factam sensus non modo excipiant passive, tamquam subjecta inertia, vel sine anima; sed præterea percipiant active, id est, agnoscant, se excipere; id enim est* sentire, *ut suo loco explicui. At vero circa hoc præcise nulla potest in sensibus esse* deceptio. *Cum enim sensus non habeat notitias, nisi simplices, aut ad summum complexas, id est, non componant, neque dividant, & multo minus discurrant, consequenter de objecto non percipiunt, seu non norunt, nisi id, quod ab eo excipiunt; neque aliud ab eo excipiunt, quam quod ab ipso impressum eis est, solam scilicet speciem impressam. Unde quia judicium sensuum (quodcunque illud est, ut dixi, judicium) non est nisi sensatio; hæc vero non est aliud, quam solius impressæ speciei perceptio (& eatenus apprehensio, eaque incapax falsitatis) manifestum est, non esse posse in judicio sensuum* deceptionem *ex parte speciei, ut perceptæ; cum esse nequeat ex parte ejusdem, ut exceptæ, quæcunque tandem res dicatur*

spe-

species, *&* *a quocunque impressa*. *Perinde enim*, *&* *æque species a sensu excipitur*, *sive ea sit forma educta de potentia subjecti*, *ut dicitur*, *sive sit actio objectiva* (*imo nisi hæc affuerit*, *illa erit inutilis ad movendum sensum*) *item sive ab* homine *imprimatur*, *sive ab* angelo *apparente*, *sive a* pane, *vel* quantitate *&c. ut dicitur*, *sive a* Deo *supplente &c. ut superius dixi*. *Hinc vero consequens est*, *in Eucharistiæ sacramento minime decipi* v. g. *visum*, *ubi percipit veram*, *quam vere excipit*, *panis impressam speciem*, *quamvis hæc imprimatur a* Christo, *cui est aliena*, *&* *non ab aliqua*, *ut dicitur*, quantitate, albedine &c., *aut aliis ex parte residuis*, *quibus ea sit propria*; *cum*, *ut dixi*, *facultatis visivæ non sit judicare*, *vel discernere* quid, *vel a quo* principio effectivo *sit ea species*, *an scilicet a* Christo (*nempe tradente se ut manducandum*, *ita cernendum*, *&* *attrectandum sub* specie panis) *an a præsumtis illis* quantitate, albedine &c. *Sicut nec est ejusdem facultatis visivæ judicare*, *vel discernere*, *an species albi sit a* nova *cadaveris* albedine, *an a* veteri, *quæ erat in vivente*, *item ab* homine, *an ab* angelo *apparente in specie hominis* (a). Itaque, nisi demonstraverit Cl. Adversarius, non quæ in externis sensoriis a pane, & a vino impressiones fiunt, sed quæ illorum corporum substantiæ *reales affectiones* inhærent, illud esse, quod *visu*, *gustu*, *olfactu*, & *tactu* ab sentiente anima ante consecrationem *immediate* percipiebatur; in ævum stabit, sensus ipsos non decipi, dum *eadem* prorsus tam post, quam ante consecrationem illis apparet *figura*, eademque *albedo*, idem *odor*, & *sapor*, tametsi nihil prorsus panis, qui ante consecrationem habebatur, ea peracta, supersit. Et sane, si, ut præclare monet S. Augustinus, *non solum oculi*, *sed etiam omnes corporis sensus ita renunciant*, *ut afficiuntur*, *quid ab eis amplius exigere debeamus ignoro* (b). *Injustum est enim*, eodem teste, *ab eis exigere*, *plusquam possunt* (c).

At vero (pergit laudatus P. Maignan) *si cui visum fuerit*, ut forte videbitur Cl. Adversario, aliisque etiam, *sensuum in hoc deceptionem esse aliquam*, *ex eo quod in Eucharistia sensibus exhibetur immediate percipienda species panis*, *non ea*, *quam facit*, *atque emittit connaturaliter panis*, *sive quantitas*, *albedo*, *aliaque panis accidentia sensibilia*, *sed ea*, *quam semoto pane*, *semotisque ejus accidentibus*, *Christus*, *sive Deus supplens*, *facit supernaturaliter*; *&* *simul visum fuerit*, *istius*

(a) In appendice *de speciebus Eucharisticis* n. 43. ad cap. 33. *Philos. naturæ*.

(b) Lib. *de vera Religione* n. 62., *alias* cap. 33.

(c) Lib. III. *contra Academicos* n. 26., *alias* cap. 12.

istius generis deceptionem esse talem, ut omnino dedeceat hujus sacramenti dignitatem, sitque propterea arcenda, restitutis panis accidentibus: si cui, inquam, *ita visum fuerit,*

Dicam cum eodem celeberrimo Auctore, me non satis videre, *cur non ibi quoque sit suo modo, & quidem de se multo fœdior* deceptio, *ex eo quod in eodem sacramento sensibus eisdem exhibetur non id, quod ex vi sensitivæ externæ perceptionis existimatur, sive interius judicatur exhiberi, sed aliud quid maxime ab eo diversum: nempe exhibetur non substantia panis, sed Christi Domini corpus. Quia tamen deceptionis posterius istud genus tum Ecclesia post D. Thomam in eo rithmo admittit, ex quo* visus, tactus, gustus in te fallitur; *tum necessarium omnino fuit ad sacramenti veritatem, non est inconveniens, ut prius illud alterum genus deceptionis toleretur; cum id sacramenti veritati minime officiat, sed solum eam tegat (& quidem tegat aptissime) quam omnino tegi fuit necessarium ex institutione Dei. Et vero si aliqua circa hoc religione tenemur, longe majus piaculum est admittere deceptionem in sensu interno, qui præcipuus, imo solus proprie, & vere sensus est, quam admittere in oculo, & manu, aliisque externis organis. At in sensu interno manifeste ac necessario cogimur admittere eam deceptionem; cum evidenter non minus decipiatur in hoc sacramento (quantum ad existimatam panis materialis veritatem superstitem) homo prout animal, atque etiam prout rationalis præcise, idest prout nondum fide illuminatus, quam deciperetur brutum, quatenus æque homini, ac bruto subtrahitur veritas ejus, quod sub tali specie albi, sapidi &c. solet præberi, quodque verius, nempe ut* quod, *ab illis percipi solet, quam percipiatur albedo, sapor* &c. *quia hæc nonnisi ut* quo *percipiuntur* (ut cum iis loquar, cum quibus disputo) panis *autem secundum se percipiatur ut* quod. *Imo quia D. Thomas per ipsummet D. Thomam explicandus est, non sane ille putat esse* deceptionem, *ubi pro* accidentibus, *ut dicitur,* quantitatis, albedinis &c. *eorumque* speciebus *naturaliter impressis, ponuntur eorundem, seu potius ipsius panis, ut* albi, *ut* sapidi &c. *solæ a Christo, seu Deo miraculose impressæ* species. *Asserit enim clare S. Doctor* 3.p.q.76. art. 8. *non esse* deceptionem, *quando (apparente, ut aliquando factum est,* carne, *vel* sanguine, *vel* puerulo *in Eucharistia)* formatis divinitus speciebus, immutantur oculi tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, aut puerum. *Item non putat esse* deceptionem, *quando Christus apparuit in* specie peregrini &c. *Si vero non est* deceptio, *dum divinitus a Christo formantur* species *non propriæ* Christo, *sed* carni, sanguini, puero, peregrino &c. *quæ ratio est, ut dicatur* deceptio, *dum æque divinitus, ab eodem scilicet Christo,*

 seu

seu Deo formantur species, *non ipsius Christi propriæ, sed panis, in cujus nimirum specie sicut vult manducari a fidelibus, ita & vult eisdem apparere* (a). Constat igitur (concludit Vir Cl.) *nullam sensibus* deceptionem *fieri ex eo quod sentienda eis exhibeatur in Eucharistia species impressa* panis albi &c. *non vero* quantitas, *ut dicitur, aliqua ex pane superstes, item* albedo &c. *Non, inquam, in hoc, vel ex hoc* deceptio *fit ulla sensibus; quia de* quantitate, albedine &c. *quid rei sint, vel an sint, vel quomodo sint, non judicant sensus, quatenus ad summum non excipiunt, nisi* speciem *quantitatis (si qua est ea quantitas) impressam; item nonnisi* speciem *albedinis (si qua ea est albedo) impressam* &c. *At non minus excipiunt* speciem *(quam ego dico) impressam* panis quanti, *item* speciem *impressam* panis albi &c. *quam* speciem quantitatis &c. *adeoque non minus istam excipientes immunes sunt a* deceptione, *quam excipientes illam* (b). Addit porro, & recte quidem, *quod potius deciperentur sensus, si forte judicarent, se* quantitatem, albedinem &c. *residuas accidentales percipere sensibiliter: fallarentur*, inquit, *revera tunc, eo quod nulla talis in rebus est* quantitas, *vel* albedo &c. *ut puto satis a me probatum suis locis. Et saltem deberet adversarius probare prius hujusmodi* quantitatis, *&* albedinis &c. *veluti* formarum *e subjectis eductarum* existentiam *in rebus, & postea convenientius inferret fieri sensibus* deceptionem, *dum eis pro* quantitate, albedine &c. *sibi notis, exhiberetur percipienda sensibiliter* species *panis, ut* quanti, *panis ut* albi &c. (c).

I I.

116. Ita *secundo* argumentatur laudatus Auctor: *permanentia* realium accidentium *panis, & vini ante consecrationem non magis sensibus pervia est, ac nota, quam sit permanentia* realium *eorundem* accidentium *post consecrationem, ut certum est. Atqui permanentia* realium accidentium *panis, & vini ante consecrationem est certissima, ac infallibili sensuum experimento comprobata. Quis enim ante consecrationem* panis motum, figuram, molem, *seu* trinam dimensionem *(ut verbis utar adversariorum) suo sensu non percipit, vel percipiendo, sapienter de illorum existentia, ac reali permanentia dubitare audebit? Quod enim sensibus constanter apparet, omnibus, & semper, verum est, ne Authorem naturæ, ipsum Deum, etiam erroris, ac falsitatis inducat Authorem. Permanentia igitur* realium accidentium *panis, & vini post consecrationem est certissimo, ac infallibili nostrorum sensuum experimento comprobata.*

(a) Loco citato n. 44., 45. 46.
(b) Ibidem n. 51.
(c) Ibidem n. 52.

probata: quæ cum ſit ab omnibus, ac ſingulis, & ſemper eadem claritate percepta ſenſibus, in dubium ſapienter revocari non poteſt (a).

℞. *primo*, argumentum nimis probare. Evincit enim, non *accidentia* tantum, verum & ipſam panis *ſubſtantiam* poſt conſecrationem remanere. Sic namque confici poteſt argumentum ex eo ipſo principio, cui uni tota Cl. Adverſarii ratiocinatio innixa eſt: *quod ſenſibus conſtanter apparet, omnibus, & ſemper, verum eſt, ne Authorem naturæ, ipſum Deum, etiam erroris, ac falſitatis inducat Authorem.* Certum eſt autem, non minus ante, quam poſt conſecrationem, ſenſibus noſtris conſtanter id apparere panem, quod in Euchariſtia exiſtit. Ergo ſi, quod ſenſibus conſtanter apparet, adeo verum, etiam cum de Euchariſtia diſſeritur, habendum a nobis eſt, ut, quemadmodum ille ait, *in dubium ſapienter revocari non poſſit*, dicamus oportet, non tantum *accidentia* panis, ſed etiam illius ſubſtantiam, conſecratione peracta, remanere. Profecto non diſſimili argumento utuntur Lutherani, ut evincant, nullam in hoc ſacramento *tranſubſtantiationem* fieri, ſed illum ipſum panem in eo manere, qui ante conſecrationem habebatur.

Dicet forte Vir Cl., objectum ſenſuum non eſſe *ſubſtantiam*, ſed tantum *accidentia*; & ideo de illis tantum habere locum axioma: *quod ſenſibus conſtanter apparet, verum eſt.*

Sed contra: quia licet ſenſus nonniſi circa *accidentia* verſentur, ipſaque ſola, ſenſuum miniſterio, a nobis percipiantur, indubia tamen res eſt, nos uti teſtimonio ſenſuum, non ſolum ut de *accidentibus*, verum etiam ut de ipſa corporum ſubſtantia, ſive natura pronuntiemus. Conſtat enim, *aurum* a nobis dici, in quo *accidentia* auri, *argentum*, in quo argenti *accidentia* deprehendimus, & ita porro de ceteris. Ergo, quamvis ſola *accidentia* ſint objectum ſenſuum, dicendum tamen eſt, vel non ſufficere ſenſuum teſtimonium, ut panis *accidentia* in Euchariſtia remanere, tuto dicamus; vel etiam *ſubſtantiam* panis, ſi illorum teſtimonio ſtare *abſolute* velimus, in hoc ſacramento, penitus contra fidem, admitti oportere. Hinc S. Thomas ita canit in rithmo ad ſacram Euchariſtiam: *viſus, tactus, guſtus in te fallitur*, ut ſcilicet nos moneret atque inſtrueret, de tanto ſacramento ex teſtimonio ſenſuum minime eſſe judicandum.

℞. 2. *negando ſuppoſitum*, cui hæc tota objectio innititur, videlicet ipſa corporum *accidentia*, ſive *qualitates*, ſeu *affectiones* eſſe id, quod, inſtar objecti, nobis in ſenſatione occurrit, & a nobis, dum ſentimus, immediate percipitur. Satis namque oſtendimus (§.38.),

 non

(a) Diſſert. laudatæ *pag.* 24.

non objectum extra nos positum, a quo sensoria immutantur, sed passionem, sive motionem in ipsis sensoriis ab eo excitatam, illud esse, quod anima nostra sentiendo percipit, & percipiendo sentit. Quæ igitur non magis ante, quam post consecrationem sensibus nostris pervia sunt, ac nota, non sunt, ut dicitur, & pro certo habetur in argumento, *realia accidentia* panis, & vini, sed tantum certæ quædam motiones, in organis ipsorum sensuum a pane, & a vino ante consecrationem, post consecrationem vero a Christo Domino excitatæ, per quas deinde ipsæ panis, vinique affectiones sentienti animæ repræsentantur. Hallucinatur propterea Vir Cl., dum ait, *permanentiam* realium accidentium *panis, & vini ante consecrationem esse certissimam, ac infallibili sensuum experimento comprobatam*; hallucinatur, inquam, si putat, affectiones panis, & vini ante consecrationem ita a nobis per sensus percipi, ut illæ in se sint immediatum objectum *quod* ipsius perceptionis. Fallitur quoque, dum ait, neminem *ante consecrationem* panis motum, figuram, molem, *seu* trinam dimensionem *suo sensu non percipere*, neque *percipiendo* posse *sapienter de illorum existentia, ac reali permanentia dubitare*: fallitur, dico, si id memorato eodem sensu intelligat. Ante consecrationem quippe non aliud nobis certum est, neque aliud infallibili sensuum testimonio comprobatum habemus, nisi a pane, & a vino eas motiones in sensoriis nostris excitari, quas tunc percipimus. Nemo similiter ante consecrationem eas impressiones suo sensu non percipit, quæ in externis sensoriis factæ sunt, & fiunt a panis *motu*, *figura*, & *dimensione*; neque potest aliquis, dum hasce impressiones percipit, sapienter dubitare, quominus impressiones ipsæ a pane, & a vino proveniant. Cum enim certi simus, circa panem ante consecrationem nullum prorsus factum esse miraculum, nullamque illusionem tunc in nobis contingere, sed naturaliter fieri, quæcunque tunc fiunt, non est, cur ne vera sint de pane, quæ de illo ex ejus actione percipimus, vel levissime dubitemus. Quoniam autem etiam post consecrationem eædem in sensoriis nostris impressiones fiunt, quæ in illis ante consecrationem agebantur, judicandum quidem esset ex testimonio sensuum, non aliud, nisi panem, tunc etiam haberi; verum, cum Divina autoritate nobis certissime constet, tunc non haberi panem, sed corpus Christi, dicere & firmiter credere debemus, ibi non esse amplius, quod antea ibi erat, sed aliud omnino diversum, quamvis ob similes impressiones in sensoriis factas idem prorsus esse videatur. Concedimus itaque Cl. Adversario, sensus nostros eodem penitus modo, quo ante, etiam post consecrationem immutari; & ideo, quod est in

Eu-

Euchariſtia poſt conſecrationem, non poſſe, miniſterio ſenſuum, ab eo diſcerni, quod ante conſecrationem nobis obiiciebatur. Sed negamus, exiſtentiam *realium accidentium* inferri hinc poſſe, niſi primo demonſtret Vir Cl., ſine illis non poſſe fieri, ut eodem modo tam ante, quam poſt conſecrationem ſenſus noſtri afficiantur. Concedo etiam, verum eſſe, quod ſenſibus conſtanter apparet. Perſuaſum tamen ſimul habeo, Cl. Adverſarium mihi quoque conceſſurum, poſſe in Euchariſtia conſtanter apparere panem, quin propterea verum ſit, ibi eſſe panem; & ideo vulgatum illud: *verum eſt, quod ſenſibus conter apparet*, ita eſſe intelligendum, ut ſit ſenſus, *quod ſenſibus conſtanter apparet, tale reipſa eſſe, quale illis apparet*, ſi tale appareat ſenſibus, quale, nullo prorſus interveniente miraculo, ſed tantum ſpectatis naturæ viribus, illis ipſum appareat, neceſſe eſt.

III.

117. *Opponit* Cl. P. Boucat, & quidem *primo*, miracula ſine ulla neceſſitate in hoc ſacramento a nobis multiplicari. *Etenim*, inquit, *ſi juxta Peripateticos accidentia ſint abſoluta, unicum ſolummodo* (miraculum) *admittitur, quo nempe Deus, facta conſecratione, ſuſtentat quantitatem panis, & vini, cui quidem quantitati aliæ omnes qualitates, & modi inhærent*. At vero, ſi accidentia nihil aliud ſint, quam impreſſiones divinitus factæ in ſenſibus noſtris, *tot erunt admittenda miracula, quot erunt homines unam videntes hoſtiam, & aſpicientes; imo tot miracula in uno homine patrari neceſſe eſt, quot diverſæ in diverſis ſenſibus impreſſiones fiunt. Igitur miracula ſine neceſſitate in hoc ſyſtemate multiplicantur* (a).

℞. *neg.*, a nobis multiplicari miracula ſine neceſſitate. Neque enim id ex eo legitime ſequitur, quod, admiſſa *quantitate*, quæ & diſtinguatur a *ſubſtantia*, & ſit reliquorum omnium *accidentium* immediatum ſubjectum, unum ſufficiat miraculum ad ſalvandum, quomodo in Euchariſtia non ſit panis, & tamen panis in ea haberi videatur; contra vero in noſtra hypotheſi tot admitti debeant miracula ad ſalvandam eandem illam panis apparentiam, *quot ſunt homines unam videntes hoſtiam*; imo tot, *quot diverſæ in diverſis ſenſibus impreſſiones fiunt*. Quæ ſiquidem nos urget neceſſitas ad tot miracula admittenda, ratio illa eſt, qua demonſtravimus, *quantitatem* corporum non eſſe *entitatem abſolutam* ab illorum ſubſtantia *realiter* diſtinctam, neque

(a) Tom. VI. *Theol. Patrum* P. II. Diſſert. III. ſect. 3. *pag.* 429. edit. laudatæ.

que *sensibiles* eorundem *qualitates* esse *accidentia absoluta*, nempe *entitates* ejus naturæ, quæ sine substantia, quam afficiunt, existere divinitus possint. Primo ergo hanc, quam ipsi negamus, evincat P. Boucat, esse *quantitatis*, ceterarumque *sensibilium qualitatum* naturam, & tunc fateri cum illo non dubitabimus, miracula sine ulla prorsus necessitate a nobis multiplicari. Moneo solum, ad ponendam *quantitatem* distinctam a *substantia*, & *sensibiles* corporum *qualitates* ejus naturæ stabiliendas, cujus eas esse volunt Scholastici, minime sufficere, multa in hoc sacramento hinc vitari miracula, illudque humano captui magis accommodari. Quandoquidem, si valeret hæc ratio, dicendum esset, *absoluta* ipsa *accidentia* etiam naturaliter existere posse sine subjecto, & corpus *locali* sua *extensione*, *entitativa*, ut ajunt, non amissa, naturæ viribus posse privari; cum certe, hisce positis, plura circa Eucharistiam explicentur, quin ad Divinam extraordinariam potentiam recursus fiat (a). In hoc itaque sacramento nihil negotii facessere nobis debent miracula; cum in nulla hypothesi illud valeat sine miraculis explicari, & jure quidem. Est enim Eucharistia, inquit doctissimus Bellarminus, *memoriale omnium miraculorum* (b).

IV.

118. Opponit ille *secundo*, Recentiorum opinione admissa, nullam amplius fieri posse *realem fractionem* in Eucharistia, quam tamen fieri, certum est. *Hac enim facta hypothesi*, inquit ille, *nihil frangitur in divisione hostiæ, quæ fit in Missa. Non quidem corpus Christi; de eo enim canit Ecclesia:* nulla rei fit scissura, signi tantum fit fractura. *Neque etiam frangi potest substantia panis; jam enim nulla superest, ut fides docet. Relinquitur igitur, quantitatem panis, & vini, facta transsubstantiatione, remanere, quæ sit accidens absolutum, proprio denudatum subjecto, cujus ope pro more frangi possit hostia in sacrificio* (c).

℞. *primo*, non esse adeo certum, *realem* esse *fractionem*, quæ in hostia consecrata peragitur, ut, qui eam nonnisi *apparentem* dixerit, censendus sit perperam in fide sentire. Fuisse olim, qui de *Eucharistica fractione* ita opinarentur, quin de religione propterea apud illos actum fuerit, testatur Magister Sententiarum. Inquit enim: *quibusdam*

(a) Vide Scotum in IV. *senten.* Distin. XI. q. 3.

(b) Lib. III. *de sacramento Eucharistiæ* cap. 9.

(c) Loco citato.

dam placet, quod non sit ibi fractio, sicut videtur, sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus obiicitur, quod ait Ambrosius: nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in Magorum præstigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse, quod non est. *Ad hoc illi dicunt: non fallit nos visus, nec fallitur, quod esset, si crederetur, ita frangi, ut videtur. Nec illusio est; quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit, sicut & Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini; nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent* (a). Itaque, sicuti panis apparet, quod nobis in Eucharistia traditur, licet panis revera non sit; ita videtur, fractionem in ea fieri, quamvis reapse nulla ibi fractio peragatur: uno verbo, nonnisi *apparenter* frangimus, quod nonnisi *apparenter* est panis; & ideo sicuti nullum requiritur *accidens absolutum*, ut Christus Dominus sub panis *specie* in Eucharistia nobis appareat, ita nullo haud dissimili *accidente* opus est, ut, quod in illa existit, frangi videatur.

Sed contra arguit P. Picinardus. *Ubi*, inquit, *non apparens, sed verus, & realis adest fractionis terminus, ibi* vera, *&* realis, *nedum* apparens *fractio est. Sed in sacramento adest verus, & realis fractionis terminus, scilicet multiplicatio positionum corporis Christi in diversa pixide, in qua collocatur, vel in diverso hominum ore, quibus communicatur, aliter nec ibi* realiter, *sed* apparenter *existere diceretur corpus Christi, neque istis* realiter, *sed* apparenter *communicaretur, quod hæreticum est. Ergo & fractio* vera, *&* realis *esse debet* (b).

℞. *disting. ma*: ubi non *apparens*, sed *verus*, & *realis* adest fractionis terminus, ibi *vera*, & *realis*, non autem tantum *apparens* habetur fractio, si ille terminus vere & realiter per ipsam fractionem producatur, *concedo majorem*; si vere ille non producatur per ipsam fractionem, *nego majorem*; & *distinguo minorem*: multiplicatur realis præsentia Corporis Christi per fractionem, ita ut fractio sit vera & realis illius multiplicationis causa, *nego minorem*; ita ut fractio non sit vera & realis causa illius multiplicationis, *concedo minorem*, & *nego consequentiam*. Fateor, veram & realem debere esse fractionem, per quam non apparenter tantum, sed vere & realiter aliquid producitur; sed nego, realem illam esse debere, si nihil reale per eam fiat. Ita res se habet, loquendo de præsentia sacramentali Christi Domini, quæ per fractionem *specierum* dicitur multiplicari. Multipli-

(a) Lib. IV. *Sententiarum* Distin. XII.
(b) De imputato Scholasticis studio effræni in Aristotelem *cap.* VII. §.2.

plicatur quidem ſacramentalis poſitio Corporis Chriſti in loco, dum *ſacramentales* panis *ſpecies* frangi videntur; efficiens tamen illius multiplicationis cauſa non fractio, ſed Deus ipſe eſt. Is nempe ſicuti efficit ſua omnipotenti virtute, ut, quod in Euchariſtia nobis panis apparet, Sacerdotum manibus frangi videatur; ita ille ipſe efficit ſolus, ut, dum videtur frangi, quod a nobis in illa conſpicitur, præſens reapſe fiat pluribus ſimul locis, quod, nempe Corpus Chriſti, ſub illis *ſpeciebus* ineffabiliter deliteſcit.

Neque porro ex hoc, quod fractio *ſpecierum ſacramentalium* ponatur tantum *apparens*, timendum eſt propterea, ne quis falſo putet, Chriſtum Dominum neque *realiter* eſſe in hoc Sacramento, neque *realiter* nobis in illo tradi, ſed dumtaxat *apparenter*; quandoquidem, cum ad realem Chriſti præſentiam in Euchariſtia perinde ſit omnino, ut vidimus (§ 104.), ſive *ſpecies* panis, & vini, ſub quibus ille nobis in ea traditur, ſint, ſive non ſint *accidentia abſoluta*, vel nihil prorſus periculi circa fidem de reali præſentia Chriſti Domini in hoc ſacramento timendum eſt, ſola admiſſa fractione *apparente*; vel idem prorſus periculum timendum eſt etiam, poſita fractione *reali*. Et ſane, licet ſola externorum ſenſuum immutatione factum fuerit, ſicuti viſum eſt ex S. Thoma, ut Chriſtus Dominus appareret in Euchariſtia ſub *ſpeciebus vivæ carnis*, *pueri*, vel *ſanguinis*; nemo tamen dubitare jure poteſt, quominus *vere*, *realiter*, & *ſubſtantialiter* Chriſtus in illa tunc exiſteret. Ergo, ratione non diſſimili, quamvis non *realiter*, ſed tantum *apparenter* frangantur *Euchariſticæ* panis *ſpecies*, non propterea licet ambigere, quominus Chriſtus Dominus *vere*, *realiter*, & *ſubſtantialiter* in hoc Sacramento habeatur.

Urget tamen laudatus P. Picinardus: *ſine nova*, inquit, *reali conſecratione non incipit de novo eſſe Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus altaris. Sed juxta hoc ſubterfugium ita inciperet ſine nova conſecratione per ſolam apparentiam fractionis. Ergo prædictum ſubterfugium nequit amplius ſuſtineri* (a).

℞. *primo*, hoc argumentum ita poſſe in ſuum Auctorem retorqueri: *ſine nova reali conſecratione*, inquit ille, *non incipit de novo eſſe Corpus Chriſti ſacramentaliter ſub ſpeciebus altaris*. Sed fractio *realis*, perinde omnino atque *apparens*, non eſt nova conſecratio; neque per illam nova conſecratio fit, quemadmodum nova conſecratio per fractionem *apparentem* nequaquam efficitur. Ergo neque per fractionem *realem*, ſicuti id non contingit per *apparentem*, poteſt Chriſti Corpus eſſe ſub *ſpeciebus* altaris ſine nova conſecratione; & ideo vel etiam fra-

(a) Loco citato.

fractio *realis*, vel neque *apparens*, merum effugium est, neque potest sustineri.

℞. *secundo, permissa majori, neg. minorem.* Sicuti enim ideo, positis *absolutis* Scholasticorum *accidentibus*, nova consecratione opus non est, ut Christus Dominus, dum illa *realiter* franguntur, sub singulis eorundem partibus totus existat, quia per *realem* illam fractionem Christus ipse non incipit esse sub parte aliqua, sub qua ante fractionem non erat: ita eadem plane ratione consecratio nova non requiritur, ut sub apparentibus apparentis hostiæ partibus, quæ per *apparentem* fractionem a se mutuo separari videntur, Christus ipse vere sit, nobisque se prodat. Etenim neque in hypothesi de fractione *apparente* Christus Dominus sub aliqua apparente apparentis hostiæ parte existere incipit, sub qua ante *apparentem* illam fractionem non haberetur. Universaliter enim nova consecratione tunc solum est opus, cum nova habetur panis, vinique substantia in Christi Domini corpus, & sanguinem convertenda.

℞. *secundo* ad objectionem principalem, non requiri *accidentia absoluta*, ut vera & realis fractio in Eucharistia peragatur. Pervetusta enim, si credimus Magistro Sententiarum, sententia est, *corpus Christi essentialiter frangi & dividi, & tamen integrum & incorruptibile existere* (a). Ita certe senserunt olim Walterius Abbas S. Victoris Parisiensis, Abbaudus itidem Abbas, Odo Episcopus Cameracensis, Guitmundus Archiepiscopus Aversanus, & Algerus, occasionem nacti sic opinandi ex illa fidei formula, quam in Concilio Romano sub Nicolao II. profiteri compulsus fuit Berengarius, suoque subscripto nomine, juramento firmare. Fassus namque ille est, *panem, & vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum Corpus, & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse; & sensualiter non solum sacramento, sed in veritate manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri.* Cum enim Corpus Christi Domini manibus Sacerdotum tractari & frangi *sacramento*, perinde sit, ac illud tractari & frangi in iis *speciebus*, sub quibus latet, consequens videtur, ut Corpus illud a nobis tractari & frangi, atque atteri fidelium dentibus *in veritate*, non sit aliud, nisi illud manibus Sacerdotum tractari, & frangi, & fidelium dentibus atteri in sua *substantia*, quin idcirco integrum esse desinat & incorruptum. Berengarii itaque confessione præmissa, ita contra Petrum Abaelardum, qui sola panis *accidentia*, ut modo in Scholis dicitur, frangi in Eucharistia arbitrabatur, in primis scribit Walterius: *Iste Scholasti-*

(a) Lib. IV. *Sententiarum* Distin. XII.

sticus (Abaelardus scilicet) sic *exponit*: vere quidem, *ait*, est (*nempe corpus Christi tractari, & frangi*), sed in sacramento tantum. *Item ait*: sane dici potest fractio illa, & partitio non in *substantia* corporis, sed in ipsa *forma* panis *sacramentali* fieri, ut vera fractio, & partitio sit ibi, quæ fit non in *substantia*, sed in *sacramento*, id est, in *specie* .... Ideoque illa Berengarii verba ita distinguenda sunt, ut, *sensualiter* non modo *sacramento*, sed *in veritate* dicatur corpus Christi tractari manibus Sacerdotum, frangi quoque, & atteri dentibus. Vere quidem, sed in *sacramento* tantum. Vera est igitur ibi attritio, & partitio. *Ecce* (urget Vualterius) *dum catholicam fidem, nulla prorsus distinctione indigentem, solitis sibi argumentationibus distinguit, alterum se probat Berengarium. Nam sicut ille asserebat:* omnia fiunt, sed in sacramento tantum; *ita & hic. Ille vero correctus addidit sacramento, & fractioni, attritioni etiam dentium* veritatem, *quam negabat; iste contra in omnibus* veritatem *subtrahit, dum asserit omnia fieri non in* substantia, *sed in* specie visibili, *&* forma *panis, &* sacramento *tantum* (a). Injuste tamen Vualterius, ut recte observat Cl. P. Natalis ab Alexandro (b), ait, Abaelardum se tunc alterum Berengarium demonstrasse. Non enim ille, ut Berengarius, *realem* Christi Domini *præsentiam* in Eucharistia inficiatus est; non *realem conversionem* totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi negabat; sed tantum opinabatur, quemadmodum S. Thomas (c), S. Bonaventura (d), ceterique demum Scholastici *absoluta accidentia* admittentes, tuta fide cum Sententiarum Magistro deinde docuere, *fractionem illam, & partitionem non in* substantia *corporis, sed in ipsa* forma *panis sacramentaliter fieri* (e). Abbaudus vero hæc habet: *secundum fidem Evangelii, quod dicit*: Benedixit, ac fregit; *Apostoli quoque, qui dicit*: Panem, quem frangimus; *Lucæ autem* Evangelistæ, *qui dicit*: Panis fractionis, *contestante nihilominus spirituali ratione fultus, corde credo, ore confiteor ad salutem, quia* veraciter *corpus Christi manibus* frangitur *Sacerdotis. Hic mihi* (pergit ille) *forte insultatur ab illis, qui noverunt, Christum a dextris Patris sedere, non utique dimidium, aut debilem, sed totum integrum. Quasi vero Apostolus, cum diceret*: Panis, quem frangimus, communicatio corporis Domini est, *oblitus fuerit, de quo toties*

(a) Lib.III. contra quatuor Labyrinthos Franciæ, nempe *Abaelardum*, *Petrum Lombardum*, *Petrum Pictavensem*, & *Gilbertum Porretanum* cap.11.

(b) Tom.VI.*Hist. Ecclesiastic*ę Dissert.I. in historiam seculi XI, & XII.artic.13.

(c) P. III. q. 77. artic. 7.

(d) Super IV. *Sententiarum* Distin. XII. artic. 3. q. 2.

(e) Magister *Sententiarum* lib. IV. Distin. XII.

ties memoraverit, quod ſedet ad dexteram Patris, oblitus fuerit, de quo cum tanta conſtantia dixit, quod reſurgens a mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. *Quomodo ergo de uno eodemque corpore quæritur, quod integrum maneat in cælo, & frangatur in terra? Hic maxime apparet, quod ſuperius dixi, ideo Apoſtolum, & Evangeliſtam verbum* fractionis *præcipue poſuiſſe, ut hoc ſua auctoritate firmaretur, unde facilius cor humanum dubitaret. Valde enim ſibi ipſi adverſa videtur aſſertio, cum de uno eodemque corpore prædicatur, quod integrum maneat, & frangatur. Sed has anguſtias non patitur humana inopia. Divinæ autem potentiæ metas præfigere non valet humana infirmitas, etſi conetur temeritas. Quæ enim impoſſibilia ſunt apud homines, poſſibilia ſunt apud Deum. Alioquin numquid hoc ſolum de Chriſti corpore aſſeritur humanæ rationi contrarium, & juxta legem humanorum corporum impoſſibile? Nonne de eodem corpore aſſeritur, quod per nativitatis ſuæ myſterium ad humanos oculos clauſo utero Virginis exivit, & ad diſcipulos ejus per reſurrectionem clauſis januis introivit, ſeque ipſum & palpabile, & tamen incorruptibile demonſtravit? Ecce tria, ut hoc jam non ſit ſolum, ſed quartum eorum, quæ ratio non comprehendit; fides tamen divinæ potentiæ concedit.* Sed quantum alienus fuerit Abbaudus ab illorum approbanda opinione, qui dicunt, fractionem Euchariſticam in ſolis panis *ſpeciebus* fieri, luculentiſſime oſtendunt verba, quibus huic ſuo opuſculo finem ille imponit. *Cogitaveram*, inquit, *& illis aliqua reſpondere, qui dicunt, ipſum corpus non frangi, ſed in* albedine *ejus, &* rotunditate *aliquid factitari; ſed recogitans, ineptum eſſe in Evangelio Chriſti de* albedine, *&* rotunditate *diſputare, amaturis talia auribus dimovens, Dialecticis, aut certe pueris talia permiſi; præſertim cum quivis facile videat,* albedinem, *ſeu* rotunditaten *ab ipſo corpore, quod vel* album, *vel* rotundum *eſt, ſeparari non poſſe, ita ut ab ipſo non fracto, hæc per ſe ſingulariter non frangantur. Et revera quid opus cuique fideli in fide ſua hac circuitione verborum* (a)? Odo autem Cameracenſis Epiſcopus, exponens illa verba, quæ in Miſſæ canone dicuntur: *Benedixit, ac fregit*, exclamans ait: *O miraculum! frangebatur inter digitos, ſedens incolumis inter diſcipulos. Erat integer, & dividebatur in partes; in manibus tenebat ſeipſum, & de manibus Diſcipulis ſe porrigebat edendum. Hoc ſignabat David, qui ſecundum aliam translationem* coram Achis rege in ſuis manibus ferebatur. *Sic nos quotidie Chriſtum in altari conſumimus, & permanet; manducamus, & vivit; atterimus dentibus, & integer eſt.*

 Con-

a) Tract. *de fractione Corporis Chriſti*, quem primo publici juris fecit doctiſſimus Mabillonius Tom. III. *veterum Analectorum* pag. 52.

Consumimus autem, manducamus, & atterimus non tantum specie, *sed &* re, *non solum* forma, *sed &* substantia (a). Guitmundus quoque, agens contra Berengarianos, qui nefas putabant, Christum dentibus atteri, *ego*, inquit, *in primis quaero, quid dicant, significare* atteri. *Si enim intelligunt* atteri, *velut* pressius tangi, *aut* fortius premi, *quaero quare non sit fas*, Christum dentibus atteri? *Nam si idcirco hoc ipsum non est fas, quia non possit fieri, eadem ratio est, quam de natura dicunt, scilicet quia natura non potest pati. Et mirum vana ratio! Nulla quippe rerum impossibilitas potest impedire voluntatem Dei. Deinde quare non possit dentibus premi, qui manibus Thomae & post resurrectionem potuit attrectari? Et sanctae mulieres, quibus occurrit post resurrectionem, scriptum est, quia tenuerunt pedes ejus. Nulla namque ratio est, ut non possit tangere dens, quod tangit manus. Nam sicut ad manus, ita & ad totum corpus pertinet tactus. Quare quidquid tangit manus, potest & toto corpore tangi; potest igitur & dentibus tangi. Porro quod potest vel leviter tangi, cum solidum corpus sit, cur non possit etiam fortiuscule tangi, quod est atteri? Si ergo corpus Domini post resurrectionem manibus Thomae Apostoli, & sanctarum mulierum potuit tangi, cur hodie a credentium dentibus non possit vel levius, vel pressius tangi, id est, atteri, nulla obstare ratio videtur* (b). Ita demum Algerus: *quod in Christi corpore permissum est malis ad suam damnationem, nec ignominiosum visum est Deo Patri propter nostram salutem, multo magis ipsi placitum, & gloriosum est, ut fidelium suorum manibus devote in sacramento frangatur, dentibus atteratur, sicut ipse praecepit in suam commemorationem, non ut in veritate quidem passionis, crucifixionis, mortis, ut supra dictum est; sed significante mysterio, ut ipse quidem fractus, & attritus, integer permaneat, & redemptionis suae gratia omnibus divisa proficiat* (c). Et ne quis dubitet, quominus eodem penitus sensu, quo Berengarius in memorata Romana Synodo fateri compulsus fuerat, ipse etiam tenuerit, Christi corpus fidelium manibus tractari, & frangi, eorumque dentibus atteri, confessionem, *quam* (inquit ille) *de hujus rei catholica fide* Berengarius scripsit, integram subiicit. Itaque si cui Scholasticorum non plane arrideat, *apparentem* dumtaxat esse *fractionem*, quae in Eucharistia peragitur, quemad-

mo-

(a) In exposit. *can. Missae* Distin. III. (Tom. XXI. *Bibliothecae* veterum Patrum *edit. Lugdun.* 1677. pag. 224.)

(b) Lib. I. *de veritate Eucharistiae* (Tom. XVIII. *Bibliothecae veterum Patrum* edit. laudatae *pag.* 442.)

(c) Lib. I. *de Sacramento corporis, & sanguinis Domini* cap. 19. (Tom. XXI. ejusdem *Bibliothecae* pag. 271.)

modum nonnisi apparenter est panis, qui nobis in illa exhibetur, habet ex modo traditis luculentissimis Veterum testimoniis, & quod magis urget, ex formula fidei Berengariana, quomodo illa fractio *vera* sit, & *realis*, quin aliquod *accidens absolutum*, necesse sit, in hoc sacramento propterea admittatur.

V.

119. Contendit *postremo* laudatus P. Boucat, Recentiorum posita doctrina de natura *qualitatum*, corruere prorsus penitusque convelli *Eucharisticorum accidentium* proprietates. *Accidentia enim*, inquit ille, *secundum communem opinionem* primo *possunt agere, & immutare externa corpora*. Secundo: *corrumpi valent*. Tertio: *ex iis vermes generari possunt*. Quarto: *nutrire queunt. At quomodo id præstarent accidentia, quæ non sunt nisi meræ impressiones in sensibus nostris factæ, quasi vero impressiones nutrirent, & ex iisdem vermes generentur* (a)?

℞. *Speciebus* panis *Eucharisticis* eas proprietates non competere, imo neque competere posse, quæ in argumento memorantur. Ad illarum siquidem primam quod spectat, non inficior, communem esse Scholasticorum opinionem, *absoluta* corporum *accidentia* posse agere, & externa corpora immutare. Verum simul persuasum habeo, res ut ita sit, nullatenus sufficere, Scholasticos ita sentire. Negamus itaque, non solum *Eucharisticas* panis *species* esse *accidentia absoluta*, sed etiam, si qua hujuscemodi *accidentia* in rerum natura existant, illud habere proprium, ut agere, & externa corpora immutare ipsa possint. Cum enim omnis actio corporea in motu unice consistat, nihilque corporeum valeat alteri communicare motum, nisi sit *impenetrabile*, consequens est, nullum *accidens* posse agere ex se, & externa corpora movere, nisi sit aliquod natura sua *impenetrabile*; ac proinde, nisi sit corpus (§. 19.). Hinc diximus supra, nullum *accidens absolutum*, si quod hujusmodi Scholasticis concedatur, posse ex ipsa sua natura a nobis immediate sentiri (§. 58.).

Ad *secundam proprietatem* quod attinet, videlicet *accidentia*, sive *Eucharisticas* panis *species* posse corrumpi, dico, ita nobis videri quidem, sed revera non ita esse. Corruptio enim, quæ in illis *speciebus* fieri apparet, vere in illis non fit, sed in substantia, quæ eo ipso memento ibi a Deo producitur, quo hostia, si non esset consecrata, corrumperetur. Sane, si hostia consecrata, in iis circumstantiis esset pe-

(a) Loco citato.

penitus incorruptibilis, in quibus eadem ipsa, si non esset consecrata, naturaliter corrumperetur, ex illa incorruptibilitate certissime, ut patet, nobis constaret, eam esse consecratam; possemusque propterea consecratam hostiam ab iis omnibus, quæ minime consecratæ sunt, cum fidei jactura discernere. Ut ergo maneat fides de tanto sacramento, substantiæ defectum supplet Deus, eam scilicet tunc ibi producendo, vel substituendo, cum prævidet, fore ut substantia panis, si ibi esset, naturaliter corrumperetur. Prætereundum porro silentio non est, Guitmundum, atque Algerum opinatos olim fuisse, corruptiones, quæ in Eucharistia fieri videntur, non esse *reales*, sed tantum *apparentes*. *Sicuti tunc*, inquit Guitmundus, *cum inter homines mortalis adhuc Christus viveret, circa ejus carnem agebatur, ita etiam quamdiu Ecclesia ejus usque ad consummationem sæculi mortalis erit, pro eadem utilitate Ecclesiæ, qua illa tunc fiebant circa ipsam eandem carnem, salva incorruptione ejus, tale quid specie tenus apparere potest, unde scandalizentur, & contenebrentur semper increduli; exerceantur autem, & illuminentur magis electi. Quapropter desinant homines mente corrupti, & putridi, corruptelam, & putredinem opponere Sacramentis Dei; quia sicut assumta peregrini, vel hortulani, vel leprosi species fidelium negligentiam vel increpavit, vel corripuit, vel fidem, dilectionemque probavit, veritatem tamen essentiæ Christi non evacuavit; ita si quando putredo, vel aliud simile indecens quid in Ecclesiæ sacramentis appareat, ad negligentiam ministrorum puniendam, vel corrigendam, vel certe ad fidem, dilectionemve probandam, ut diximus, valet; veritatem tamen essentiæ Dominicæ carnis, & sanguinis evacuare non potest* (a). Algerus quoque ait: *possunt* Eucharisticæ *species videri mucidæ, & putridæ, quamvis ita non sint, sicut Christus hortulanus, & peregrinus, prout erant intuentium mentes* (b). Hæc tamen opinio immunis ab omni censura non est, ejusque Auctores, quamvis a venerabili Petro Cluniacensi (c) ceteroquin apprime laudati, propterea notantur (d). Si enim non *realis*, sed tantum *apparens* esset *sacramentalium specierum* corruptio, sub illis etiam corruptis Corpus Christi existeret: quod Theologi, & jure quidem, nequaquam admittunt.

Ex hisce patet responsio ad tertium de *vermium generatione*. Omissa enim sententia Guitmundi, & Algeri, contendentium (e), uti mu-

(a) Lib. *II. de veritate Eucharistiæ* (Tom. XVIII. *Bibliothecæ Patrum* laudatæ edit. *pag.* 448.)

(b) Lib. *II. de sacramento corporis, & sanguinis Domini* cap. 1. (Tom. XXI. *Bibliothecæ Patrum pag.* 277.)

(c) Lib. *de sacrificio* in initio.

(d) Vide Bellarminum, *de Script. Ecclesiasticis*: de Guitmundo, & Algero.

(e) Locis citatis.

mucedinem, & *putrefactionem*, ita & *vermes*, qui ex consecratis hostiis quandoque nasci videntur, *reales* non esse, sed tantum *apparentes*, dico, vel generari illos vermes ex substantia, quam Deus eo ipso momento ibi creat, quo naturaliter corrumperetur hostia, ex eaque vermes nascerentur, si non esset consecrata; vel, & fortasse melius, vermes illos oriri ex ovulis, qui aut præfuerunt in pixide ante consecrationem, aut consecratione peracta in eam vel deciderunt ex aere, vel volitantes muscæ in illa, imo & super ipsas consecratas particulas deposuerunt. Nec enim alia naturalis vermium generatio est, ut jure ac merito post Cl. Vallisnerium pro comperto habent recentiores Philosophi, & satis in Physica demonstravimus (a); neque multiplicari debent miracula sine necessitate.

Non secus demum respondendum videtur ad quartum de *nutritione*, quæ in nobis fit, assumtis pluribus hostiis consecratis. Dicendum nempe est, nutritionem eam fieri per substantiam ab ipso Deo tunc immediate productam, ne scilicet fides de tanto sacramento in nobis deficiat, quemadmodum dubio procul deficeret, si ex consecratis hostiis minime nutriremur. Putat quidem Guitmundus, & post ipsum Algerus (b), quibus consentit Thomas Waldensis (c), nutritionem illam penitus esse miraculosam. Sed hæc opinio communi calculo a Theologis reiicitur, quod nulla scilicet necessitas occurrat, quamobrem tam grande miraculum admittatur.

Me tamen, ut verum fatear, cohibere non possum, quin stupendum dicam, argumentum hoc, ex vermium scilicet generatione, & humana nutritione desumtum, adhiberi a P. Boucat, aliisque etiam, ut *absolutorum accidentium* existentiam contra Recentiores evincant. Vel enim putant illi, ex ipsa suorum *accidentium* entitate, tamquam ex præexistente *materia*, formari vermes, & homines nutriri; vel ipsis quoque persuasum est, novam *substantiam*, sive *materiam* tunc a Deo produci, ex qua deinde vermes illi naturaliter fiant, & hominis nutritio perficiatur. Non certe primum eos dicturos puto. Repugnat enim, ut ex *accidentibus*, tamquam ex *materia*, nova *substantia* producatur. Dicent ergo secundum. At si hoc, manifeste apparet, illa *accidentia* penitus esse frustranea, nisi forte velint Viri illi doctissimi, *absoluta accidentia* requiri, ut substantia tunc a Deo producatur: quo certe nihil absurdius.

ANI-

(a) Tom. IV. *Physicæ* §. 4877.
(b) Locis citatis.
(c) Tom. II. *de sacramentis* cap. 62.

ANIMADVERSIO I.

120. Animadvertendum tamen est, idque velim alte animo infigatur, sacratissimum Christi corpus (eodem modo etiam de sanguine ratiocinare) non ideo tantum sub *localibus* hostiæ *dimensionibus*, atque *figura* nobis in hoc sacramento se prodere, quod in oculorum nostrorum fundo imaginem efficiat, illi omnino æqualem, ac prorsus similem, quam naturaliter in eodem fundo depingit hostia non consecrata; sed præterea quia *revera*, *omni* scilicet *seclusa*, *omnique neglecta sensoriorum immutatione*, *Corpus illud sanctissimum tanto præcise spatio* realiter *in Eucharistia præsens est*, *quantum ab illa hostia*, *antequam consecraretur*, *reapse occupabatur*. Nulla etenim repugnantia in hoc esse potest, quæ etiam Scholasticos ex æquo non premat. Illorum siquidem admissa doctrina, corpus Christi sub superstite hostiæ *quantitate* totum, & totaliter est; ac proinde non majori spatio illud reapse tunc præsens existit, quam revera ab ea *quantitate* repleatur. Ergo etiam omni rejecta superstite *quantitate*, tanto præcise spatio, quantum replet hostia non consecrata, *vere*, & *realiter* præsens ex æquo illud esse potest. Neque enim, ut etiam dictum est alibi ex Doctore Subtili, *species sunt ratio formalis corpori essendi hic; quia non sunt* formaliter *in corpore Christi*, *nec per eas aliquid inest* formaliter *corpori Christi* (a).

SCHOLION I.

121. Modum hunc existendi, quem tribuimus Christi corpori in Eucharistia, æquo animo ferre nequit P. Uldaricus Weis Benedictinus Ursinensis. *Quod enim*, inquit, *aliqui Philosophi eousque deveniant*, *ut a corpore Domini idem sub eadem figura*, *& dimensione repleri*, *occuparique spatium*, *quod a pane consecrato videtur occupari*, *atque repleri*, *defendant*, *vix absurdius quidquam in ipsa Scholastica hypothesi videtur occurrere. Equidem si Christus tantumdem*, *& idem ejusdem figuræ prorsus spatium occupet*, *quod ab hostia consecrata teneri sensoria perhibent*, *ut corpus Christi monstruoso modo præsens sit necesse est; erit diminutum in extensione*, *compressum in latitudine &c. adeout pedes sacerrimi tantumdem a capite distent*, *ac inter se scapulæ; thorax cum tergore compressissimus*, *totum corpus undique fere circulare*, *& adeo sacratissima membra necessario jam compenetrata*, *jam laxata*, *& distenta*

(a) Super IV. Sententiarum Distin. X. q. 3.

ſtenta immaniter, ſi cum aliis conferantur, id quod horrent alioquin admittere Autores illi. Quæ, & quam portentoſa configuratio Theandrici corporis, ſi in quaſcunque quarumcunque figurarum particulas, & atomos fere vel caſu diſſiliat hoſtia, vel diffringatur temere? Taceo abſurdia grandia, & innumera, quæ ex illa declivi alveo fluunt hypotheſi, præ quibus ſatius videretur Scholaſticam hypotheſim amplecti, modo extenſionem localem per ſoliditatem diſerte explicarent, eamque a Divino corpore tolli permitterent, hoc eſt, immane myſterium, & Ternarium Divinæ unitatis prope ſuperans, ſacramentum non affectarent reddere vel mirabilius, portentoſiuſque, vel obſcurius. Certe quæ, & in quantum ſoliditas glorioſo corpori competat, neſcimus, cum neque glorioſi corporis ideam concipere, aut efformare poſſimus; & ſic magno Sectariorum numero accidimus frequentes Doctrinam Eccleſiæ cavillandi occaſiones, nempe tanto, quantus eſt, qui realem, veramque Corporis Chriſti, pane tamen, vinoque ſuperſtite, præſentiam credunt; ex alio enim capite præſentia Corporis Chriſti aſſeri debet, ex alio ceſſatio panis, & vini; neque enim ideo, quia Chriſtus hic præſens eſt, ſequitur panem abeſſe debere, quod eſt manifeſtum (a). Hæc ille. Verum juſtene, an injuria, ſuſcepti muneris ratio poſtulat, accuratius, quo fieri a nobis poteſt, expendamus.

I.

122 Primo itaque videtur, negari a Viro catholico tuta fide non poſſe, *ſacratiſſimum Chriſti Corpus ita in Euchariſtia exiſtere, ut tanto præciſe ſpatio præſens in ea ſit, quantum vel replet hoſtiæ quantitas, ſi remanet poſt conſecrationem, ut placet Scholaſticis, vel quantum ab illa ante conſecrationem replebatur, ſi, ut videtur Recentioribus, nihil prorſus reale panis, conſecratione peracta, ſuperſit.* Certiſſima namque res eſt, totum Chriſtum *vere, realiter*, ac *ſubſtantialiter* ſub *ſpeciebus* conſecratæ hoſtiæ contineri. Id enim a Tridentino Concilio expreſſe definitum eſt (b). Hoc autem verum eſſe nequit, niſi Chriſti Corpus in Euchariſtia ſit vere & realiter præſens tanto præciſe ſpatio, quantum ante conſecrationem ab hoſtia occupabatur, ſive quantum *Euchariſticæ ſpecies*, ſub quibus latet, occupare videntur. Niſi enim Corpus illud ſanctiſſimum eſſet *vere*, & *realiter* præſens illi ſpatio, non eſſet in Euchariſtia *vere*, *realiter*, & *ſubſtantialiter*, quemadmodum Concilium definit. Niſi vero totum ipſum Corpus eſſet præſens

(a) Lib. *de emendatione intellectus humani* P. I. cap. 5. *notæ in §.* 165. *pag.* 172. edit. typis Chriſtiani Starck Kauſtburani, 1747.

(b) Seſſ. XIII. cap. 3., & can. 3. *de Euchariſtia*.

toti illi spatio, totus Christus, ut est etiam ab eodem Concilio determinatum, sub *speciebus Eucharisticis* non haberetur. Nullum quippe corpus sub velo *totum* est, nullus liquor *totus* vase continetur, si qua vel minima illorum pars extra velum, atque vas habeatur. Igitur verum esse non potest, totum Christum *vere, realiter, & substantialiter* in Eucharistia contineri, quin sit verum, *totum illius Corpus tanto præcise spatio præsens in ea existere, quantum ante consecrationem occupabat hostia, & post consecrationem species sacramentales occupare videntur;* & ideo vel illud primum negandum est, quod a Viro catholico negari tuta fide non potest; vel etiam hoc alterum ab omnibus, qui catholicæ fidei dogmata profitentur, sine ulla prorsus hæsitatione est admittendum.

I I.

123. Hinc vel nulla sunt absurda, quæ contra hanc positionem Corporis Christi in Eucharistia opponit Cl. P. Weis, vel ea nos cogunt, ut realem Christi Domini præsentiam in hoc Sacramento cum Calvino, Zuinglio, ceterisque sacramentariis inficiemur. Opponit, ut vidimus, Vir Cl., necessario futurum, hac admissa positione Christi Domini in Eucharistia, ut illius Corpus sanctissimum sit *diminutum in extensione, compressum in latitudine, adeout pedes sacerrimi tantumdem a capite distent, ac inter se scapulæ; thorax cum tergore* sit *compressissimus; totum Corpus* sit *undique fere circulare, & adeo sacratissima membra necessario jam compenetrata, jam laxata, & distenta immaniter*. Contra ergo sic conficitur argumentum: Corpus Christi vel potest esse præsens in Eucharistia tanto præcise spatio, quantum *Eucharisticæ* panis *species* occupare videntur, quin sit *diminutum in extensione, compressum in latitudine*; quin illius *pedes sacerrimi tantumdem a capite distent, ac inter se scapulæ;* quin *thorax cum tergore sit compressissimus*; ac demum quin evadat *undique circulare*, & quin *sacratissima* ejusdem *membra sint compenetrata, laxata,* & *distenta immaniter*: vel nequit Corpus illud sanctissimum hoc modo existere in Eucharistia, nisi hæc absurda sequantur. Si nequit: ergo, cum *vere, realiter,* & *substantialiter* Christus Dominus existere in Eucharistia non possit, nisi ejus Corpus illo modo in ea existat, sequitur, negandam esse cum sectariis *realem* Christi *præsentiam* in hoc Sacramento, ne tot, tamque enormia absurda in Christi Corpore admittere cogamur. Si vero potest: ergo fucum facit P. Weis, dum contra doctrinam, quæ illi non placet, absurda opponit, quæ, ea ad-

mis-

missa, nequaquam, ut ipse veluti certum tradit, necessario sunt sequutura.

III.

124. Non est porro, cur miremur, nihil absurdius visum fuisse P. Weis ea præsentia, quam Corpori Christi in Eucharistia existenti ipsi tribuimus. Persuasum quippe illi est, omnino repugnare, ut corpus *entitative* extensum sit in loco vel penitus inextenso, vel cujus dimensiones sint longe minores dimensionibus ipsius corporis; quin *entitativa extensio* corporis ejusdem aut penitus tollatur, aut proportionaliter reipsa minuatur: uno verbo, repugnare ille putat, ut minui, vel tolli queat *localis* corporis *extensio*, quin itidem *extensio* ejusdem *entitativa* aut pereat tota, aut pari proportione decrescat. Inquit enim: *uti vero Scholæ accidentia sine substantia conservare sic melius, quam Ægyptii mumias suas norunt, sic & facili negotio substantiam omnibus accidentibus spoliant: præclarius specimen, quam facile ipsis sine mente loqui sit vix exhiberi potest, quam in Corpore Christi Theandrico sub speciebus Eucharisticis latitante; ajunt, illud retinere quantitatem, ejusque effectum primarium, extensionem nempe partium in ordine ad se, seclusa tamen extensione in ordine ad locum: non cunctantur, fateri Christum hic esse præsentem, nec tamen esse in loco. Quid est autem, quæso, illud extendi in ordine ad se, & in ordine ad locum? vi extensionis in ordine ad se partes sunt extra partes, pes extra caput &c., quid est hoc extra? an sibi vult tantum, pedem non esse caput? an etiam ad situm pertinet, itaut pes extra caput realiter situs sit? Quod si nonnisi distinctionem capitis a pede portendat ea phrasis, præterquamquod occasio sit falsæ illusoriæque ideæ, vi cujus in mente excitandæ, proprie loquendo, pes extra caput non est, sed corpus Domini velut in glomum monstruosum convolutum, atque contractum vix corporeo modo præsens dici potest, & caput intra pedem, & vicissim pes intra caput, & sic omnia reliqua membra intra se mutuo continerentur. Si vero positum caput extra pedem est: ergo situm caput extra pedem est, per mera synonima loquor: ergo ibi caput non est, ubi pes est: ergo alibi est: ergo in alio loco est: ergo inter pedem, & caput designabile spatium est, quod thorax, truncusque corporis Theandrici occupat: ergo extensum corpus Christi in ordine ad locum etiam eo ipso est, quod in ordine ad se extensum est* (a).

Verum enimvero an hæc doctrina P. Weis digna jure ac merito sit, quæ aliqua censura notetur, judicet ille, *qui toti Ecclesiæ præest, ut sic ejus sententia a tota Ecclesia teneatur* (b). Moneo solum, videri, non

(a) Loco citato *pag.* 169. (b) S. Thomas 2. 2. *q.* 1. *artic.* 10.

ita facile eam posse cum Ecclesiæ doctrina componi. Certo certius est enim, utpote a Tridentino Concilio expresse definitum (a), totum Christum sub *speciebus* consecratæ hostiæ contineri; & ideo ita sub illis esse, ut, quemadmodum supra ostendimus, nihil prorsus illius extra ipsas *species* habeatur. *Communis* est etiam *Scholarum, & Ecclesiæ sententia*, inquit Card. Bellarminus, *in Eucharistia totum Christum existere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, excepta relatione ad locum cœlestem, quam habet, ut est in cœlo, & iis, quæ ad existentiam in eo loco consequuntur: & contra in cœlo totum Christum existere cum magnitudine, & omnibus accidentibus, excepta relatione ad species panis, quam habet, ut est in Eucharistia: & præterea corporis Christi partes, & membra non se penetrare, sed ita distincta esse, & disposita inter se, ut figuram, & ordinem habeant corpori humano convenientem .... Et hanc esse doctrinam Ecclesiæ* (prosequitur Vir celeberrimus) *dubitari non potest. Nam Ecclesia universa, ut patet ex Concilio Tridentino* Sess. XIII. can. I., *non solum corpus, & sanguinem, sed etiam animam, & Divinitatem, atque adeo totum Christum in Eucharistia esse docet* (b). Constat autem, animam non esse in corpore nisi disposito, & organis instructo; neque ex corpore, & anima hominem fieri, nisi illud fuerit organicum. Ergo vel Christus, prout in Eucharistia existit, homo non est, quod nefas est dicere, vel etiam prout est in illa, habet corpus organicum, adeoque extensum; cumque longe minori spatio in ea sit præsens, quam sit absoluta sui corporis magnitudo, sequitur, aut negandum a nobis esse, Christum Dominum *vere, realiter*, & *substantialiter* in Eucharistia existere; aut concedendum, minui divinitus posse, imo etiam penitus tolli *localem* corporis *extensionem*, quin *extensio* ejusdem *entitativa* itidem vel auferatur, vel decrescat. Hoc certe potissimum argumentum est, quo Calvinus primum, tum Petrus Martyr, ceterique demum sectarii, qui realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia insectati cum illis sunt, dogma catholicum inficiari nituntur. *Hæc est propria corporis veritas*, dicebat Calvinus, *ut spatio contineatur, & suis dimensionibus constet, ut suam faciem habeat. Facessat igitur stultum illud commentum, quod tam mentes hominum, quam Christum pani affigit* (c). Et Petrus Martyr: *videtur*, inquit, *implicare contradictionem, ut corpus trium cubitorum contineatur sub dimensionibus frustuli panis unius digiti; nam si ita fiat, erit idem corpus majus, & minus; ac proinde majus, & non majus respectu ejusdem*. Similiter: *si corpus Domini suam habet in Eucharistia*

(a) Sess. XIII. *cap.* III., & *can.* 3. *de Eucharistia*.

(b) Lib. III. *de sacram. Eucharistiæ* cap. 5.

(c) Lib. IV. *Instit.* cap. 17. §. 29.

ristia figuram, & partium distributionem, & ordinem: ergo distant pedes magis, quam pectus a capite. At distantia major, & minor sine relatione ad locum intelligi nequit; illa enim magis distant inter se, inter quæ majus intervallum interjectum est. Demum: *de essentia quantitatis est habere partem extra partem: ergo ubi est una pars, non est alia. Non igitur tota quantitas corporis Domini in eadem hostiæ particula esse potest* (a).

Non sum nescius, etiam Gassendo, & P. Maignan id visum fuisse captu apprime arduum, ne dicam ferme impossibile. *Hæc* (nempe *posse partes unius corporis* v. g. *Christi Domini in Eucharistia, constitui simul penetrative omnes intra unam quantumvis minimam, imo in loco indivisibili, retenta nihilominus tota illa extensione, quam ex vi quantitatis habet in ordine ad se*): *hæc*, inquit P. Maignan, *fateor tam esse subtilia, ut captum meum omnino fugiant; neque enim aliquando potui conceptum formare rei tam evidenter implicatoriæ* (b). Gassendus vero, postquam dixit, *nihil aliud* esse *quantitatis essentiam, quam* externam, *ut vocant, extensionem, mihi crede*, inquit, *si sit ulla partium extensio in ordine ad se, non fit hoc absque eo, quod illæ sic positæ sint, uc una hanc, alia illam loci partem possideat, adeo ut si situalem hanc, & ordinatam in loco extensionem sustuleris, non possint partes ullum ordinem retinere inter se, sed necessario prorsus confundantur* (c). Fateor & ipse, ne quid dissimulem, hanc corporis positionem in loco, per quam scilicet illud careat *extensione locali*, retenta *entitativa*, humanæ mentis captum prorsus excedere. Verum certo certius una simul habeo, id nequaquam sufficere, ut illa positio corporis in loco ne ipsi quidem Deo possibilis censeatur. Neminem quippe esse arbitror, qui eo dementiæ devenerit, ut id dumtaxat velit esse possibile, quod humana mens percipere potest; id vero penitus impossibile, quod comprehendere ipsa non potest. Dare ergo ne dubitemus, ut loquar cum S. Augustino ad Volusianum, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigare non posse* (d); eosque idcirco omnes perperam argumentari, qui ex hoc uno inficiantur, posse corpus *locali extensione* privari, vel ipsam in illo minui, retenta, neque imminuta *entitativa*, quod minime id ipsi valeant mente complecti. Satis tamen non video, quamobrem Corpus Christi manens *extensum quoad se*, nequeat sine contradictione existere in loco vel penitus inextenso, vel longe minoris extensionis, quam illud sit in seipso; possit vero, quin aliqua hinc sequatur contradictio esse

(a) Lib *contra Gardinerum* object. 74.
(b) Philos. *entis* cap. VIII. num. 16., & 17.
(c) Lib. II. *Exercit. Paradoxicarum* ad vers. Aristotel. *exercit.* 3. nu. 10.
(d) Epist. 137. n. 8. alias 3. cap. 2.

esse *organicum* in cœlo, & simul *non organicum* in hostia consecrata; illic possit habere suas partes extra se invicem positas, hic vero easdem ipsas habere simul compenetratas, ac veluti ad punctum redactas; illic demum possit esse *quantum*, hic veto carere *quantitate*, licet *quantitas* ab ipsius corporis substantia *realiter* non distinguatur (§. 46.). Ii certe omnes, quibus molestiam creat distinctio illa *extensionis quoad se*, & *quoad locum*, velint nolint, fateri alterutrum debent, aut scilicet Corpus Christi, nullatenus imminuta *entitativa* sua *extensione*, posse in Eucharistia tanto præcise spatio esse præsens, quantum ante consecrationem ab hostia occupabatur; aut Corpus illud sanctissimum simul esse *organicum* in cœlo, & *non organicum* in Eucharistia; illic habere partes extra se invicem positas, hic eas habere inter se compenetratas; illic demum esse *quantum*, hic vero *quantitate* carere. Vidit Gassendus, rejecta illa distinctione duplicis *extensionis* vulgo in Scholis traditæ *quoad se*, & *quoad locum*, necessario dicendum fore, partes omnes corporis Christi revera esse in hoc sacramento *secundum substantiam, at non habere eam extensionem, distinctionem &c. quam habent in cœlo*; simul tamen ingenue fassus ille est, non propterea a nobis posse percipi, quomodo in ipso sacramento *nulla sit confusio partium corporis Christi*. Unde hisce verbis finem fecit Vir Cl. difficillimæ disceptationis: *solum adorandum censeo incomprehensibilem Dei majestatem, & potentiam, Auctorem puta operis tanti, cujus ego intelligendi, perscrutandique sim incapax* (a). Quamdiu ergo P. Weis nodum tantum non solverit, tamdiu dicam, omnino injuste eos omnes ab illo irrideri, qui ajunt, nihil prorsus pugnæ, quod vinci divinitus non possit, in eo esse, ut sacratissimum Christi Corpus, retenta eadem ipsa *magnitudine entitativa*, & *organica* partium *dispositione*, quam habet in cœlo, sit in Eucharistia *vere*, *realiter*, & *substantialiter* præsens tanto spatio dumtaxat, quantum ab hostia ante consecrationem occupabatur. Et si id nequeat P. Weis mente comprehendere, alte sibi animo infigat præclara illa verba Abbaudi Abbatis, quem alio etiam loco laudavimus, videlicet: *de illo corpore* (nempe Christi in Eucaristia) *secundum legem aliorum corporum ratiocinari velle, viventem cum mortuis quærere est. Desinat ergo homo, qui proprii corporis infirmitates investigare, atque enumerare non sufficit, de Dei corpore alta sapere; discat humilibus consentire. Meminerit quod quidam sapiens cum de eo loqueretur, dixit*: ET IN PLURIBUS OPERIBUS EJUS NE FUERIS CURIOSUS (b).

125.

(a) Lib. *Exercit. Paradox.* exercit. III. n. 11.
(b) Tract. laudato *de fractione Corporis Christi* in fine.

I V.

125. Longe majus tamen negotium mihi facessit, quod postremo loco habet Vir Cl., *ex alio nimirum capite præsentiam Corporis Christi* (in Eucharistia) *asseri debere, ex alio cessationem panis, & vini*, sive *non ideo quia Christus hic præsens est, sequi, panem abesse debere*. Si namque ex alio capite asserenda sit præsentia realis Corporis Christi in Eucharistia, ex alio desitio panis, adeo nimirum ut non ideo panis in illa deficiat, quia Christus Dominus vere in ea præsens existit, sequitur, dogma *transubstantiationis* ex illis verbis Christi Domini: HOC EST CORPUS MEUM (a) quibus ejusdem præsentia realis in Eucharistia ostenditur, contra sectarios demonstrari non posse; & ideo errasse olim veteres Patres, & modo eos omnes Theologos falli, qui ad demonstrandum catholicum *transubstantiationis* dogma laudatis Christi verbis utuntur, probantque, illa verba Christi non posse esse vera, nisi panis substantia in Christi Corpus, illorum vi, convertatur, eaque tota in hoc Sacramento deficiat. Sequitur etiam, neque Patres Tridentinæ Synodi aliquam a nobis mereri fidem, dum agentes de hoc Sacramento aperte dixere, QUONIAM *Christus Redemptor noster Corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit*; IDEO *persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, idque nunc denuo Sanctam Synodum declarare, per consecrationem panis, & vini conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam Corporis Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus* (b). An itaque liberum sit Viro catholico, non sentire tantum, verum & aperte docere, ex alio capite asserendam esse *realem præsentiam* Christi Domini in Eucharistia, ex alio *cessationem panis, & vini*, sive *non ideo quia Christus* in hoc Sacramento *præsens* est, propterea *abesse panem*, aliorum esto judicium.

Miror tamen, a Viro Cl. id *manifestum* dici; cum ne ipsi quidem sectariorum primipili tantum audeant. Lutherum primo audiamus. Is ergo ex laudatis verbis Christi eo compulsus a Catholicis, ut vel Christo denegaret fidem, vel desitionem substantiæ panis in Eucharistia fateretur, respondit: *ego sane si non possum consequi, quomodo panis sit Corpus Christi, captivabo tamen intellectum meum in obsequium Christi, & verbis ejus simpliciter inhærens, credo firmiter, non modo Corpus Christi esse in pane, sed panem esse Corpus Christi* (c). Hinc Zacha-

(a) Matthæi cap. XXVI. v. 26.
(b) Seff. XIII. cap. 4.
(c) Lib. *de Captiv. Babylonica* cap. *de Eucharistia*.

Zacharias Ursinus Hidelbergensis, *Lutherani*, inquit, *accusant Christum mendacii; negant enim, panem esse ipsius corpus, sed dicunt, corpus esse in pane. Videant igitur, quomodo in extremo judicio de hac blasphemia sint Christo responsuri. Papistæ magis retinent verba Christi* (a). Calvinus quoque, urgens Lutheranos, fatetur, verba illa Christi: HOC EST CORPUS MEUM, obvio proprioque sensu sumi non posse, quin *transubstantiatio* necessario inferatur. *De Papistis*, ait ille, *non loquor, quorum tolerabilior, vel saltem magis verecunda est doctrina........Si opinio ex his duabus eligenda esset, mallem nos præsentiam Christi sub speciebus, & accidentibus credere, quam cum Zuinglianis veram & realem præsentiam contra tam aperta Christi verba negare* (b). Salmasius demum adversus Grotium, *si ad litteram*, inquit, *accipiantur verba Christi, ut debere accipi contendunt doctissimi Lutherani Theologi, longe magis doctrinæ Pontificiorum favent, quam Lutheranæ. Dixit Christus*: HOC EST CORPUS MEUM, *cum panem traderet. Ergo non amplius* panis *est*, *sed* Corpus Christi, *ut ille, qui veritas est, affirmavit* (c). Tam longe itaque a vero est, posse *manifestum* dici, quemadmodum ait P. Weis, *non ideo quia Christus hic præsens est, abesse panem*, ut ii etiam, qui *transubstantiationis* vocabulum ne audire quidem possunt, vel negent realem præsentiam Christi in hoc Sacramento, ne desitionem substantiæ panis cogantur in illo admittere, vel fateantur inviti, minime ab se posse intelligi, *quomodo panis sit Corpus Christi*.

Non inficior, fuisse olim inter Scholasticos, qui opinaretur, conversionem substantiæ panis in Corpus Christi non omnino ad evidentiam posse ex S. Scriptura ostendi. Ita sensisse dicuntur Scotus, Ochamus, Cameracensis, Paludanus, Argentinas, aliique. Sed aliud est, dogma *transubstantiationis* non posse ad evidentiam ex S. Scriptura demonstrari; aliud vero, *esse manifestum*, ut ait P. Weis, *non ideo, quia Christus hic præsens est, panem abesse*. Primum ipse etiam doctissimus Bellarminus dicit *non esse omnino improbabile* (d). Alterum negabunt Catholici omnes, quod persuasum illis sit cum laudato Viro Cl., dogma *transubstantiationis* tanta evidentia ex S. Scriptura evinci, quanta, ut ille ait, *potest cogere hominem non protervum* (e). Accedit etiam, eodem teste, *quod licet in verbis Domini esset aliqua obscuritas, vel ambiguitas, ea tamen sublata est per multa Concilia Catholicæ Ecclesiæ, & Patrum consensum* (f). Neque porro omit-

(a) Miscell. *cathec.* 7.
(b) Refutat. *consensus Orthodoxorum*.
(c) Pag. 516.
(d) Lib. III. *de Sacramento Euchar.* cap. 23.
(e) Ibidem.
(f) Ibidem cap. 19.

omittendum puto, hæc tantum ad rem præsentem pertinentia haberi apud Scotum, quem unum ex memoratis Scholasticis consulere potui: *non videtur*, inquit ille, *expresse haberi* (in Scriptura) *non esse ibi* (scilicet in Eucharistiæ Sacramento) *substantiam panis* (a). Ex quibus, nisi vehementer fallar, liquido apparet, Doctorem Subtilem non favere opinioni P. Weis. Loquitur enim Scotus non *absolute*, sed *dubitanter* (ait quippe, *non videri*), atque insuper non *docendo*, sed *opponendo*, ait, conversionem panis *non haberi expresse*, hoc est, plane ad evidentiam, in S. Scriptura; at vero P. Weis *manifestum esse* dicit, *ex alio capite realem præsentiam* Christi in Eucharistia *asseri debere, ex alio cessationem panis, & vini; neque ideo quia Christus hic præsens est, abesse panem*. Itaque, ut finem prolixæ digressioni imponam, caveat P. Weis, ne, quemadmodum ipse non veretur irridere Aristotelicos, quod *Aristoteles loco veteris Testamenti, & Thomas novi Evangelista* ipsis sit (b), ita neque illi piaculum ducant, ejus doctrinam, veluti Religioni non plane consonam, criminari. *Nam*, ut præclare scripserat Tullius, *qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi* (c).

SCHOLION II.

126. Dixeram in prima hujusce meæ Dissertationis editione (d), *Corpus Christi tanto præcise spatio in hoc Sacramento* realiter *præsens existere, quantum ab hostia ante consecrationem occupabatur, & ab ipso corpore occuparetur, si reipsa quoad* entitativas *suas* dimensiones *esset hostiæ non consecratæ æquale*. Id non arridet Cl. P. Ferrari. Proinde ut illud oppugnet, respondet, *Christi Corpus sub Eucharisticis speciebus non esse in loco circumscriptive, sed definitive; &* ideo *non esse in loco, sicuti locum replebat hostia non consecrata* (e). Sed fallitur Vir Cl. *Primo* namque, doctrinam illam meam ut oppugnet, satis non est, ipsam absolute inficietur, sed demonstrare debet, in quonam illa sit a vero aliena: debet nempe ostendere, quamobrem dici non possit, Corpus Christi tanto præcise spatio in Eucharistia præsens revera existere, quantum *Eucharisticæ* panis *species* occupare videntur. *Verbis non credimus* (dicebat ipse respondens Recentioribus, negantibus *formam substantialem absolutam* in corporibus, quæ carent vita). *Argumen-*

(a) Super IV. Sententiarum Distin. XI. q. 3. §. *Hæc duo* &c.

(b) In Opere laudato P. I. cap. 4. n. 137. *pag.* 143.

(c) Lib. I. *de natura Deorum* cap. 3.

(d) §. 103.

(e) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. pag. 217. *ad secundum*.

mentis probare oportet, quod gratis dicitur (a). Grave igitur illi ne sit, si iisdem ipsis verbis & ipse hoc loco utar. Fallitur *secundo*, dum præsentiam, quam in Eucharistia tribuimus Corpori Christi, a *circumscriptiva* non distinguit. Negat enim, ideo illud esse præsens in Eucharistia tanto spatio, quantum ab non consecrata hostia replebatur, quia, inquit, *Christi Corpus sub Eucharisticis speciebus non est in loco circumscriptive*. Ipsum autem tunc falli, dico. Nam corpus esse in loco *circumscriptive*, est illud ita commensurari loco, cui præsens est, ut, quantum est corpus, tantus sit locus, quem occupat; & quot sunt partes in corpore, totidem sint partes loci, quibus illæ respondent. Hoc autem modo non esse in loco Corpus Christi, per hoc quod sit præsens tanto spatio, quanto præsens erat hostia ante consecrationem, neminem fore puto, qui non videat. Nescius quoque, ut arbitror, nemo est, alterum horum modorum existendi in loco ex altero non posse inferri. Etenim, cum etiam in hypothesi Scholastica de remanentia *quantitatis* panis in hoc Sacramento, Corpus Christi præsens in eo sit, ut vidimus (§. 103.), tanto præcise spatio, quanto præsens erat hostia non consecrata, in illa quoque hypothesi dicendum esset, Corpus Christi, in Eucharistia existens, esse in loco *circumscriptive*. Peccat *postremo*, dum ait, Christi Corpus sub *speciebus Eucharisticis* esse in loco *definitive*. Communis quippe Theologorum sententia est, Corpus Christi Domini in hoc sacramento non esse in loco *circumscriptive*, nec *definitive*, sed *sacramentaliter*. Non *circumscriptive*, propter rationem paulo antea traditam. Neque *definitive*; quia, ut ait S. Thomas, *sic non esset alibi, quam in hoc altari, ubi conficitur hoc sacramentum* (b). Esse enim in loco *definitive* est taliter ibi esse, ut quod in eo est, simul non sit alibi, sive, quemadmodum habet Cl. Iuenin, *ut alibi simul esse non possit* (c). Superest ergo dicamus, sacratissimum Christi Corpus (quod etiam de ejusdem sanguine dicendum est) esse in Eucharistia *sacramentaliter*, nempe tali ratione, *quam etsi verbis*, ut sapienter monet Concilium Tridentinum, *exprimere vix possimus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata assequi possumus, & constantissime credere debemus* (d). Quod si esse in loco *definitive*, perinde omnino sit Viro Cl., ac *definiri certo quodam spatio, ita, ut*, quemadmodum ait doctissimus Bellarminus, *in toto illo sit, & non in majori* (e), nolo *de nomine*, ut vulgo dicitur, litem cum illo movere; unde concedo,

(a) Ibidem Disp. I. q. 1. *pag.* 21.
(b) P. III. q. 76. artic. 5. *ad primum.*
(c) Dissert. IV. *de Eucharistia* q. 4. cap. 2. artic. 4.
(d) Sess. XIII. cap. 1.
(e) Lib. III. *de Sacramento Eucharistiæ* cap. 4.

cedo, *Corpus Christi sub Eucharisticis speciebus esse in loco definitive.* Consideret tamen P. Ferrari, serioque animadvertat, modum hunc existendi in loco nullatenus cum eo pugnare, quem Corpus illud sanctissimum in Eucharistia habere contendo. Testis sit laudatus Card. Bellarminus. Inquit enim, statim post verba modo relata: *hoc modo Corpus Domini in qualibet hostia potest dici esse* definitive; *quia est in tanto spatio, quantum occupat hostia consecrata, & non in majori* (a): quo certe an aliquid clarius dici possit ad nostram summi alicujus Theologi auctoritate confirmandam opinionem de modo, quo Christus Dominus in Eucharistia existit, prorsus ignoro.

SCHOLION III.

127. Definit quidem Tridentina Synodus (b), in venerabili Eucharistiæ sacramento sub *singulis* hostiæ *partibus totum Christum contineri*; sed cum addat: *separatione facta*, nihil prorsus inferri hinc potest, quod jure prohibeat, quominus dicamus, sacratissimum Christi Corpus præsens esse in Eucharistia tanto spatio dumtaxat, quantum, quæ manent *species* panis, occupare videntur. Sequitur enim, inquit Auctor præclari operis *de re sacramentaria* inscripti, *fidei non esse*, ante separationem factam, *totum Christum sub qualibet hostiæ particula contineri; atque adeo, salva fide defendi posse, quod habeat corpus ejus actualem extensionem* (c).

ANIMADVERSIO II.

128. Considerandum præterea est, non solum *locales dimensiones*, sub quibus Corpus Christi Domini in Eucharistia *realiter* delitescit, iis esse æquales, sub quibus erat hostia ante consecrationem; verum etiam Corpus illud sanctissimum ita in hoc sacramento existere I. *ut vere & realiter eodem ipso pondere premat subjecta corpora, quo ante consecrationem naturaliter ab hostia premebantur*. II. *ut lumen ex illo loco regerat quoquoversus, eadem ratione modificatum, qua ex eodem loco, scilicet ex hostiæ superficie, ante consecrationem reflectebatur*. III. *ut circumambientem aerem, quæque in eo sunt salina, sulphurea, alteriusve cujusque generis corpuscula, eodem modo ex illo loco moveat, nerveasque sensoriorum nostrorum fibras iis ipsis legibus ex ipso loco Divina sua virtute vellicet, atque percellat, quibus aer ipse, latentia in eo corpuscula,*

(a) Lib. III. *de Sacram. Eucharistiæ* cap. 4.
(b) Sess. XIII. *can.* 3.
(c) Lib. IV. q. 6. sect. 1. cap. 4. §. 2.

& nervæ sensoriorum fibræ ab non consecrata hostia naturaliter movebantur. Ut enim ex Angelico Doctore alibi etiam monuimus, *erroneum est dicere, Deum non posse facere per seipsum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcunque causam creatam; unde, cum corpora moveantur immediate a causis creatis, nulli debet venire in mentem, quin Deus possit movere immediate quodcunque corpus* (a). Hinc nonnulla sequuntur, maxime in hoc negotio consideranda.

COROLLARIUM I.

129. Sequitur primo, *Christum Dominum ita in Eucharistia existere, ut, habita ratione tum* spatii, *cui realiter præsens est, tum* modi, *quo ex illo Divina sua virtute operatur, ab hostia non consecrata ipsum discernere nulla penitus ratione possimus*.

COROLLARIUM II.

130. Sequitur secundo, *sensibilitatem panis, sub qua in hoc sacramento Christus latet, non esse* mere extrinsecam, *hoc est, unice positam in organorum, quæ sensationibus inserviunt, immutatione, cujusmodi est* sensibilitas *angeli sub* specie alati juvenis, *& fuit* sensibilitas *ipsiusmet Christi sub* specie hortulani, *&* peregrini; *sed præterea illam esse aliquo modo* intrinsecam, *sive* formalem, *&* objectivam. Est enim Christus Dominus in hoc sacramento instar panis, non tantum quia sensoria nostra, panis instar, immutat & afficit; verum etiam quia, nulla habita sensuum ratione, omnique illorum immutatione seclusa, I. *non majori spatio vere, realiter, & substantialiter ille in hoc Sacramento præsens est, quam occupet hostia non consecrata*. II. quia *eodem pondere premit subjecta corpora, quo a non consecrata hostia naturaliter premi solent*. III. quia *eodem plane modo ex illo loco agit in circumambientem aerem, & in reliqua, quæ illi spatio circumstant, corpora, quo hostia, antequam consecraretur, ex eodem loco operabatur*. Hinc

COROLLARIUM III.

131. Sequitur tertio, *Christum Dominum esse in hoc sacramento instar panis, sive sub panis* sensibilitate, *quamvis in sensoriis nostris nulla earum motionum fiat, quæ* naturaliter *a pane excitari in illis solent*.

(a) P. I. q. 105. *artic.* 2.

COROLLARIUM IV.

132. Demum, quoniam nullum requiritur *accidens absolutum*, neque ut Christus Dominus sit præsens tanto præcise spatio, quantum replebat hostia ante consecrationem; neque ut ex illo loco ea omnia immediate ipse efficiat, quæ ex eodem efficeret hostia non consecrata, relinquitur, *hæc omnia vera esse de Christo etiam in clausa pixide existente, quamvis nullum detur accidens absolutum, sub quo ille in ea delitescat*. Unde manet,

COROLLARIUM V.

133. *Nullum* absolutum accidens *necessario requiri, ut Christus in Eucharistia, etiam dum clausa pixide continetur, sub* panis sensibilitate *vere proprieque existat; penitusque sufficere, reseretur pixis, ut panis instar ille nobis appareat.*

SCHOLION.

134. Dixi, ut in prima, ita in hac altera hujusce *Dissertationis* editione, *sensibilitatem panis, sub qua Christus in Eucharistia existit, non esse mere* extrinsecam, *hoc est, dependentem a sola externorum sensoriorum immutatione; sed esse certo modo* intrinsecam, *&* obiectivam, *tametsi a nullo* absoluto accidente *proveniat*. Id non placet Cl. P. Ferrari, putatque Vir Cl., ab se mihi factum satis hoc ipso tantum, quod responderit, *formalem, & obiectivam sensibilitatem in sacramento altaris* a se *non intelligi, eo quod Christus Dominus præstet munera panis*, propterea nimirum quia *id omne ad efficientem causalitatem pertineat* (a). Sed fallitur. Non enim dixi, *sensibilitatem* panis, sub qua in hoc Sacramento Christus latet, ideo esse aliquo modo *formalem*, & *obiectivam*, quia Christus in illo *præstet munera panis*, hoc est, quia sensoria nostra panis instar afficiat; sed quia, omni secluso sensu, non majori loco in illo præsens existit, ac fuerat hostia ante consecrationem; eodem prorsus, quo hostia, pondere gravitat; eodemque modo ex illo loco lumen regerit, movetque circumambientem aerem, quo ab hostia non consecrata regerebatur lumen, & circumstans

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. I. *in* respons. *ad* 8. *objectionem* ad secundum *pag.* 217.

stans aer movebatur. Quod si velit Cl. Auctor, eam dumtaxat panis *sensibilitatem* dici posse *formalem*, & *objectivam*, quæ oritur ab *accidentibus absolutis*, bene ei sit, dummodo tamen liberum quoque relinquat Recentioribus, contra sentire. Nec enim, ut sæpius cum Tullio (a) dixi, tantum apud illos præjudicata opinio potest, ut etiam sine ratione valeat auctoritas.

DOGMA III.

135. Eucharistia est vere & proprie *Sacramentum*, non solum cum a fidelibus sumitur, verum etiam cum in clausa pixide asservatur. Id quoad utramque partem a Concilio Tridentino expresse definitum est. Anathema enim dixit S. Synodus tum contra eos, qui negaverint, *Eucharistiam esse vere & proprie Sacramentum* (b), tum contra illos, qui temere effutierint, *in hostiis, seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur, vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini* (c).

Hypothesis VI.

136. Certum puto, tuta fide dici posse, id, quod in Eucharistia habet rationem *Sacramenti*, esse ipsum Corpus, & Sanguinem Christi Domini, quatenus sub *speciebus panis, & vini* in illa existunt. Ita inter alios profecto non paucos tenent Juenin (d), Tourneli (e), & Auctor præclari Operis *de re sacramentaria* (f), a quo etiam dicitur, id constare *ex communi Patrum loquendi more, sensuque ipso fidelium, nec quidquam in contrarium facere Scholarum subtilitatem* (g).

PROPOSITIO X.

Absolutis Scholasticorum accidentibus opus necessario non est, ut Eucharistia tam extra, quam intra pixidem posita, in eaque latens, sit vere & proprie sacramentum.

137. *Probatur*. Ut Eucharistia sit vere & proprie *sacramentum*, non solum cum extra pixidem posita est, verum etiam dum illa conti-

ne-

(a) Lib. I. *de natura deorum* cap. 5.
(b) Sess. VII. *de Sacramentis* can. 1.
(c) Sess. XIII. can. 4. *de Eucharistia*.
(d) Tom. VII. *Instit. Theol.* Dissert. IV. q. 1. cap. 1., & in Opere *de Sacramentis* Dissert. IV. q. 1.
(e) De *Sacramento Euch.* q. 4. artic. 1.
(f) Tom. I. lib. IV q. 1. §. 3.
(g) Ibidem.

netur, non aliud requiritur, nisi ut Christus Dominus tam extra, quam intra pixidem sub panis, vinique *speciebus* vere, realiter & substantialiter existat (§.136.). Potest autem Christus tam extra, quam intra pixidem vere, realiter & substantialiter existere sub *speciebus* panis, & vini, quamvis nullum detur *accidens absolutum*, quod in pane, & vino fuerit, & peracta consecratione, remaneat, sub quo deinde Christus ipse veluti delitescat (§.§. 114., 133.). Ergo nullum *accidens absolutum* requiritur, ut Eucharistia tam extra, quam intra clausam pixidem existens, sit vere & proprie *sacramentum*.

Confirmatur quoad *primam partem*. Sumeretur Christus Dominus sub vera, & propria ratione *sacramenti*, si sub *speciebus vivæ carnis*, aut *sanguinis* ille nobis seipsum traderet. Nulla quippe sufficiens ratio occurrit, quamobrem Christus Dominus habeat veram rationem *sacramenti*, dum nobis traditur sub *speciebus panis*, & *vini*; minime vero, si sub *speciebus vivæ carnis*, aut *sanguinis* ille ipse nobis exhibeatur. Constat autem (§. 114.), ipsomet etiam Angelico Doctore, ut vidimus, confirmante, nullum requiri *accidens absolutum*, ut Christus Dominus sub *speciebus vivæ carnis*, aut *sanguinis* nobis occurrat, & sub illis a nobis sumatur. Ergo nullo hujuscemodi *accidente* opus itidem est, ut Eucharistia extra pixidem posita sit *sacramentum*.

Confirmatur quoad *secundam partem*. Positis *absolutis* Scholasticorum *accidentibus*, ideo Eucharistia etiam in clausa pixide verum *sacramentum* est; quia Christus in illa existit instar panis, solaque sufficit pixidis reseratio, ut panis instar ille nobis appareat. Res autem non secus se habet, etiam *accidentibus* illis rejectis. Quippe, etiam illis rejectis, Corpus Christi non majori spatio vere & realiter præsens in Eucharistia est, ac naturaliter eidem spatio sit præsens hostia non consecrata; neque ut ex illo loco, perinde ac si esset panis, nobis appareat, aliud requiritur, nisi ut pixis reseretur (§. 133.). Ergo non minus rejectis *accidentibus absolutis*, quam iisdem positis, Eucharistia etiam, dum clausa pixide continetur, est vere & proprie *sacramentum*.

Satisfit objectionibus.

I.

138. *Opponitur primo*. Reliqua omnia *sacramenta* ita sunt signa sensibilia gratiæ, quam conferunt; digne sumentibus, ut simul illud ipsum in iisdem revera sit, quod sensibus apparet. Ergo idem prorsus etiam de Eucharistia dicendum est, adeoque &c.

R.

℞. *concesso ante, negando conseq.* Vel enim de ratione *sacramenti* est, ut id revera in illo habeatur, quod sensibus in eo apparet, vel *sacramenti* ratio id nequaquam postulat. Si hoc alterum: argumentum, ut patet, nullum est. Sin autem primum: ergo, sicuti in reliquis sacramentis manet substantia rerum earum, ex quibus conficiuntur, ita quoque in Eucharistia, ut *sacramentum* vere sit, panis, vinique substantia remanere deberet. Hoc autem sine hæresi manifesta dici non potest. Ergo de ratione *sacramenti* non est, ut id, quod sensibus apparet, revera in illis existat.

II.

139. *Opponitur* 2. Est de intrinseca ratione *sacramenti*, ut sit *signum*. Communi enim Theologorum consensu, *sacramentum* dicitur *invisibilis gratiæ sensibile signum*. Est autem *signum* ex S. Augustino id, *quod præter speciem sui, quam ingerit sensibus, aliud aliquid a se facit in cognitionem venire* (a). Ergo, ut Eucharistia sit *sacramentum*, debet in ea esse aliquid, quod veram habeat rationem *signi*. Nihil autem hujusmodi in illa est, nisi *absoluta accidentia* panis; cum jam panis substantia nequaquam in illa supersit. Ergo *absolutum* aliquod panis *accidens* necessario in Eucharistia admittendum est, ut illa vere & proprie sit *sacramentum*.

℞. *concedendo totum argumentum principale, & neg. minorem subsumtam*, videlicet nihil esse in Eucharistia, quod habere queat rationem *signi*, nisi *accidentia absoluta*, quæ fuerint in pane ante consecrationem, & post consecrationem in illa remaneant. Quod enim in Eucharistia habet rationem *signi sensibilis* gratiæ, ipse Christus est, quatenus sub panis, vinique *sensibilitate* in ea existit (136.). Neque obstat, sensibile esse in propria *specie* id, quod in aliis Sacramentis habet rationem *signi*. Latissimum quippe discrimen est. In sola enim Eucharistia fit *transubstantiatio* sensibilium earum rerum, ex quibus illa conficitur; in eaque dumtaxat ipse gratiæ Auctor Christus *vere, realiter, & substantialiter* nobis exhibetur. Nimis proinde probat argumentum. Probat enim, etiam in Eucharistia, quemadmodum in reliquis sacramentis, remanere debere illarum rerum substantiam, ex quibus conficitur, ut nempe ipsa quoque, sicuti illa, sit vere *signum sensibile*. Itaque sicuti stat, Eucharistiam esse vere, & proprie *sacramentum*, adeoque *invisibilis gratiæ sensibile signum*, licet,

(a) Lib. II de doctrina Christiana num. 1. alias cap. 1.

cet, non ut in reliquis, panis, vinique ſubſtantia in ea remaneat; ita ſtare optime poteſt, Euchariſtiam eſſe vere & proprie *ſacramentum*, tametſi nullum *accidens abſolutum*, quod in pane, & vino fuerit, & cui deinde ratio *ſigni* tribuatur, in illa ſuperſit.

III.

140. *Opponitur* 3. Euchariſtia ideo ex S. Auguſtino eſt ſacramentum, quia *aliud* in illa videtur, *aliud* intelligitur. *Iſta, Fratres* (panis ſcilicet, & vinum) *ideo*, inquit ille, *dicuntur Sacramenta, quia in eis* aliud *videtur*, aliud *intelligitur* (a). Nequit autem in Euchariſtia haberi *aliud*, & *aliud*, niſi panis, vinique *accidentia* in ea exiſtant. Hæc quippe tantum eſſe poſſunt id, quod dicitur *aliud* a Corpore, & Sanguine Chriſti. Ergo &c.

℞. *permiſſa majori, diſting. min.* nequit in Euchariſtia haberi *aliud*, & *aliud*, niſi poſitis *accidentibus abſolutis*, ſi per ly *aliud*, & *aliud* intelligi debeat *entitas realis abſoluta*, a Corpore, & Sanguine Chriſti omnino diverſa, & una ſimul cum illis in Euchariſtia reapſe exiſtens, *concedo minorem*; ſi per ly *aliud*, & *aliud* non exprimatur niſi diverſitas modorum, quibus eadem res ſimul in hoc Sacramento exiſtit, *nego minorem*, & *conſeq.* Opinor ergo, per ly *aliud*, & *aliud* non intelligi a S. Auguſtino diſtinctionem *realium entitatum*, quarum una appareat ſenſibus, altera in hoc Sacramento concipiatur mente, & fide credatur; ſed diſtinctionem dumtaxat modorum, quibus una eademque res, nempe Corpus, & Sanguis Chriſti, in illo exiſtit. Mea nimirum opinio eſt, non aliam hoc loco fuiſſe mentem S. Auguſtini, niſi fideles admonere, ut firmiſſime credant, id, quod illis in Euchariſtia exhibetur, omnino diverſum ab eo eſſe, quod eorum ſenſibus in ea apparet. Unde ipſos alloquens, ait S. Doctor: *quod videtis*, panis *eſt*, & calix, *quod vobis etiam oculi veſtri renuntiant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda, panis eſt Corpus Chriſti, calix ſanguis Chriſti* (b). Poſſe autem Corpus Chriſti Domini videri *panem*, ejuſque ſanguinem nobis in Euchariſtia apparere, veluti a *vino* minime diverſum, quin dentur *abſoluta* panis, vinique *accidentia*, ſub quibus lateant, ſatis ex dictis patet (§. 114. & ſeq.) Ergo illis *accidentibus* opus non eſt, ut, quemadmodum ait S. Auguſtinus, *aliud* in Euchariſtia appareat ſenſibus, aliud revera in illa exiſtat.

 Huc

(a) Serm. CCLXXII. Hunc quoque refert integrum S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus *epiſt.* XII. ad Ferrandum num. 15. *alias* cap. 11.

(b) Ibidem.

Huc porro apprime facit, quod eodem loco habet idem S. Doctor. Non enim ait, *quod videtur* (in Eucharistia) esse corporale, sed *speciem habere corporalem* (a). Si autem in Eucharistia existerent *accidentia* panis *absoluta*, cum illa sint aliquod corporale, non haberet tantum *speciem corporalem* id, quod nobis in illa traditur, sed aliquo modo esset corporale. Ergo, cum ait S. Augustinus, *aliud* in Eucharistia videri, *aliud* intelligi, mens ejus non fuit, nos docere, id, quod in Eucharistia apparet sensibus, aliud esse reipsa ab eo, quod nobis in illa exhibetur; adeoque *absoluta* Scholasticorum *accidentia* in Eucharistia, ut sit Sacramentum, admitti oportere.

I V.

141. *Opponitur* 4. tria in Eucharistia distingui, nempe *sacramentum* tantum, *rem* tantum *sacramenti*, simulque *rem*, & *sacramentum*; atque ex Innocentio III. *sacramentum* tantum esse species panis, & vini; *rem* tantum *sacramenti* corpus, & sanguinem Christi; *rem* vero, & *sacramentum* corpus ipsum, & sanguinem simul cum speciebus. *Distinguendum est*, inquit ille, *inter tria, quæ sunt in hoc sacramento discreta, videlicet formam visibilem, veritatem corporis, & virtutem spiritualem*. Forma, *est panis, & vini*; veritas, *carnis, & sanguinis*; virtus, *unitatis, & charitatis*. *Primum est* sacramentum; *secundum est* sacramentum, & res. *Tertium est* res, & non sacramentum (b). Ergo necesse est, *species* panis, & vini sint aliquod *reale*, quod vere existat, ut rationem *sacramenti* habere illæ possint.

℞. *primo* cum Cl. Tournely, *distinguendo* assumtum: *species* sunt *sacramentum* tantum, sumendo *sacramentum* adæquate, pro eo nempe, quod significat, simulque producit gratiam, *nego assumtum*; sumendo *sacramentum* inadæquate, scilicet pro eo, quod tantum significat gratiam, *concedo assumtum*, & *nego consequentiam*. Potest enim *sensibilitas* panis, & vini, quæ in Eucharistia habetur, undecunque illa proveniat, significare gratiam, sed non potest gratiam producere, quemadmodum necesse est, ut adæquata *Eucharistici sacramenti* ratio in ipsa panis *sensibilitate* jure statuatur. Hinc laudatus Vir Cl., *cum*, inquit, *tria requirantur ad* sacramentum *vere, & adæquate sumtum, nempe* sensibilitas, significatio, & efficacia, *ac* speciebus *duæ tantum priores conditiones competant, non tertia, sequitur, citatos Auctores* (sci-

(a) Serm. laudato.
(b) Lib. III. *Decretalium* t. *de celeb. Missarum* cap. *cum Marthæ*.

(scilicet Innocentium III., & S. Thomam, qui idem docet) *sensu adæquato, & perfecto nomen* sacramenti *non usurpasse, cum dixerunt, in Eucharistia* species *esse* tantum sacramentum. *In Eucharistia igitur* species *sunt* sacramentum *tantum* (supple, *inadæquate* sumtum); gratia sanctificans *est* res *tantum* sacramenti; corpus *vero* Christi, *sub* speciebus *contentum, est &* res sacramenti, *&* sacramentum *simul* (a).

℞. 2. Innocentium III. dixisse quidem, tria in sacramento Eucharistiæ distingui, & *species* panis esse id, quod in ea habet rationem *tantum sacramenti*; sed neutrum nobis proposuisse tamquam divina fide credendum; alioquin Theologi plurimi, qui contrarium tenent, non essent a culpa immunes: quod profecto nemo cordatus dicet. Nec refert, illam doctrinam in Decretalibus contineri. Ut enim recte observat Cl. Melchior Canus, *neque statim ac si quidquam* Juris Canonici *volumine continetur,* fidei dogma *esse, credendum est* (b); sed, ut habet Cl. Contensonus, *tunc intendunt Ecclesiastici Judices rem ad fidem spectare, cum vel sub interminatione anathematis, vel sub pœnis hæreticis infligendis aliquid proponunt, oppositumque ajunt Ecclesiæ regulis, Scripturæ, & sacræ traditioni adversari* (c): quod factum non esse in casu nostro, nemo non videt.

V.

142. *Opponitur* 5. ex P. Picinardo, *corpus Christi* (illius sunt verba) *in cœlo, & alibi, præter Eucharistiam, in adversa sententia,* scilicet Recentiorum, *sacramentum apparere posse. Nonne enim,* inquit, *etiam hoc pacto in cœlo objective apparenter menti Joannis in Apocalypsi sub* specie agni *in altari quoque cœlesti apparebat? Vere igitur & in cœlo* sacramentum *fuit. Nonne antea sub* specie Solis *in Tabor, nonne postea sub* specie peregrini *offerentis & panem in Emaus pariter apparebat? Quid igitur ipsi defuisset, ut juxta hypothesim* Recentiorum *extra Eucharistiam corpus Christi apparenter licet, non vere,* sacramentum *utique dici posset* (d)? Hæc autem absurda sunt. Ergo &c.

℞. *primo*, hoc argumentum, si quod probat, non tantum contra Recentiores, verum & contra Scholasticos, ipsumque suum Auctorem ex æquo pugnare. Demus enim, extare *accidentia absoluta*, qualia sibi fingunt Scholastici. Dubitandum certe non est, quin efficere possit Deus, ut non solum in Eucharistia, sed etiam extra illam sine sub-

(a) Prælect. Theol. *de sacramento Eucharestiæ* q. IV. artic. I.
(b) Lib. V. *de locis Theol.* cap. 5.
(c) Tom. I. *Theol. mentis, & cordis* lib. V. Dissert. Præambula *coroll.* I.
(d) Lib. *de imputato Scholasticis studio effræni in Aristotelem* cap. VII. §. 2.

subiecto existant. Inficiabitur quoque Scholasticorum nemo, ut puto, Deum efficere posse, si velit, ut sacratissimum Christi Corpus non in Eucharistia tantum, verum & extra Eucharistiam sub *accidentibus* alienis, e. c. *agni*, nobis occurrat, videlicet posse efficere, ut, quemadmodum in Eucharistia sub *accidentibus panis*, ita extra Eucharistiam sub *accidentibus agni* corpus illud sanctissimum *vere*, & *realiter* nobis exhibeatur. Hoc ergo posito, sic conficio argumentum: corpus Christi si nobis occurreret sub *accidentibus agni*, vel esset vere, & proprie *sacramentum*, vel non. Si non: ergo neque fuit *sacramentum*, quando sub *specie peregrini* discipulis apparuit, tametsi tunc, perinde ac modo in Eucharistia, illa apparitio non ab *absolutis accidentibus*, sed a sensuum immutatione unice fuerit. Si autem esset *sacramentum*, quæro, an id dici queat sine piaculo, & vere; num vero neque vere, neque sine piaculo a Viro catholico illud dici possit. Si primum: ergo non est absurdum, *Corpus Christi in cælo, & alibi præter Eucharistiam*, Recentiorum sententia admissa, *apparere* sacramentum *posse*. Sin alterum: ergo Scholasticorum quoque opinio rejicienda est, quod ex illa, perinde atque ex opinione Recentiorum, tam grande absurdum, ut illud habet P. Picinardus, necessario sequatur.

℞. *secundo*, unum quærens a Cl. Adversario, num scilicet, quando Christus in Eucharistia apparuit sub *speciebus vivæ carnis*, & *sanguinis*, veram tunc habuerit rationem *sacramenti*, an non. Si dicat, illum veram *sacramenti* rationem tunc etiam habuisse: ergo *sacramenti* rationi non officit, *sensibilitatem* rei alienæ, sub qua Christus Dominus nobis in Eucharistia se prodit, a sola externorum sensuum immutatione provenire; cum etiam ex ipsomet S. Thoma certa res sit (114.), apparitiones Christi Domini factas in hoc Sacramento sub *speciebus vivæ carnis*, & *sanguinis* propterea contigisse, quod *intuentium occuli immutarentur tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem*. Si autem dicat P. Picinardus, non fuisse Sacramentum, cum Christus in Eucharistia sese præbuit sub *speciebus vivæ carnis*, & *sanguinis*, dicat quoque oportet, Christum Dominum sumtum ab iis non fuisse *sacramentaliter*, qui, ut ex Ecclesiasticis Historiis habemus (a), illum sumsere sub *speciebus vivæ carnis*, & *sanguinis*; & ideo rationem *Sacramenti* in eo non esse positam, ut sit *invisibilis gratiæ sensibile signum*; cum minime dubitandum videatur, quominus, qui Christum Dominum sub illis *speciebus* com-

(a) Vide Nicephorum lib. XIII. *Hist. Ecclesiasticæ*, Sozomenum lib. VIII. cap. 5., Amphilochium in vita *S. Basilii*, & Joannem Diaconum in vita *S. Gregorii Magni* lib. II. num. 41.

communicantes acceperunt, ipsum sumserint *aliena specie* occultatum, & maximam gratiam ex hac sumtione obtinuerint.

℞. *tertio* in forma ad argumentum, & dico, non esse absurdum, loquendo, ut ajunt, *de possibili*, *Corpus Christi in cælo*, *& alibi præter Eucharistiam* sacramentum *posse apparere*. Nullam certe causam affert P. Picinardus, neque ullam ipse video, cur id Deus facere non debeat, ne absurdum efficere dicatur. Ad probationem autem concedo, neque apparitionem Christi Domini sub *agni specie* factam Joanni, & ab eo in Ἀποκαλύψει relatam, neque apparitionem ejusdem Christi factam sive Petro, Jacobo, & Joanni in monte Thabor sub *specie Solis*, ut ille ait, sive duobus discipulis euntibus in Emmaus sub *specie peregrini*, ut refert Scriptura, fuisse *sacramentum*. Nego tamen, ejusmodi apparitiones ideo non fuisse *sacramentum*, quia factæ fuerint independenter a quovis *accidente absoluto*, & per solam externorum sensuum immutationem. Cur enim illę non fuerint *sacramentum*, non hæc causa est; sed quia non fuerunt *sanctificantis gratiæ efficax signum*, in quo *sacramenti* ratio consistit. Ob hanc certe causam, inquit doctissimus Bellarminus, *excluduntur a ratione* sacramenti *linguæ illæ igneæ, quæ apparuerunt super Apostolos in die Pentecostes. Significabant enim charitatem ardentissimam, quæ tum Apostolis infundebatur una cum sapientia, & eloquentia plane divina, sed* sacramentum *non erant; quia non vi earum linguarum infundebatur illis charitas* (a); cum scilicet, ut optime docet idem Vir celeberrimus, ad rationem *sacramenti* non sufficiat, *ut significet, sed requiratur etiam, ut efficiat sanctitatem, seu sanctificationem; imo magis proprium est sacramenti sanctificare, quam significare* (b). Patet igitur, quid sit respondendum Cl. Adversario quærenti, quidnam deficiat apparitionibus ab eo in argumento memoratis, quominus *sacramentum* vocari possint: dicendum nempe est, id illis defuisse, in quo potissimum ratio *sacramenti* consistit. Non enim fuerunt, ut patet, invisibilis gratiæ efficax signum. Mirandum tamen, eam a Viro Cl. apparitionem obiici, in qua Christus Dominus *sub specie agni in altari cælesti menti Joannis* apparuit. Illa quippe non fuit *sensibilis*, sed pure *mentalis*, sive in *spiritu* (c); neque Christus Dominus *vere, realiter*, & *substantialiter* sese tunc præbuit Joanni, quemadmodum illum nobis sese præbere in Eucharistia, certissimum est.

143.

(a) Lib. I. *de sacramentis in genere* cap. 9.

(b) Ibidem cap. 12.

(c) Apocalypsis cap. I. v. 10.

VI.

143. *Opponitur* postremo ex P. Ferrari. *Dum sacramentum*, inquit ille, *in pixide clausum est, nihil reipsa tunc habetur, nisi Corpus Christi. Ibi sane* (ita prosequitur Vir Cl.) *non sunt* species *ut sensatæ; quippe nulla est sensuum nostrorum motio; sed nec* species *extant ibi ut* sensibiles; *quia Christus nihil tunc agit, ut sensus vellicet nostros, & solam tunc habet remotam potentiam movendi, quoniam nec panis nos moveret, si ibidem clausus existeret* (a). Ergo &c.

℞. *disting. assumtum*: dum sacramentum Eucharistiæ in pixide clausum est, nihil reipsa tunc habetur, nisi Corpus Christi, ibi existens modo naturali, *nego assumtum*; ibi existens modo nullatenus ab eo diverso, quo ante consecrationem ibi extabat panis, *concedo assumtum*. Ad probationem autem dico, non haberi quidem in clausa pixide *species* panis ut *sensatas*, hoc est, nullam earum motionum tunc fieri in sensibus nostris, quæ naturaliter in illis solent a pane excitari; sed haberi *species* panis ut *sensibiles*, hoc est, Christum Dominum in ea existere instar panis; nimirum ea ratione, ut, quemadmodum supra explicavimus (§§. 120., 128., & seq.), *non majori spatio illud in ea sit præsens, ac erat hostia non consecrata; pixidem premat, æque ac ab hostia ante consecrationem premebatur; solaque sufficiat reseratio pixidis ad eas motiones in sensoriis nostris excitandas, quas panis sensatio naturaliter comitatur*. Negabit quidem P. Ferrari, sufficere hunc modum existendi in clausa pixide, quem Christi Corpori tribuimus, ut sub *speciebus* panis *sensibilibus* Corpus illud sanctissimum in ea esse, vere proprieque dicatur. Sed nisi rationem aliquam attulerit Vir Cl., quamobrem id admitti non possit, ab hac opinione non recedam. Neque enim sufficiens mihi ratio est, ipsum dixisse. Interea vero falsum esse puto, ideo in clausa pixide, rejectis *accidentibus absolutis*, Christum non existere sub *speciebus* panis *sensibilibus*, quia, ut ait Cl. Auctor, *Christus nihil tunc agit, ut vellicet sensus nostros*. Nam vel nulla est hæc ratio, vel neque positis *accidentibus absolutis* dici potest, sub *speciebut* panis *sensibilibus* Christum Dominum in clausa pixide contineri. Constat enim, neque illis *accidentibus* positis sensus nostros tunc a Christo Domino vel levissime vellicari. Falsum est etiam, in pixide clausa *solam haberi remotam potentiam movendi* sensus. Cum enim sola sufficiat reseratio pixidis, ut

(a) Tom. II. P. I. *Physices* Disp. IV. q. 1.

ut motio propria panis in ſenſibus noſtris a Chriſti Corpore excitetur, non *remota*, ut ait Vir Cl., ſed *proxima* movendi *potentia* in illa eſt. Miror autem, P. Ferrari uti exemplo panis in clauſa itidem pixide exiſtentis, ut evincat, nonniſi *remotam* movendi potentiam in illa haberi. Nam hinc ſequitur, Chriſtum Dominum neque poſitis *accidentibus abſolutis* ſub *ſpeciebus* panis *ſenſibilibus* in pixide clauſa contineri; cum ſcilicet illis poſitis, perinde prorſus atque iiſdem rejectis, ſola remota potentia movendi ſenſus noſtros, ſicuti in pane, ut ille ait, ita in Chriſto habeatur: quæ non ſufficit, Virum ipſum Cl. ſi audiamus, ut Chriſtus Dominus ſub *ſpeciebus* panis *ſenſibilibus* in pixide clauſa exiſtere dicatur. Propterea quo juſtius S. Auguſtinus (a) doctrinas Pelagianorum, eo iniuſtius P. Ferrari (b) vocat reſponſiones Recentiorum ad Scholaſticorum argumenta *ſententiarum portenta, inopinata myſteria dogmatum novorum, paradoxa mirabiliora Stoicorum Philoſophorum*. Quantum mea opinio eſt, neſcio cum Cl. Muratorio, *quo pacto juſti ac prudentis nomen retinere poſſit, qui ita in hoſtem irruit, ut ſe quoque incaute lædat* (c).

PROPOSITIO XI.

Neque teſtimonio veterum Patrum, qui decem prioribus Chriſti ſæculis in Eccleſia floruerunt, neque Theologorum auctoritate poteſt evinci, panis vinique ſenſibilitatem, ſub qua Chriſtus Dominus in Euchariſtia exiſtit, oriri ex illarum rerum accidentibus, quæ in hoc ſacramento divinitus ſine ſubjecto ſuperſint.

144. Hæc propoſitio duas, ut patet, habet partes. Prima eſt, exiſtentiam *accidentium abſolutorum* in Euchariſtia evinci non poſſe teſtimonio veterum eorum Patrum, qui decem prioribus Chriſti ſæculis in Eccleſia floruere. Altera, eorundem *accidentium* exiſtentiam in hoc Sacramento non poſſe oſtendi auctoritate Theologorum.

ANIMADVERSIO.

145. Loquor de Patribus, qui floruerunt in Eccleſia ante *undecimum* Chriſti *ſæculum*, videlicet antequam Scholaſtica Philoſophia

pedes

(a) Lib. III. *contra Julianum* cap. 3.
(b) Loco citato.
(c) Lib. II. *de moderamine ingeniorum* cap. 3.

pedes in Scholis catholicis figeret, & sacræ Facultati amico fœdere jungeretur. Nimis apertum est enim, B. Lanfrancum Cantuariæ Archiepiscopum, qui obiit anno 1089, & a quo prima Scholasticorum ætas initium habuisse dicitur, S. Anselmum, S. Thomam, S. Bonaventuram, aliosque etiam, qui non minus pietatis, quam doctrinæ gloria clari in Ecclesia fuerunt, *qualitates* corporum *sensibiles* tamquam *entitates absolutas* a corporea substantia distinctas habuisse; atque ex his, divinitus sine subjecto in Eucharistia remanentibus, panis, vinique *sensibilitatem*, sub qua Christus Dominus in illa existit, derivasse. Hac itaque animadversione præmissa, memorique animo insculpta,

OSTENDITUR

Pars prima Propositionis, scilicet ex testimonio veterum Patrum.

146. Ad veterum ergo Patrum auctoritatem in primis quod attinet, citra dubium puto, nihil prorsus ex hoc capite colligi jure posse, quod faveat Scholasticorum opinioni, si constiterit, Patres, qui *undecimum* Christi *sæculum* in Ecclesia præcesserant, minime tenuisse, panis, vinique *sensibilitatem*, quæ, non remanente illarum rerum substantia, in Eucharistia superstes manet, ex *absolutis* rerum earundem *accidentibus*, divinitus, ut Scholasticis persuasum est, in ipso sacramento sine subjecto existentibus, provenire. Tunc quippe solum auctoritas S. S. Patrum certam fidem facit in rebus ad Religionem pertinentibus, cum omnes in una eademque re aperte consenserint. *Persuasum esse debet*, inquit doctissimus Melchior Canus, *Sanctorum omnium communem sensum certam fidem facere catholicorum dogmatum; ac proinde ex omnium auctoritate certa argumenta depromi Theologicis conclusionibus confirmandis* (a): omnium, inquam. Eodem siquidem teste, *plurium Sanctorum auctoritas, reliquis, licet paucioribus, reclamantibus, firma argumenta Theologo sufficere & præstare non valet* (b). Constat autem, Patres, qui ante XI. Christi sæculum in Ecclesia claruerunt, id non tenuisse de origine atque natura *sensibilitatis* panis, & vini, sub qua Christus Dominus in Eucharistia continetur, quod docent Scholastici.

Etenim *primo* communis Eruditorum omnium sententia est, omnes, vel ferme omnes veteres Patres uni Platoni in rebus ad Philosophiam

(a) Lib. VII. *de locis Theol.* cap. 3. ad *conclus.* 6.
(b) Ibidem *concl.* 3.

ſophiam ſpectantibus nomen dediſſe. *Theologi veteres omnes*, inquit Franciſcus Patricius, *qui & ſacroſanctæ fidei jecerunt fundamenta, & Eccleſiam ante extruxerunt, D. Dionyſius, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Origenes, Cyrillus, Baſilius, Euſebius, Theodoretus, Arnobius, Lactantius, Auguſtinus, Ambroſius, alii plerique omnes, quia ſcirent, paucis mutatis, Platonicos facile Chriſtianos fieri poſſe (Auguſtini verbis utor) Platonem, ejuſque ſectatores hoſce Philoſophos reliquis omnibus antetulerunt* (a). Similia habet Hieronymus Dandinus, quamvis Ariſtoteli, ſi quis alius, addictiſſimus. Ait enim: *Platonem inter ceteros maxime complexa Antiquitas eſt, priſcique Eccleſiæ noſtræ Doctores probarunt. Ariſtotelem admirari maluerunt, quam ſectari* (b). Citra dubium eſt autem, Platonem non per *entitates abſolutas* realiter a corporea ſubſtantia diſtinctas, ut vulgo faciunt Scholaſtici; ſed per *mechanicas* exilium corpuſculorum *affectiones*, quemadmodum nunc præſtant Recentiores, *ſenſibilium qualitatum* naturam explicaſſe. De hiſce namque agens divinus ille Philoſophus, ſic primo *caloris*, atque *frigoris* naturam definit. *In primis*, inquit, *qua ratione ignis* calidus *dicitur, videamus: quod ita demum perſpiciemus, ſi diſcretionem, diviſionemque ab eo in noſtro corpore factam conſideremus. Quod enim acumen quoddam ea paſſio eſt, ferme eſt omnibus manifeſtum. Tenuitatem vero angulorum, laterumque ſubtilitatem, parvitatem particularum, motus velocitatem, quibus omnibus vehemens, & penetrans eſt, velociterque, quod occurrit, dividit ſemper & diſſipat, conſiderare debemus, figuræ ipſius generationem memoria repetentes. Ea quippe, non alia natura, corpora noſtra dividens, & in partes exiguas partiens, merito paſſionem illam, quæ legitime* calor *nominatur, inducit. Contraria vero huic paſſio, licet cuique manifeſta, ſua explanatione non careat. Humidæ namque partes corporum partibus noſtris humidis grandiores, cum in corpus influunt noſtrum, minores quidem partes extrudunt, ſed in earum ſedes ſeſe inſinuare non poſſunt; humorem autem noſtrum coagulant, atque ex inæquali & agitato immobilem propter æqualitatem, coagulumque faciunt. Quod autem præter naturam coactum eſt, ſecundum naturam renititur, ſeque revocat in contrarium. In hac reluctatione, quaſſationeque tremor, rigorque conſiſtit, omniſque hujuſmodi paſſio* frigus, *quodque eam infert*, frigidum *nominatur*. Agens vero de *ſaporibus*, hæc habet: *Tenduntur a lingua venæ ad cordis ſedem* ſaporum *nunciæ, in quas ſi qua inciderint, ut humidam carnis mollitiem penetrantia, terreſtri ſua*

H h

(a) Epiſtola, qua novam ſuam Philoſophiam Gregorio XIV. Pontifici maximo anno 1591. nuncupavit.

(b) Præf. ad tres libros *de anima*. Vide Launojum *de Varia Ariſtotelis fortuna* cap. 19.

sua natura modice liquefacta, venas ipsas contrahant, arefaciantque, sapores *hujusmodi pariunt. Videlicet, si asperiora sint*, acerbos, acresque, *sin minus*, austeros, & ponticos. *Quæ & illas pungant, & si qua linguæ inhærescunt, abluunt, si ultra modum id faciant, naturæque ipsius nonnihil liquefaciant, qualis est in nitro potentia*, amara *omnia nominantur. Sin autem vim nitro temperatiorem habent, leviusque abstergunt*, salsa *sine* amaritudinis *asperitate, magisque amica nobis apparent. Quæ autem applicata oris caliditati, ab eoque mollita & liquefacta, ipsum vicissim fervefaciunt, suaque levitate sursum ad sensum elevantur, suoque attractu singula dividunt, propter hujusmodi vires* acuta *vocantur......... Quando autem ingredientium qualitas humida est linguæ qualitati naturaliter concors, & consentanea, ac lenit mollitque eam, contractamque demulcet asperitatem, & quæ in nobis præter naturam contracta, vel sparsa fuerunt, relaxat, & colligit, ac summatim naturalem singulis restituit habitum, suave hujusmodi omne, amicumque est omnibus, violentarum quoque passionum medicina atque remedium*, dulceque *vocatur*. Omnis quoque *odor*, illius sententia, *aut fumus est, aut caligo*; color *vero veluti flammula quædam, fulgorque a singulis corporibus emanans, partes habens visui ad sentiendum accomodatas* (a). Indubium est itaque, *sensibiles* corporum *qualitates* habitas non fuisse a Platone tamquam *entitates absolutas* a substantia, quam afficiunt, *realiter* distinctas, sed ex *mechanicis affectionibus* corpusculorum, quibus naturalia quæque corpora composita sunt, eas omnes ab illo derivari; & ideo cum, ut diximus ex Dandino, *Platonem inter ceteros maxime complexa Antiquitas sit, priscique Ecclesiæ Doctores probarint*, videtur, eos quoque non quam tradunt Scholastici, sed quam Recentiores propugnant, *sensibilium qualitatum* naturam posuisse.

Præterea cum nullus veterum Patrum, quem ego quidem sciam, ob id criminatus Platonem fuerit, quod mechanicam ille esse docuerit originem *sensibilium qualitatum*, maximo sane argumento id mihi est, eos ne dubitasse quidem, quominus, hac admissa doctrina, sarta prorsus tectaque sint, quæ circa venerabile Eucharistiæ sacramentum sunt a nobis divina fide credenda. Credibile non est enim, tantos Viros aut non vidisse, illam opinionem cum fide de mysterio nostræ Religionis præcipuo componi non posse, si revera cum illo componi ipsa nequiret; aut id vidisse quidem, sed, nimio erga Platonem amore captos, illud dissimulare voluisse. Primum quippe eximiæ illorum doctrinæ, alterum vero nimis officit eorundem sanctitati.

Secun-

(a) In Timæo.

Secundo: quia non eſt certum, Ariſtotelem admiſiſſe *accidentia abſoluta*. I. etenim nullibi ille *abſolutorum accidentium* mentionem facit; neque ex definitione *accidentis* ab eo tradita inferri poteſt, ut optime probat P. Maignan (a), *quantitatem, & qualitatem eſſe revera tale ens, quod phyſice in ſubjecto ſit inhæſive, cum reali ſui ab illo diſtinctione*. Neque obſtat, quod de Ariſtotele habet doctiſſimus Bellarminus (b), illum nempe docere, inhærentiam non eſſe de eſſentia *accidentis*, proptereaquod dixerit, *aliud eſſe magnitudinem, aliud magnitudinem eſſe*, hoc eſt, *exiſtere*, & alio loco quærat, *an ſpatium cenſendum eſſet vacuum, ubi ſolus eſſet calor, aut ſonus*. Hæc, inquam, non obſtant. Non certe primum. Nam ſi hoc probat aliquid, non aliud probat, niſi *exiſtentiam* aliquo modo diſtingui ab eſſentia: quod non ſufficit, quemadmodum patebit conſideranti, ut *magnitudo* pro *abſoluto accidente* habeatur. Neque ſecundum. Quandoquidem non dicitur poſſibile, ſolum *colorem*, aut *ſonum* eſſe in ſpatio; ſed tantum quæritur, quid dicendum ſit de ſpatio, in quo ſolus haberetur *color*, aut *ſonus*: quæ ſane quæſtio locum habet, tametſi hypotheſis repugnet; eamque repugnare, ne ipſi quidem Scholaſtici negare poſſunt, cum illis quoque comperta modo res ſit, *ſonum* in tremulo aeris motu conſiſtere; & impoſſibile ſit, motum hujuſmodi in vacuo ſpatio abſolvi. II. quia *ſenſibiles* ipſas corporum *qualitates*, de quibus potiſſimum controverſia eſt, ita, ille explicat, ut pro meris potius *modificationibus* materiæ, quam pro *formis abſolutis* ſubjecto inhærentibus eas habuiſſe videatur. Vocat enim *calorem, qui contrahit, ac eodem juncta genere cogit* (c). *Frigus autem*, quod *cogit, & eodem juncta genere, juxta ac alienigena, contrahit. Humorem, qui ut non ſuis finibus, ita alienis probe circumſcribitur. Siccitas vero*, inquit, *contra ſe habet* (d). *Lumen* appellat *actum perſpicui, qua perſpicuum eſt* (e); *colorem* autem *motivum ejus, quod eſt perſpicuum actu, & id eſſe*, ait, *ipſius naturam* (f). *Odorem* dicit *fumoſam evaporationem* (g). *Guſtabile* demum, inquit, *tangibile quoddam eſt* (h); utque *viſibile eſt* color, *ſic eſt guſtabile* ſapor (i). III. quia in libris Ἀκροαματικοῖς adeo abſtruſe loquitur Ariſtoteles, ut certo definire nemo poſſit, quid abſtractis vocabulis *actus*, *formæ*, *accidentis*, *qualitatis* &c., quibus in illis ſępiſſime utitur, revera intellexerit. Profecto ſcribens ipſe ad Magnum Alexandrum, qui moleſte tu-

 lerat,

(a) Philoſ. entis *cap.* VII.
(b) Lib. III. *de ſacramento Euchariſtiæ* cap. 24.
(c) Lib. II. *de gen. & corruptione* tex. 8.
(d) Ibidem tex. 9.
(e) Lib. II. *de anima* tex. 69.
(f) Ibidem tex. 67.
(g) Lib. *de ſenſu, & ſenſibili* cap. 2.
(h) Lib. II. *de anima* tex. 101.
(i) Ibidem tex. 102.

lerat, ejus libros in vulgum missos, *scito*, inquit, *illos neque editos esse, neque non editos; quoniam iis solis, qui nos audiunt, cognobiles erunt* (a); ut propterea non immerito dixerit Themistius, *furori simile esse, si quis speret, se ex Aristotelis scriptis sententiam ejus penitus assecuturum* (b); quod nempe, ut observat Cl. Vives, *plerumque non tam sint ejus verba intelligenda, quam nutus interpretandi* (c). IV. quia in libro *Problematum*, in quo Aristoteles Physicum physice agit, non per abstracta *qualitatum*, *formarum*, *accidentium*, *actus*, & *potentiæ*, aliaque id genus vocabula, quæ ansam dederunt Scholasticis multiplicandi in quovis corpore *absolutas entitates*, ipsaque *absoluta accidentia* concipiendi; sed per *magnitudinem*, *figuram*, *combinationem*, & *motum* exilium corpusculorum, meatusque interspersos exponit naturæ opera, ejusque phœnomena explicat. Hæc igitur cum ita sint, temere non agunt, qui *absolutorum accidentium* systema non Aristoteli, sed Arabibus illius Commentatoribus adijudicandum putant; tuncque solum in Scholas invectum, cum ex Africa in Hispaniam, & ex Hispania in Galliam delatis illorum operibus, ea methodo in Parisiensi potissimum Schola tradi cępit Philosophia, qua fuerat ab illis exposita, subtili scilicet, abstracta, & contentiosa, nempe sæculo Christi XI., vel circa; adeoque postquam Patres, de quorum auctoritate modo agitur, diem objerant.

Sed demus, Aristotelem aperte docuisse, *qualitates* corporum *sensibiles* esse *entitates absolutas*, ut eas modo sumunt & explicant Scholastici. Dicendum adhuc est, veteres Ecclesiæ Patres idipsum nequaquam sensisse. Ea non fuit enim in Scholis catholicis ante XI. Christi sæculum Aristotelis fortuna, ut Christianis Doctoribus religio fuerit, in rebus ad Physicam pertinentibus ne latum quidem unguem ab illius doctrina discedere. Si quis ignoret, quam male de Aristotele senserint veteres Patres; qualem notam ejus operibus inusserit Concilium Parisiense anno 1209. Lutetiæ celebratum; & sub quibus pęnis cautum tunc fuerit ab Apostolicæ Sedis Legato, ne opera ipsa in Parisiensi Academia publice legerentur, libellum consulat (d), quem, *de varia Aristotelis fortuna* inscriptum, Launojus edidit. Notum est præterea, nonnisi circa sæculum Christi XI. Doctores catholicos miscere Scholasticam Philosophiam cum Theologia cœpisse, eamque huic vectigalem quodammodo reddidisse. Fertur quippe, ut etiam initio monuimus, B. Lanfrancum Cantuariensem Archiepiscopum,

(a) Aulus Gellius lib. XX. *Noctium Atticarum* cap. 4.

(b) Ex Ludovico Vives lib. I. *de causis corruptarum Artium*.

(c) Ibidem.

(d) Cap. 1, 2., & 4.

copum, qui anno 1089. e vita decessit, fuisse primum, vel inter primos haberi, qui Scholasticæ Philosophiæ nomen dederit. Primam certe Scholasticorum ætatem a laudato Lanfranco, vel, ut aliis placet, a Petro Abaelardo, qui anno 1143., & a Petro Lombardo, dicto *Magistro Sententiarum*, qui anno 1164. diem supremum obiit, initium habuisse, res comperta est (a). Nihil ergo juvat Scholasticos, loquendo de Patribus Ecclesiæ, ipsummet etiam Aristotelem pro *absolutis accidentibus* manifeste stetisse.

Tertio: Constat, Abbaudum Abbatem, qui vixit sæculo XI., in tractatu, quem scripsit *de fractione corporis Christi*, aperte dixisse, ut supra retulimus, facile quemquam videre, *albedinem, seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album, vel rotundum est, separari non posse*; imo, quod valde notandum puto, *ineptum esse in Evangelio Christi de albedine, & rotunditate disputare*, seque *dialecticis, aut certe pueris talia permittere*. Ergo opinio de separabilitate *sensibilium qualitatum* a substantia corporis, quam afficiunt, deque miraculosa earundem conservatione in Eucharistiæ sacramento, nova suo tempore erat in Scholis, non admissa a Theologis, & sanctis Ecclesiæ Patribus prorsus invisa. Hæc quippe si fuisset Scholarum, Theologorum, Patrumque doctrina, non dixisset ille adeo confidenter, facile videre quemquam, *albedinem, seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album, vel rotundum est, separari non posse*; neque adeo irreverenter, se nonnisi *dialecticis, aut certe pueris talia permittere*.

Postremo de panis, vinique *sensibilitate*, sub qua Christus Dominus in Eucharistia existit, nobisque se tradit, ita loquuntur Patres, ut nihil prorsus reale, quod ante consecrationem in pane fuerit, & post consecrationem sine pane remaneat, sed meram tantum panis *apparentiam* tunc superesse, pro comperto habuisse videantur. Inquiunt enim, quod in sacramento relinquitur, *speciem* esse panis, *apparentem* dumtaxat illius *formam, exteriorem figuram*, & *merum vocabulum*. Illorum verba non recenseo, tum ne nimius sim, tum quia facile legi apud eos possunt, qui *transubstantiationis* dogma, Patrum testimoniis, confirmant, & contra sectarios invictissime demonstrant. Nullibi siquidem clarius, quam ubi de *conversione* panis in Corpus Christi res illis est, explicant Patres, quomodo, licet revera non sit panis, quod in hoc sacramento nobis traditur, sed Corpus Christi; illud tamen non Christi Corpus, sed panis, sensus nostros si consulamus, appareat. Dignissimum porro consideratione est, Lanfrancum,

(a) Vide Capassum in Synopsi *Histor. Philos.* lib. IV. cap. 6.

cum, a quo, ut diximus, prima cœpit ætas Scholasticorum, ita respondere Berengario obiicienti, Christi Corpus vere non esse in Eucharistia, idcirco quia *in sacris literis* dicatur *species*, *similitudo*, *figura*, *signum*, *mysterium*, *sacramentum* (a), ut, ne memoratis quidem *accidentibus absolutis*, per *meras apparentias* rem totam conficiat. *Hisce enim*, inquit, *vocabulis in nullo præscribitur fidei, qua credimus, & veritati, quam defendimus*. Species *namque*, & similitudo *illarum rerum* vocabula *sunt, quæ ante fuerunt, & ex quibus corpus Christi, sanguisque conficitur........Porro* signum, mysterium, sacramentum, *& si quid hujusmodi est, Dominicæ passionis designativa nomina sunt, si tamen sacramentum ea significatione accipiatur, qua sacrum esse signum in libro de civitate Dei a B. Augustino definitur .... Quod vero* panis *dicitur, consueto sacrorum codicum more id fit, qui res quaslibet sæpe vocat nominibus illarum rerum, ex quibus fiunt, seu quæ esse putantur, & non sunt, sive quibus aliquo modo similes existunt ...... Et Dominus Jesus Christus propter quasdam similitudines in eisdem literis vocatur* leo, agnus, vermis, lignum, petra, lapis angularis, multaque in hunc modum. Sic & corpus *Christi vocatur* panis, *vel quia ex pane conficitur, seu quia* contuentium oculis, *cum caro sit*, panis *videtur, sive quod corporali, & visibili pani* similitudine *quadam conjungitur* (b). Dixi autem consideratione dignissimum, Lanfrancum ita Berengario respondisse. Neminem quippe fugit, quanto facilius Berengario fecisset satis Lanfrancus, si dixisset, Corpus Christi Domini, in Eucharistia existens, *panem*, *speciem*, *figuram*, *similitudinem*, & *sacramentum* a Patribus nuncupari propter ipsius panis *accidentia*, sub quibus remanentibus Corpus illud sanctissimum quasi obvelatum delitescit. Temere ergo non judicabit, qui dixerit, hac via incedere noluisse Lanfrancum, quod optime sciret, *absoluta accidentia* neque nota fuisse veteribus Ecclesiæ Patribus, quorum testimoniis Berengarius abutebatur; neque illa necessario requiri, ut Corpus Christi nobis instar panis in hoc sacramento appareat, & panis *speciem*, *figuram*, & *similitudinem* in illo remanere, dicatur.

Contra tamen arguit Cl. P. Ferrari, contendens, *urgeri hoc argumento etiam ipsos Recentiores. Neque enim*, inquit, *ullus veterum Patrum Eucharisticas species appellavit* actiones obiectivas, *&* puras impressiones, *aut* species intentionales. *Attamen Patres consulto abstinuerunt a nomine* accidentis; *quia vox* accidentis *præ se fert connaturaliter*

(a) Lib. *de corpore, & sanguine Domini* cap. 20.
(b) Loco citato.

ter actualem inhærentiam subjecto; cum e converso per divinam virtutem Eucharisticæ species *sine subjecto existant. Sed ex aliis prædicatis, quæ Patres attribuunt Eucharisticis* speciebus, *fas est colligere, eas* species *esse* reales, *non vero solum* intentionales .... *Postremo aliud est, esse speciem, sive apparentiam, aut imaginem* substantiæ *panis, aliud est, esse speciem, seu imaginem* accidentium *panis. Primum illud docent Patres, non vero secundum, quod opinioni Recentiorum congruit. Hinc Patres* Eucharistica accidentia *appellaverunt* species, *quoniam de iis tantummodo loquuti sunt, quæ externam sensibilem apparentiam panis, & vini constituunt. Sed illa externa sensibilis apparentia est realis, & in ipso sacramento, non autem in sensibus nostris, ac mere intentionalis* (a).

Sed contra. Falsum est enim *primo*, ideo hoc argumento urgeri etiam Recentiores, quia *nullus veterum Patrum Eurhacisticas species appellaverit actiones obiectivas, & puras impressiones, aut species intentionales.* Hoc ipso enim, quod veteres Patres dixerint *absolute*, & absque addito, nonnisi panis *speciem* in Eucharistia haberi, sequitur, sumtum ab illis fuisse *speciei* vocabulum, non prout significat *realem* aliquam *entitatem*, quæ sit in objecto, cujus *species* dicitur, sed prout meram rei apparentiam, quæ ab sensorii passione unice dependeat, vocabulum ipsum designat. Patet ex S. Augustino. *Tardioribus*, inquit, *ingeniis difficillime persuaderi potest, formari in sensu nostro* imaginem *rei visibilis, cum eam videmus, & eandem formam esse visionem. Sed qui forte adverterint, quod commemorabo, non ita in hac inquisitione laborabunt. Plerumque cum diuscule adtenderimus quæque luminaria, & deinde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu quidam lucidi colores varie sese commutantes, & minus minusque fulgentes, donec omnino desistant: quos intelligendum est reliquias esse formæ illius, quæ facta erat in sensu, cum corpus lucidum videretur, paulatimque, & quodam modo gradatim deficiendo variari. Nam & insertarum fenestrarum cancelli, si eos forte intuebamur, sæpe in illis apparuere coloribus, ut manifestum sit, hanc affectionem nostro sensui ex ea re, quæ videbatur, impressam. Erat ergo etiam, cum videremus, & illa erat clarior, & expressior; sed multum conjuncta cum* specie *rei ejus, quæ cernebatur, ut discerni omnino non posset, & ipsa erat visio. Quin etiam cum lucernæ flammula modo quodam divaricatis radiis oculorum quasi geminatur, duæ visiones fiunt, cum sit res una, quæ videtur. Singil-*

(a) Tom, II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *in respons.* ad primam obiectionem *pag.* 210.

gillatim quippe afficiuntur idem radii de suo quisque oculo emicantes, dum non sinuntur in illud corpus intuendum pariter, conjunctеque concurrere, ut unus fiat ex utroque contuitus. Et ideo si unum oculum clauserimus, non geminum ignem, sed sicuti est unum videbimus. Cur autem, sinistro clauso, illa species *desinit videri, quæ ad dextrum erat, vicissimque, dextro clauso, illa intermoritur, quæ ad sinistrum erat, & longum est, & rei præsenti non necessarium modo quærere, atque disserere. Quod enim ad susceptam quæstionem satis est, nisi fieret in sensu nostro quædam* imago *simillima rei ejus, quam cernimus, non secundum oculorum numerum flammæ* species *geminaretur, cum quidam cernendi modus adhibitus fuerit, qui possit concursum separare radiorum* (a). Sic ergo conficitur argumentum: certum est, *speciem* sumi hoc loco a S. Augustino non pro *entitate reali objectiva*, sed pro mera rei *imagine* facta in sensorio a re sensibili, cujus illa dicitur *species*, tametsi S. Doctor *speciem* ipsam non appellaverit *actionem objectivam, puram impressionem*, & *speciem intentionalem*. Ergo necesse quoque non fuit, *species Eucharisticæ* dicerentur a Patribus *actiones objectivæ, puræ impressiones*, & *species intentionales*, ut nobis certo constaret, eos in hoc Sacramento explicando, *absoluta accidentia* nomine *specierum* non intellexisse.

Fatetur præterea P. Ferrari, Concilium Tridentinum, agens de hoc Sacramento, abstinuisse *ex industria a voce accidentis* (*specierum* vocabulo loco illius adhibito) *ne Philosophicam Peripateticorum sententiam expresse definiret tamquam fidei catholicæ dogma* (b). Ergo *speciei* vocabulum, absolute loquendo, illud ipsum omnino non significat, etiam judicio P. Ferrari, quod *accidentis* nomen designat; alioquin frustra, ut patet, Tridentinum Concilium sese ab hoc vocabulo abstinuisset; unde sibi non consentit Vir Cl., dum, ut veteres Patres jure dici possint hoc super negotio favisse doctrinæ Recentiorum, satis non fuisse contendit, *specierum* vocabulum absolute & sine addito ipsos adhibuisse, quasi nempe perinde omnino fuerit, sive *speciei*, sive *accidentis* vocabulo illi uterentur.

Accedit etiam, non tantum *speciem* panis, verum etiam panis *imaginem, figuram, symbolum, signum, effigiem*, & *similitudinem*, quod remanet panis in hoc Sacramento, a Patribus nuncupari. Videtur autem, hisce vocabulis non satis apte exprimi *realem entitatem*, quæ ante consecrationem fuerit in substantia panis, & post consecrationem sine illa vere proprieque existat. Ergo veteribus Ecclesiæ

(a) Lib. XI. *de Trinitate* n. 3. & 4., *alias* cap. 2.
(b) Loco citato in responsione *ad secundum*.

clesiæ Patribus persuasum fuisse videtur, nihil *reale absolutum* panis, sed meram dumtaxat illius apparentiam in Eucharistia remanere.

Neque audiendum puto laudatum Virum Cl., dum ait alio loco, *Patres non per tropos & figuras, sed proprio & rigoroso verborum sensu loquutos fuisse, fidei nostræ mysteria exponentes* (a). Constat enim, Patres, qui quatuor prioribus Ecclesiæ sæculis illam illustrarunt, *involutis, & subobscuris verbis*, ut ait Cl. Tournely, *de difficilioribus fidei nostræ Sacramentis loqui, ne forte adesset aliquis paganus*, & *non initiatus, qui ea irrideret, & Christianis vitio verteret* (b). Sed hac cautela utebantur præcipue, cum de Eucharistia dicendum illis erat. Unde Cl. Juenin, *omnibus*, inquit, *quibus aliquis ad Patres aditus patuit, persuasum est, Scriptores quarti sæculi diligenter cavisse, ne infideles, quibuscum tunc vivebant, aliquid de Eucharistiæ mysterio audirent* (c): id quod luculenter probat Vir Cl. ex S. Cyrillo Hierosolymitano, ex Synodo Alexandrina apud S. Athanasium, ex S.S. Epiphanio, Basilio Cæsariensi, Augustino, & Ambrosio.

Secundo: nulla est ratio, propter quam putat P. Ferrari, veteres Patres sese in hoc mysterio explicando ab *accidentis* vocabulo abstinuisse: hujus nempe fuisse causam, *quia vox* accidentis *præ se ferat connaturaliter actualem inhærentiam subjecto; cum e converso per divinam virtutem Euccharisticæ species sine subjecto existant*. Si quid enim probaret hæc ratio, probaret etiam, a *specierum* quoque vocabulo sese abstinere debuisse. Nam sicuti *accidens* naturaliter exigit subjectum, cui reapse inhæreat; ita *species* rei *sensibilibiles* naturaliter objectum requirunt, a quo producantur, & conserventur; neque magis impossibile est naturæ viribus, haberi *accidens* sine subjecto, quam manere in oculo *species* rei, quæ videtur, quin res ipsa nobis præsens existat. Unde S. Augustinus, *informatio*, inquit, *sensus, quæ visio dicitur, a solo imprimitur corpore, quod videtur, id est, a re aliqua visibili, qua detracta, nulla remanet forma* (scilicet ipsius rei species) *quæ inerat sensui, dum adesset illud, quod videbatur. Sensus tamen ipse remanet, qui erat, & priusquam aliquid sentiretur, velut in aqua vestigium tamdiu est, donec ipsum corpus, quod imprimitur, inest, quo ablato, nullum erit, cum remaneat aqua, quæ erat, & ante quam illam formam corporis caperet* (d). Igitur periculum, quod, P. Ferrari si audiamus, movit veteres Patres, ne *accidentis* vocabulum adhiberent, vel plane ridiculum est, vel ipsos quoque movere debuisset,

(a) Tom. II. P.I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. pag. 207.

(b) Prælect. Theol. *de Sacram. Eucharistiæ* q. 2. artic. 4.

(c) Dissert. IV. *de Sacram. Eucharistiæ* q. 4. cap. I. artic. 6.

(d) Lib. XI. *de Trinitate* n. 3. *alias* cap. 2.

ne voce *speciei* uterentur. Neque juvat, *per divinam potentiam*, ut ait Cl. Auctor, *Eucharisticas species sine subjecto existere*. Nam etiam *accidentia* per divinam potentiam sine subjecto extare possunt. Hinc verosimilius videtur, veteres Patres ideo *speciei*, potiusquam *accidentis* vocabulum adhibere voluisse, quod persuasum illis fuerit, nihil prorsus reale panis, consecratione peracta, remanere.

Tertio: nulla sunt ea prædicata, *quæ Patres attribuunt Eucharisticis speciebus*, & ex quibus, ut dicitur in argumento, *fas est colligere, eas species esse reales*, nempe *accidentia absoluta*. Demonstravimus enim, neque fractionem *specierum sacramentalium* (§. 118.), neque rationem *sacramenti*, quæ salva esse debet in Eucharistia (§. 137.), neque vermes, quæ ex corruptis *speciebus* quandoque in pixide apparent; neque demum nutritio, quæ in nobis fit ex hostiis consecratis (§. 119.), necessario postulare, ut *species* illæ sint *entitates absolutæ* in sensu Scholastico.

Postremo: intelligere nullo modo possum, quod ultimo loco habet Vir Cl., *aliud* nempe *esse speciem, sive apparentiam, aut imaginem substantiæ panis, aliud speciem, seu imaginem accidentium: primum docere Patres, non vero secundum*. Cum enim substantia, si omnes *sensibiles affectiones* re, vel cogitatione ab illa separentur, non sit *sensibilis*, præsertim stando opinioni ipsiusmet P. Ferrari docentis (a), substantiam non esse ex se *impenetrabilem*, sed id habere a *quantitate* distincta, impossibile videtur, ut ipsa substantia suis *qualitatibus* nudata habeat *speciem, imaginem, & apparentiam*; penitusque dissonum rationi est, veteres Patres, utpote doctissimos, id docuisse.

Dicet fortasse Vir Cl., per *speciem, imaginem, & apparentiam* panis intellecta fuisse a Patribus *absoluta* ipsius panis *accidentia*, quatenus scilicet substantia panis per illa a nobis cognoscitur.

Sed contra est. Nam *primo*, ut recte observat Cl. P. Maignan, nonnisi valde improprie, & cum ἀμφιβολία doctis Viris prorsus indigna, vox, atque res *accidentium* potest per rem, vocemque *specierum* intelligi, atque illarum unam loco alterius usurpari. Quippe, inquit ille, *cum dicunt passim Theologi, modo loquendi apud Patres etiam usitato, Christum in sacramento Eucharistiæ tradere nobis verum corpus, & verum sanguinem suum non in* specie propria, *quæ est humani corporis, & humani sanguinis; sed in* specie *panis, & vini, haud dubie, nisi in tam paucis verbis amphibologiam habeant minime tole-*

(a) Tom. I. P. I. *Logicæ* Sect. I. cap. 6., & Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. pag. 209.

tolerandam, *sumunt eodem utrobique sensu*, & *significatione vocem* speciei, *nempe tum quando negant* speciem *corporis*, *atque sanguinis*, *tum quando* speciem *adstruunt panis*, & *vini*. *Atqui dum negant* speciem *corporis*, *atque sanguinis*, *non negant corporis*, & *sanguinis* accidentia propria, & intrinseca, *vel* inhærentia, *seu quæ sunt ejus*, *quæcunque illa sunt*, *quæ dicuntur* quantitas, albedo &c. *Nam D. Thomas* 3. p. q. 76. art. 4. *docet*, *ea remanere*, *vi concomitantiæ*. *Ergo negant sola* extrinseca, *nempe illa*, *quibus emissis*, & *impressis potentiam sensitivam afficiunt*. *Et quia ni sit*, *ut dicebam*, *amphibologia* &c. *necesse est*, *ut* speciei *genus illud idem*, *quod negant*, *cum dicunt* non in specie corporis humani &c., *idipsum adstruant præcise*, *cum dicunt* in specie panis &c., *sequitur in isto non debere intelligi* panis *assertam* quantitatem &c. *cum in illo non intelligatur negata* corporis quantitas &c. (a). *Secundo*: quia dato etiam, *realia* corporum *accidentia* posse aliquo modo *species substantiæ* corporum eorundem nuncupari, non propterea admittendum videtur, *accidentia* ipsa posse dici, vere proprieque loquendo, ejusdem substantiæ *apparentiam*, atque *imaginem*. Nihil quippe illa nobis exhibent *substantiæ*, nihil repræsentant. Non inficior, ex cognitis rei *qualitatibus* in cognitionem *substantiæ* ipsius rei nos deduci. Verum hoc ideo contingere, quia rei *substantia* tunc nobis appareat, & in suis *qualitatibus*, veluti in sui imagine, a nobis conspiciatur, illud est, quod intelligi jure posse, & a veteribus Ecclesiæ Patribus, dum de panis *speciebus* loquebantur, fuisse intellectum, nunquam concedam.

Satisfit argumentis in oppositum.

I.

147. *Obiicitur primo*. Ex S. Irenæo Eucharistia *duabus rebus* constat, *terrena*, & *cælesti* (b). Nomine autem *rei terrenæ* intelligere non potuit Irenæus, nisi *realia accidentia*, quæ ibi remaneant, quemadmodum nomine *rei cælestis* nonnisi ipsum Christi Corpus intellexit. Ergo *accidentia absoluta* & nota fuerunt S. Irenæo, & in Eucharistia ab illo admissa.

℞. *nego minorem*. Dico enim, S. Irenæum nomine *rei terrenæ* non intellexisse aliquid *reale*, & *positivum* panis, quod, consecratione per-

 acta,

(a) Appen. *de speciebus Eucharisticis* n. 50. ad cap. 33. *Philos. naturæ*.
(b) Lib. IV. *contra hæreses* cap. 18. num. 5.

acta, in hoc Sacramento superestes maneat, quodque, veluti pars altera, una cum Christi Corpore, quod dixerit *rem cælestem*, Eucharistiam constituat; sed ipsummet Corpus Christi per *rem terrenam* intellexisse; illudque ideo dixisse *terrenam rem*, ut errorem exploderet Valentinianorum, falso contendentium, Christum Dominum e cœlo detulisse corpus suum, perque Virginem Matrem, *quemadmodum aqua per tubum transit* (a), in terram descendisse. Hanc autem eo loci fuisse mentem S. Irenæi, tenet Cl. P. Renatus Massuet post Viros doctissimos Claudium Sanctesium, & Card. Perronium, a Cl. Tournely (b) laudatos. Inquit enim: *quæ autem res illa terrena, ex qua* (ut ait Irenæus) *constat Eucharistia, nisi corpus, & sanguis Domini, quibus ali carnem nostram mox dixerat Irenæus? Ea vero rem terrenam vocat, ut hinc hæreticos confutet, negantes, Christum quidquam sibi terreni corporis adscivisse: terrenam, inquam, quia ex terreno pane, & vino, in Christi corporis, & sanguinis substantiam conversis & transmutatis, fit verum Domini corpus, verusque sanguis. Ex quo sequitur, Christum sibi corpus ex terrena materia concretum & factum, veramque carnem, ac verum sanguinem assumsisse, quod inficiabantur hæretici. Quæ vero res illa cœlestis, ex qua etiam constare Eucharistia dicitur, nisi ea, cujus paullo ante facta mentio est, Verbum scilicet Divinum, filius Patris unigenitus, quem creatæ Jesu Domini nostri naturæ vere ac substantialiter unitum fuisse, nolebant hæretici? Recte igitur asserit Irenæus, Eucharistiam ex duabus rebus constare,* terrena, *&* cœlesti. *His enim catholicam sententiam adversus hæreticorum blasphemias egregie munit; probatque ex Eucharistia, quam corpus, & sanguinem esse Domini fatebantur illi, Christum Dominum ut verum hominem, sic & verum Deum, Filium Dei, & Verbum Patris unigenitum extitisse, Verbumque humanam Christi naturam, corpus, & sanguinem vere ac substantialiter univisse sibi* (c). Suaderi autem id etiam potest ex eo, quod, hoc posito, illud prono alveo fluat, quod Vir sanctus contra Valentinianos ostendere nitebatur, videlicet eos perperam contendere, nihil terrenum posse Deo offerri. Enimvero, cum Eucharistiam, in qua aliquid terrenum est, nempe Corpus Christi, ipsi etiam Deo offerrent, affirmabant factis, quod verbis negare non verebantur. Recte propterea S. Doctor illos arguit palmaris incostantiæ, cogitque, *ut aut sententiam mutent, aut abstineant offerendo, quæ prædicta sunt* (d). Nec

(a) S. Irenæus *lib.* I. *cap.* 1.

(b) Prælect. Theol. *de sacramento Eucharistiæ* q. 2. art. 4. *in responsione* ad *objectionem* 3. ex Irenæo.

(c) Dissert. III. *in libros Irenæi* artic. 7 n. 84.

(d) Laudato lib. IV. cap. 18. n. 5.

Nec refert, Valentinianos negare, Christum Dominum corpore constare terreno. Cum enim, inquit Cl. Tournely, *id invicte alibi probasset S. Doctor, merito hic supponit* (a). Fateor equidem, si *absoluta* panis, vinique *accidentia* nomine *rei terrenæ* ab Irenæo intellecta fuisse dicantur, adhuc stare, aliquod terrenum etiam a Valentinianis Deo offerri. Nonnulla tamen me movent, ut de mente S. Irenæi contrarium sentiam. Est enim primum, *accidentia absoluta* nonnisi valde improprie potuisse *rei* nomine a S. Irenæo designari. *Res* quippe, proprie loquendo, idem prorsus, quod *substantia* significat. Secundum est, ejusmodi *accidentia* nullibi a S. Irenæo antea memorari. Id enim fecisset ille, si nomine *rei terrenæ* ea hoc loco intellexisset. Postremum est, satis non fuisse ad rem, de qua tunc agebatur, ut *absoluta accidentia* a S. Irenæo admitterentur; sed præterea necessarium fore, etiam admitterentur a Valentinianis, ut hinc scilicet inconstantiæ jure meritoque eos postularet Irenæus, quatenus nempe *absoluta accidentia* una cum Christi Corpore in Eucharistia Deo offerrent; tum nihil terrenum, cujusmodi certe illa sunt, Deo offerri posse arbitrarentur.

II.

148. *Obiicitur secundo*. Doctissimus Cornelius a Lapide exponens illud Geneseos: FIAT LUX, refert, S. Basilium *Homil.* VI. in *Hexameron*, Theodoretum, & Nazianzenum *orat.* in *novam Dominicam* putare, *solam* lucis *qualitatem hic sine subjecto fuisse creatam*; idque notandum censet Cl. Auctor *contra hæreticos, negantes in Eucharistia accidentia sine subiecto posse existere*. Ergo veteres Patres non tantum agnoverunt, sed & admiserunt *absoluta accidentia* Scholasticorum.

℞., bona tanti Viri venia, neque S. Basilium, neque Nazianzenum docuisse, *lucem*, quam Summus Mundi Opifex primo die creaverat, fuisse *accidens* sine subiecto, sumto *accidente* prout in hac disceptatione sumitur; Theodoretum vero nedum id non tradidisse, sed potius docuisse contrarium. Etenim primo ad S. Basilium quod attinet, hæc habet S. Doctor, de primigena illa *luce* disserens: *incredibile*, inquit, *nemini videatur, & a fide abhorrens, quod dictum mihi est, aliud nimirum quiddam esse a luce splendorem, aliud item corpus subsidens luci, ac subjectum. Primum enim res omnes compositæ sic a nobis dividi solent in ipsam* essentiam susceptricem, *&* in eam, *qua ipsi accidit*, qualitatem. *Ut igitur diversa sunt hæc natura*, albedo, *inquam*, *&*

(a) Loco citato in *responsione* ad *obiectionem*.

& corpus dealbatum, *sic & ea, quæ modo diximus, differunt quidem, unita tamen sunt potentia Creatoris. Itaque ne mihi dixeris, fieri hæc non posse, ut* lux *a* corpore *Solis separetur. Neque enim ego* lucis *a Solis* corpore *separationem mihi, ac tibi possibilem esse dico; sed asserendum esse censeo, quæ mentis sola agnitione, cogitationeque dissipari a se possunt, ea reipsa sejungi facultate Creatoris utriusque naturæ posse* (a). Hæc ille. Eatenus ergo dicendum videtur, *lucem*, S. Basilii sententia, esse *accidens absolutum*, quatenus primo S. Doctor ait, eam esse aliud a corpore Solari, quemadmodum *albedo* est aliud a corpore dealbato; secundo quatenus eam habet veluti *qualitatem*; postremo quatenus docet, fieri non posse, naturæ viribus, sed tantum *facultate Creatoris*, ut *lux* a Solis *corpore* sejungatur. Sed ex horum nullo res conficitur. Vera sunt enim omnia, si dicamus, primigenam *lucem*, opinione S. Basilii, esse substantiam quamdam subtilissimam, maximeque actuosam, ac vividam, quam sine ullo crasso inertique corpore prima die condiderit Opifex sapientissimus; tum die quarta in Sole posuerit, tamquam *formam* in *subiecto*, a quo deinde in gyrum, pro toto successive illuminando Orbe, indesinenter deferretur. Neque huic obstat, *lucem* a S. Basilio comparari cum *albedine*, & inter corporum *qualitates* recenseri, vel etiam, si placet, *qualitatem* ab illo nuncupari. Nemo quippe Scholasticorum inficiabitur, *qualitatem* dici quidquid in subjecto est, & *quale* illud denominat, sive demum, in se spectatum, sit *substantia*, sive *accidens*. Atque ita revera sensisse S. Basilium, suadent plura. Primo etenim nimis inconveniens videtur, tantum Virum in exponenda prima rerum creatione ad miracula confugere voluisse; docente S. Augustino, convenire, nos quærere *secundum Scripturas ejus, quemadmodum Deus instituerit naturas rerum, non quid in eis, vel ex iis ad miraculum potentiæ suæ velit operari;* neque nos propterea debere ita eos refellere, qui asserunt, *istarum aquarum naturam super sidereum cælum esse non posse*, ut dicamus, *secundum omnipotentiam Dei, cui cuncta possibilia sunt, oportere nos credere, aquas etiam tam graves, quam novimus, atque sentimus, cælesti corpori, in quo sunt sidera, superfusas* (b). Neque contrarium sensit S. Basilius; cum illi quoque certo constiterit, plane historicam esse, quam Moyses tradidit de Mundi creatione narrationem; unde eos ipse quoque reprehendit, qui Scripturæ verba, non prout sonant, accipiunt. *Ego vero*, inquit, *cum fœnum audio, fœnum intelligo, & stirpem, & piscem, & feram, & jumentum, omnia uti dicta*

(a) Homil. VI. in *Hexameron*.

(b) Lib. II. *super Genesim ad literam* n. 2., *alias* cap. I.

cta sunt, ita accipio (a). Fieri autem sine maximo miraculo non potuisse, ut, si *lux* primigena fuerit *accidens* in sensu Scholastico, tunc extiterit sine subiecto, nemo non videt. Ergo, ne dicamus, S. Basilium in explicanda prima rerum creatione ad miracula confugisse, dicendum superest, ipsum non ita de *luce* primigena fuisse opinatum, ut crediderit, illam & esse verum *accidens physicum*, & sine subiecto, cum primo creata fuerat, divinitus extitisse. *Secundo*: quia ille ipse paulo ante memorata verba aperte docet, *lucem* esse in Sole, non quemadmodum *albedo* in corpore albo, sed quemadmodum domestica lux in lucerna, videlicet non ut in subjecto, cui vere inhæreat, sed ut in vehiculo, quo in gyrum deferatur. Inquit enim: *lucem pro splendore, & illuminatione posuit. Non adversantur hæc illis sane, quæ de luce sunt dicta. Tunc enim ipsa natura lucis producta est; nunc autem hoc Solis corpus eo conditum est, ut illi primogenitæ luci vehiculum esset. Nam, ut alia, diversaque sunt, & non eadem ignis, atque lucerna; & ignis quidem illuminandi vim obtinet; lucerna autem idcirco facta est, ut vel moderatam lucem subministret egentibus, sic & illi purissimæ, sinceræ, immaterialique luci ceu vehiculum nunc ipsa luminaria sunt extructa* (b). *Postremo*: quia loquens de *sensibilibus* terræ *qualitatibus*, docet, eas ne cogitatione quidem a terræ substantia sejungi posse, quin illa in sui nihilum abeat. Sic enim ait: *in nihilum omnino desieris, si singulas eas, quas obtinet qualitates, ratiocinando coneris auferre. Nam si nigredinem, si frigiditatem, si gravitatem, si densitatem, si denique qualitates eas, quas sibi gustus vindicat, aut si quas alias inesse terræ videmus, amoveris, nullum relinquetur subjectum* (c): quod profecto haud recte dixisset, si *qualitates* rerum *sensibiles* haberet tamquam *accidentia absoluta*. Possent quippe tunc ab rerum ipsarum substantia non solum *cogitatione*, sed etiam *re* separari, quin in sui nihilum illa propterea redigatur.

Quod vero spectat ad Nazianzenum, hæc sunt, quæ in laudata Oratione de primigena *luce* leguntur: *Conveniebat Magno Lumini opificium suum a lumine auspicari, quo tenebras, vastamque illam rerum congeriem, & confusionem omnia occupantem solvit ac depulit. Nec vero id organicum a principio, nec mea quidem sententia, solare protulit, verum incorporeum, & Solis expers. Sed postea ad orbem terrarum illustrandum Soli traditum est. Nam, cum in aliis rebus hanc rationem tenuisset, ut materiam prius conderet, ac deinde eam forma convestiret, ordine videlicet, ac figura, magnitudineque unicuique rei impositis, hinc*

(a) Homil. IX. in *Hexameron*.
(b) Ibidem *Homil.* VI.
(c) Ibidem Homil. I.

hinc ut majoris cujusdam miraculi specimen ederet, formam materiæ priorem protulit (forma enim Solis lumen est) ac postea materiam induxit, Solem hunc, nimirum diei oculum fabricatus. Ideo ergo primigena *lux* ponenda est *accidens* ex Nazianzeno, quia Solis *forma* ab illo dicitur. Sed hæc ratio nulla est. Constat enim, non tantum *accidens physicum*, sed etiam substantiam actuosam & vividam recipi posse in subjecto, ejusque formam nuncupari. Præterea cum dicat Nazianzenus, Summum rerum Conditorem in rebus aliis efficiendis hanc rationem tenuisse, *ut* materiam *prius conderet, ac deinde eam* forma *convestiret, ordine* videlicet, ac *figura, magnitudineque*, videtur non aliam in rebus pure corporeis *formam* ille quoque admisisse, nisi quæ a *magnitudine, figura*, & *ordine* partium dependet; ac proinde eam ipsam, quam in rebus iisdem statuunt Recentiores. Ergo Nazianzenus nedum Recentioribus non adversatur, sed in præcipuo Mechanici systematis capite cum illis prorsus consentit.

Quod demum pertinet ad Theodoretum, videre nescio, cur iis ille accenseatur, qui primigenam *lucem* ab *accidente physico* nequaquam discernunt. Adeo abest enim, ita de *luce* sensisse Theodoretum, quin contrarium potius, ut monui, ille aperte docuerit. Hæc enim habet. *Didicimus aperte, tenebras esse necessarias. Quod autem non sint substantia, sed res quædam accidentaria, facile est intelligere, nempe quod sint cœli, & terræ adumbratio. Quamobrem, oriente Sole, evanescunt tenebræ. Lumen autem* SUBSTANTIA *est, &* SUBSISTIT (a). Equidem non nego, neque negare possum, *tenebras* a Theodoreto *accidens*, sive *rem accidentariam* vocari. Verum an *absoluta accidentia* tunc ille in mente habuerit, volueritque, *tenebras* esse *accidens* hujuscemodi, neminem Scholasticorum futurum spero, qui adeo palmaris erroris Theodoretum insimulet. Puto etiam dicturum neminem, Theodoretum sumere *substantiam* pro *essentia*, ut a Patribus non raro factum legitur; quippe, cum Theodoretus *lucem* non tantum appellaverit *substantiam*, sed præterea illam *subsistere* dixerit, clarius luce ipsa videtur, sumtam ab illo fuisse *substantiam* proprie & in rigore, prout nempe ab *accidente physico* ea distinguitur.

Unus porro non fuit inter veteres Patres Theodoretus, qui *lucem* dixerit entitative *substantiam*. Hujus quippe opinionis fuisse etiam S. Augustinum, certum est. Ait enim: *si corpus est*, quidquid *majoribus, & minoribus suis partibus majora, & minora spatia locorum obtinentibus constat, corpora sunt etiam ista, quæ commemoravi: corpus est aer, corpus est* lux *ista visibilis, & omnia, sicut dicit Apostolus,* cor-

(a) In Genesim q. 7.

corpora cœlestia, & corpora terrestria (a).

Respondet Cl. P. Ferrari, *probabili satis fundamento dici posse, primum quidem a Deo creatas fuisse quasdam lucidas substantias, quæ exinde in Solem, & stellas formatæ sunt; unde* lux *pro* materiali *est* substantia: *quod S.S. Patres intendunt, qui subtilem hanc quæstionem non evolvere. Ita* lux *ratione* subjecti *sui dicitur mobilis, & motum efficere, quamquam pro* formali *sit* qualitas, *ut loquitur S. Joannes Damascenus lib.* II. de fide orthodoxa *cap.* 7. (b).

Verum contra arguitur. Nam *primo* ex S. Augustino *lux* est *corpus*, quemadmodum, ut ipse ait, *corpus est aer, & omnia corpora cœlestia, & corpora terrestria*. Sed aer, cœlum, terra, quæque illis continentur corpora, non sunt *corpora* tantum pro *materiali*, sive ratione *subjecti*, ut putat Cl. Adversarius (non enim sunt in subjecto) sed pro *formali*. Ergo etiam *lux* ex S. Augustino non ratione *subiecti* tantum, sed ratione sui *formaliter* est corpus. *Secundo*: quia contra regulas Logicæ peccasset S. Augustinus, si *lucem* dixisset *corpus*, quia in corpore recipitur. Logicalium quippe regularum una est, eaque verissima, *subjectum* prædicari directe non posse de *forma*. Ecquis sane, qui prima Logicæ rudimenta vel ab ipso limine salutaverit, ignorat, hæc esse falsa: *anima rationalis* est *corpus organicum*; *albedo* est *paries*; *raritas* est *aer*? Nisi ergo Cl. P. Ferrari sibi licere putet de S. Augustino, ceterisque Patribus, qui *lucem* dicunt esse *substantiam*, tam male sentire, ipsum ne pudeat, candide fateri, a vero aberrasse, cum dixit, *lucem* ex S. Augustino, & aliis Patribus tantum pro *materiali*, sive ratione *subjecti*, esse *substantiam*. Postremo, si vera atque legitima sit hæc prædicatio: *lux est corpus*, quamvis revera *lux* non sit *corpus*, sed tantum in corpore recipiatur; vera quoque & legitima, dicent Lutherani, erit illa Christi Domini propositio: *Hoc est corput meum*, tametsi id, quod Christus manibus suis tunc ferebat, tradebatque Discipulis, ut manducarent, non esset suum Corpus dumtaxat, sed etiam substantia panis, sub qua Corpus illud veluti sub velo lateret. Eccur enim, urgebunt illi, ut hęc sit vera: *lux est corpus*, satis est, corpus sit subjectum *lucis*; contra vero ut sit vera illa Christi Domini: *Hoc est Corpus meum*, non sufficiat, Corpus illud sanctissimum sit sub panis substantia tamquam sub velo; sed necessario requiratur, ut non amplius illa in hoc Sacramento existat?

Falsum demum est, S. Joannem Damascenum docere, ut ille ait,

(a) Lib. IV. *de anima, & ejus origine* num. 17., *alias* cap. 12.

(b) T. III. P. III. *Physicæ* Disp. III. q. 5. de *luce* in responsf. ad 3. *object.* pag. 420.

lib. II. *de fide orthodoxa* cap. 7., *lucem pro formali esse qualitatem*. Id enim non habetur in laudato capite, neque alibi, quod invenire potuerim. Imo, cum in ipso *cap.* 7. *lib.* II. memorati operis *de fide orthodoxa* lucem ab igne non distinguat, videtur ab illius mente prorsus alienum, lucem esse *qualitatem*. En ejus verba: *ignis*, inquit, *unum quatuor elementorum existit, ceterorum levissimum, & ocyssime sursum emicans, adustivum, & illuminativum, prima die a rerum Opifice conditum. Inquit enim Divina Scriptura*: & dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux. *Neque enim aliud est ignis, quam lux*. Addit quidem S. Doctor: *ut quidam ajunt*. Sed cum neque hoc loco, neque alibi hanc ille opinionem rejecerit, eam ab ipso quoque approbatam fuisse, dicendum est. Unde doctissimus Pererius, exponens illa verba Geneseos: FIAT LUX, sibi videri, ait, *Damascenum existimasse, lucem illam fuisse elementum ignis* (a).

III.

149. *Obiicitur* 3. In epistola, quam *de morte S. Hieronymi* scripsit Eusebius, illius, ut seipsum appellat, discipulus, ad Damasum Portuensem Episcopum, & Theodosium Romanorum Senatorem legitur, S. Senem, quamprimum cernere potuit Sacrum Domini Corpus, quod ad ipsum ultimo morbo correptum delatum fuerat, ut communicaret, in hæc verba ad illud conversum prorupisse: *O ineffabilis admiratio! O omnium novitatum novitas! Oculi in te vident* albedinem, saporem *sentit gustus*, odorem *olfactus*, *tactusque* subtilitatem *reperit. Sed auditus cordi repræsentat, in te illa non fore* accidentia. *Hic certe per se sola existunt* accidentia *sine* subjecto; *quia non, ut humanis videtur sensibus, panis es, sed Jesus Christus integer, sicut in cælo ad Patris dexteram resides Deus, & homo* (b). Ergo *absoluta accidentia* Scholasticorum nedum nota fuerunt S. Hieronymo, sed etiam ab illo in hoc Sacramento admissa; adeoque &c.

℞., hanc epistolam *de morte S. Hieronymi*, omnium Eruditorum calculo, supposititiam esse, penitusque indignam, cui vel minima fides a nobis præbeatur. *Nihil in ea habetur*, inquit, & recte quidem, Erasmus in illius censura, *in quo bonarum horarum ullam partem quis collocet. Nec eget D. Hieronymus hujusmodi fucis, nec dignatur a tam insulso pingi artifice*. Ecclesiasticorum quoque annalium Parens Baronius,

(a) Comment. in *Genesim* lib. I. n. 72.

(b) Legitur hæc epistola Tom. V. *Operum S. Hieronymi* edit. *Parisiensis* anni 1706., Tom. XI. edit. Veronensis anni 1742. colum. 288.

ronius, narrata morte S. Hieronymi, iisque ejusdem operibus memoratis, *quæ desiderari posse videntur* (a), *nunc nobis*, inquit, *de S. Hieronymo ingesta ab imperitis & impostoribus sunt explodenda mendacia, non quæ in scripta, sed quæ irrepserunt in acta, dum nonnulli de rebus gestis S. Hieronymi complura confinxere commenta. Equidem, ut puto, sicuti fecit olim presbyter Asianus, qui amore Pauli, ut ex Tertulliano diximus, periodos Pauli, & Theclæ confinxit, ita & isti amore Hieronymi plurima commenti sunt; digni sane & ipsi, ut eidem ab Ecclesia sententiæ subiicerentur, & penæ, quam ille tunc juste irrogatam subire coactus est........ Quamobrem diversi pro ingenii diversitate diversa excogitarunt inventa, dum vel Eusebii, vel Augustini, vel Cyrilli Hierosolymorum Episcopi nomine, conscripserunt epistolas, quibus res gestas ex animi cujusque sententia adinventas atque commentas conscriberent. Et ne ullus dubitandi locus esset, eas subintroduxerunt personas, quas ipsi licet errantes putarint illis vixisse temporibus. Sed ex his mendaces detecti sunt, & impostores, ex quibus conati sunt videri veraces. Quis enim (ambo te) audiens Cyrilli Episcopi Hierosolymorum nomen ad ista referri tempora, quem ante annos triginta, ipsius assertione S. Hieronymi, constat esse defunctum, non statim ea indignabundus excutiat? Sed & quod ex ipsa inscriptione minime temporibus congruente, cuncta, quæ in opere essent, arguerentur erroris, qui postea mendaciorum polinctor accessit, atque deliniens foris casurum parietem, ad temporum suffulciendum mendacium satis putavit fore consultum, si titulum sic mutaret, ut loco Damasi Papæ poneret Damasum Episcopum Portuensem, & pro Theodosio Imperatore redderet Theodosium Senatorem hoc modo:* Patri Reverendissimo Damaso Portuensi Episcopo, & Christianissimo Theodosio Romanorum Senatori Eusebius &c. *Quis ista non videat, & non rideat adeo inconcinne compositam fraudem? sicut & cum in multis aliis certam reperiet imposturam, ut cum ait, veste muliebri illum Roma fugatum, inde profectum esse Constantinopolim; cum, quæ ex ejus scriptis dicta sunt superius, te satis monere possint, eo tempore, quo ipse recessit ab Urbe, esse profectum recta Hierosolymam, & Gregorium Nazianzenum jam, antequam Romam redierit, audivisse* (b).

Refert præterea, S Hieronymum tunc quoque dixisse, sacrificium a malo sacerdote oblatum non tantum cedere in ipsius offerentis *præjudicium, & damnationem*, verum etiam iis, *pro quibus fit, non prodesse* (c): quod tamen quam longe fuerit a mente tanti Doctoris, ex

(a) Tom. V. ad annum 420. num. 42.
(b) Ibidem num. 43., & seq.
(c) Cap. 49.

ex ejusdem dialogo contra Luciferianos manifestum est. Merito ergo optimoque jure dixit doctissimus Card. Bellarminus (a), hanc epistolam, sicuti etiam duas, quæ sequuntur, alteram nempe Augustini ad Cyrillum *de magnificentiis S. Hieronymi*, alteram vicissim Cyrilli ad Augustinum *de illius miraculis* (sunt enim omnes, ut consentiunt Critici, ejusdem auctoris) manifeste prodere non solum novitem suam, sed etiam imperitiam, & imposturam: quod confirmat Ovdinus, hæc tria opuscula vocans *absurdissima, & falsissima* (b). Sane, quæ Cyrilli ad Augustinum inscripta est, *confundit tempora*, ut ait laudatus Cl. Bellarminus, *hæresim monothelitarum pro fide catholica vendit, Cyrillum, Augustinum, & Hieronymum pro magna laude hæreticos monothelitas facit* (c). Hæreticum quippe vocat Sabinianum quemdam, & hæreticorum fautorem, eo quod dixerit, duas in Christo esse voluntates; eumque in tanti flagitii sui pœnam, miraculo S. Hieronymi, repente periisse, a corpore detruncato capite, *tamquam si ense spiculatoris manus amputasset ictu uno* (d). Quanti ergo faciendum sit argumentum, quod pro *accidentibus absolutis* ex epistola Eusebii ad Damasum sumtum est, ipsorummet Scholasticorum esto judicium.

Dicent fortasse, ex laudata epistola Eusebii ad Damasum Portuensem inferri quidem non posse, *absoluta accidentia* fuisse a S. Hieronymo in Eucharistia admissa; verum satis ex illa constare, doctrinam de *accidentibus absolutis* habuisse locum in Scholis catholicis ante sæculum Christi XI., eamque apud Theologos, secus plane atque a nobis dictum fuerit, pro explicando Eucharistiæ sacramento longe antea illud sæculum in usu fuisse. Ovdino siquidem teste (e), auctor illius epistolæ fuit Damasus ipse, cui inscripta est, quique anno 891 sub Formosi nomine Romanam sedem tenuit.

Sed contra. *Primo* etenim nullæ sunt conjecturæ, quibus suadere nititur Ovdinus (f), auctorem illius epistolæ fuisse Damasum Episcopum Portuensem, qui anno 891 ad summi Pontificatus apicem evectus, Formosus dictus est. Id ille probat primo, quia nullus alius fuit Damasus Portuensis Episcopus, nisi qui anno 891 sub Formosi nomine Pontificatum gessit. Secundo: quia jam constat, illum consuevisse, opuscula sua sub aliorum nominibus publicare. Verum, ut dixi, hæ conjecturæ nullæ sunt. Nutat prima, tum quia non apparet,

(a) Lib. *de Scriptoribus Eccl.* de S. Hieronymo.

(b) Tom. I. *de Script. Ecclesiasticis.* Dissert *de scriptis S. Hieronymi* cap. 5. colum. 837.

(c) Loco citato.

(d) Cap. 49.

(e) Tom. II. *de Script. Eccl.* Dissert. *de vita, moribus, & scriptis Damasi Portuensis Episcopi* cap. 7. colum. 388.

(f) Ibidem.

paret, cur auctor illius epistolæ is censeri debeat, cui inscripta est. Profecto si valeret hæc ratio, dicendum foret, Cyrilli quoque, & Augustini eas esse epistolas, quæ *de magnificentiis*, & *miraculis S. Hieronymi*, illis inscriptæ leguntur: quod non dabit Ovdinus, nefas jure ac merito ipse quoque putans, ut credo, summis illis Viris opuscula tribuere, quæ, ejus etiam judicio, *omnium absurdissima* sunt, atque *falsissima*. Secunda quoque conjectura vacillat. Si namque Damasus dici deberet auctor illius epistolæ, quia aliorum nominibus soleret opuscula sua inscribere, aliis quoque haud dissimili ratione tribui illa posset, iis nempe omnibus, quos jam constat, reos esse ejusdem criminis. Neque enim unus tantum fuit Damasus Portuensis Episcopus, qui consueverit, ut de Damaso ait Ovdinus (a), opera sua *alienis, & absurdis inscriptionibus occultare*.

Secundo: quia momenta non desunt, quibus, auctorem illius epistolæ fuisse XI. Christi sæculo posteriorem, suadeatur. Desumitur primum ex iis ipsis verbis, quæ B. Hieronymo in argumento tribuuntur. Doctrinam quippe referunt, quæ, ut satis valide ostensum est, nonnisi sæculo Christi XI. locum in Scholis habere cœpit. Secundum ex eo colligitur, quod *absoluta* panis *accidentia* frangi in hoc Sacramento dicantur. Fertur enim, S. Hieronymum tunc quoque exclamasse: *O humanorum illusio sensuum! Franguntur illa, quæ humanis sensibus in te videntur* accidentia, & *tamen nec frangeris, nec corrumperis* (b). Id porro argumento esse, auctorem illlius epistolæ fuisse XI. Christi sæculo posteriorem, patet ex dictis de *fractione Eucharistica* (§. 118.). Vidimus enim, Petrum Abaelardum, qui anno 1143. a Christo nato ex hac vita migravit, fuisse primum, vel inter primos haberi, qui docuerint, *fractionem Eucharisticam* in *accidentibus* fieri, quæ in Sacramento supersunt. Illum certe non reprehendisset Walterius, quasi ob hanc causam male in fide sentiret, si hæc opinio de *fractione Eucharistica* nova tunc non esset in Scholis, Majoribusque invisa. Postremum est, quia in epistola Cyrilli ad Augustinum *de miraculis S. Hieronymi* Sylvanus quidam *sanctæ Nazareth Ecclesiæ* ARCHIEPISCOPUS non semel tantum, sed bis, ter, quaterque appellatur (c). Certum est autem ex Ughello (d), Nazarenam Metropolitanam Sedem constitutam fuisse a Latinis post captam anno 1099., Gotifredo Duce, Regiam Hierosolymorum civitatem. Ergo auctor illius epistolæ posterior est anno Christi 1099. Is

(a) Loco laudato.
(b) Cap. 49.
(d) Cap. 4, & 5.

(d) Tom. VII. *Italiæ Sacræ* de Archiepiscopali Nazarena Sede *colum.* 769. edit. Venetæ 1721.

Is autem, ipsomet fatente Ovdino (a), nec dissentiente Erasmo, auctor quoque fuit epistolæ Eusebii ad Damasum. Ergo hujus epistolæ auctor posterior fuit sæculo Christi XI.; & ideo stat, nihil prorsus ex illa posse colligi, quod Recentioribus jure molestiam creet.

I V.

150. *Obiicitur postremo*, dari ex sanctis Patribus ἀναλογίαν quamdam inter sacramentum *Eucharistiæ*, & mysterium *Incarnationis*, unumque per aliud ab illis exponi. Patet, ut alia præteream, ex celebri epistola S. Joannis Chrysostomi ad Cæsarium Monachum. Sic enim in ea loquitur S. Doctor: *& Deus, & homo Christus. Deus propter impassibilitatem, homo propter passionem: unus filius, unus Dominus, idem ipse proculdubio unitarum naturarum unam dominationem, unam potestatem possidens, etiamsi non consubstantiales existant, & unaquæque incommixtam proprietatis conservat agnitionem, propter hoc quod inconfusa sunt duo. Sicut enim antequam sanctificetur panis, panem nominamus; Divina autem illum sanctificante gratia, mediante Sacerdote, liberatus est quidem ab appellatione panis, dignus autem habitus est Dominici corporis appellatione, etiamsi natura panis in illo permansit, & non duo corpora, sed unum corpus filii prædicatur; sic etiam hic, Divina natura in ipso insidente, unum filium, unamque personam, utrumque constituit* (b). Jam vero, si nihil panis *reale* & *positivum* in Eucharistia remaneret, cui Christi Corpus per intimam præsentiam veluti unitum existeret, nulla esset hæc similitudo; neque pro *dualitate* naturæ in *unitate* personæ, contra Eutychianos demonstranda, S. Joannes Chrysostomus eam recte adhibuisset. Igitur comperta illi res fuit, aliquid panis *reale* & *positivum* in Eucharistia remanere. Certum est autem, illud non esse substantiam panis. Erit ergo ejusdem panis *accidentia absoluta*; adeoque nedum illa non latuisse veteres Ecclesiæ Patres, sed de illorum existentia ipsos ne levissime quidem dubitasse, dicendum est.

℞. *primo*, certo non constare, hanc epistolam esse genuinum S. Joannis Chrysostomi fœtum. Dubitant enim plerique, neque immerito. Dubium est, inquit Cl. P. Natalis ab Alexandro, *sitne S. Joan-*

(a) Tom. I. *de Script. Eccl.* colum. 837.

(b) Hanc epistolam, quam plurimi faciunt sectarii, & maxime Albertinus, quod putent, ex illa evinci, panis substantiam, Chrysostomi testimonio, in Eucharistia remanere, primus omnium memoravit Petrus Martyr, non indicato loco, ex quo eam eruerit, neque Græco originali textu, ex quo illam verterit. Latinam versionem manuscriptam invenit Cl. Bigotius in Bibliotheca P. P. Prædicatorum Florentiæ, eamque typis mandari curavit.

Joannis Chrysostomi hæc ad Cæsarium *epistola*. *Quamvis enim vetus Auctor, qui contra Severianos, & Acephalos scripsit, a Turriano in lucem editus, S. Joannes Damascenus in Tractatu contra Acephalos ab eodem vulgato, & Nicephorus Patriarcha Constantinopolitanus in Disputatione adversus imaginum impugnatores, quæ MSS. extant in Bibliotheca Colbertina, ipsam laudent; dubium faciunt conjecturæ non leves, an revera sit S. Chrysostomi*. Primo *quod, exorta Eutychetis hæresi, quam diserte refellit* (*), *scripta videatur*. Secundo, *quod Veteres, qui adversus Eutychianos scripsere, & Patrum testimonia luculenta contra ipsorum errorem congessere, hanc epistolam non laudaverint: quod sane minime prætermisissent, si a sancto Chrysostomo scripta fuisset*. Tertio, *quod Theodoretus in Dialogis, ubi eodem argumenti genere contra Eutychianos utitur, quo epistolæ illius Auctor, ejus non meminerit; cum tamen alia S.Joannis Chrysostomi loca minus expressa proferat* (a).

℞. *secundo*, argumentum desumtum ex hac epistola nimis probare, si stricte sumatur comparatio, quæ in ea fit inter *Eucharistiam*, & *Incarnationem*, quemadmodum stricte sumi debet, ut, quod Scholasticis in votis est, ex illa evincant. Perfecta enim similitudo statui nequit inter *Eucharistiam*, & *Incarnationem*, nisi non tantum *absoluta* panis *accidentia*, sed ipsammet etiam ejusdem *substantiam* in *Eucharistia* remanere, dicatur; ac proinde nisi catholicum *transubstantiationis* dogma vacillet & corruat. Sicuti namque duplex in Christo est *natura substantialis*, Divina, & humana, nullaque humanitatis in Divinam Christi naturam contra Eutychetem facta conversio est; ita duplex in *Eucharistia* admittenda esset *substantia*, panis nempe, & Corporis Christi, ut locum haberet instituta comparatio. Certe non aliam ob causam modernis sectariis, Albertino præsertim, Basnagio, & Picinino, maximo hæc epistola in pretio est, neque ob aliam causam pro genuino Chrysostomi fœtu eam habendam volunt Caveus, & Ovdinus, nisi quia persuasum habent, dogma *transubstantiationis* hoc Chrysostomi testimonio prorsus convelli. Propterea

℞. *tertio*, Auctorem hujus epistolæ, quicunque ille fuerit, sicuti etiam reliquos veteres Patres, qui *Incarnationem* cum *Eucharistia* compa-

(*) Hæresis Eutychiana de *una natura* in Christo post S. Joannis Chrysostomi obitum exorta est; ut proinde ab illo oppugnari nequaquam potuerit. Ex hac enim vita discessit S. Doctor anno a Christo nato 407., initium vero Eutychianæ hæreseos alii anno 442. ex fragmento epistolæ Domni Episcopi Antiocheni ad Theodosium Imperatorem a Facundo *lib.* VIII. c.5. relato; alii anno 448. ex epistola XVI. Gelasii Papæ ad Episcopos Dardaniæ, consignandum censent. Vide Cl.P.Franciscum Pagium *Tom.* I. *Brev. de Gestis Pontificum* ad annum 440.de S.Leone Papa n.10., & 11.

(a) Tom. VI. *Hist.Ecclesiasticæ* Differt. XII. *in sæculum* XI., & XII. *artic.* 16. n.5.

parant, non ita debere intelligi, quasi eorum mens fuerit, perfectam, omnique ex parte absolutam similitudinem inter illas haberi, sed aliquam dumtaxat: videlicet id unum, S.S. Patrum sententia, utrique huic mysterio esse commune, ut, quod foris in illis apparet, aliud reipsa ab eo sit, quod intus latet; atque insuper ut, quemadmodum exterior panis forma in Eucharistia non impedit, quominus unum tantum corpus, scilicet Christi, in ea habeatur; ita humanitas in Christo non prohibeat, quominus ille una tantum sit persona, & unus filius. Hinc Auctor sermonis *de cœna Domini*, S. Cypriano olim falso adscripti, *panis*, inquit, *quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia Verbi factus est caro; & sicut in persona Christi humanitas videbatur, & latebat Divinitas, ita in sacramento visibili ineffabiliter se infundit essentia* (a). Egregie propterea rem hanc exponit, mentemque declarat S. Joannis Chrysostomi, & aliorum veterum Patrum, qui ad alterum horum mysteriorum ex altero explicandum hac comparatione usi sunt, Vir Cl. Marchio Scipio Maffejus ad Basnagium scribens. *Assai meglio*, inquit Vir doctissimus, *dell'altre* (similitudini) *procede quella, di cui ora trattiamo, usata però anche da altri Scrittori; poiche c'insegna, che siccome nell'Eucaristia il corpo del Signore, e il complesso delle proprietà naturali del pane non si mischiano insieme, benche il solo corpo del Signore, si nomini, e il sacramento sia un solo, così nell'Incarnazione la Divinità, e la umanità non si trasfondono in una cosa sola, come credevano i Sinusiasti* (*), *ma restano due distinte, e inconfuse, benchè il Salvatore sia un solo: c'insegna, che siccome nell'Eucaristia non si vede, che pane, e pur c'è il corpo del Signore, così in Cristo non si vede, che uomo, e pur c'è Dio: c'insegna, che siccome, benche l'Eucaristia si denomini il corpo del Signore, senza far menzione del pane, non per questo il corpo è confuso punto, ne mischiato col pane, che apparisce, così nell'Incarnazione benchè si dica solamente Cristo, non per questo le due nature son fatte una, ne punto confuse, o mischiate insieme. Tanto basta, anzi sopravanza di molto, perche fra questi due misteri possa instituirsi ragionevole, e plausibile comparazione; e ridicola cosa è il pretendere, che debbano corrispondere in ogni parte* (b). Cum igi-

(a) Hujus sermonis Auctor fuisse dicitur Arnoldus Abbas Bonæ-vallis in Diæcesi Carnotensi, qui floruit sæculo Christi XII. Hadriano IV. Summo Pontifice, ad quem scripsit librum *de cardinalibus Christi operibus*, in quo ille sermo habetur.

(*) Sinusiastæ hæretici ex eo sic appellati sunt, quod Christi Domini carnem Divinitati coæternam, ejusque naturæ insitam, permixtamque esse, arbitrarentur.

(b) Epist. ad Jacobum Basnagium data Florentiæ sub die 12. Augusti anno 1721. Legitur ad calcem *Historiæ Diplomaticæ*, quam ille edidit Mantuæ anno 1727. typis Alberti Tumermanni.

igitur satis ostensum fuerit (§. 114.), nullum requiri *accidens absolutum*, ut Corpus Christi vere & realiter in Eucharistia sub panis *sensibilitate* existat; ac propterea, ut aliud vere in illa sit, aliud in ea extare nobis videatur, apertum manet, nullo ejusmodi *accidente* ad eam quoque tuendam comparationem opus esse, quam inter *Eucharistiam*, & *Incarnationem* veteres Patres plerumque instituunt; atque hinc non constare veterum Patrum auctoritate, sacratissimum Christi Corpus sub *absolutis* panis *accidentibus* in Eucharistia contineri; proindeque recentiores Philosophos ob id jure non posse reprehendi, quod illa *accidentia* non admittant, quasi nempe in hoc Sacramento explicando a doctrina veterum Patrum idcirco recesserint. *Neque enim*, inquit Cl. Muratorius, *temeritas est, neque crimen perniciosum, id affirmare, quod a sacris Auctoribus negari, non constat; aut id negare quod ab iisdem affirmari, manifeste non liquet* (a).

DEMONSTRATUR

Pars secunda Propositionis, nempe ex auctoritate Theologorum.

151. Demonstranda modo est altera propositionis pars, videlicet *Theologorum auctoritate non satis evinci, panis, vinique sensibilitatem, sub qua Christus Dominus in Eucharistia existit, ex absolutis rerum illarum accidentibus, quæ divinitus in ea remaneant, provenire.* Id ergo ita ostenditur: demonstrari nequit auctoritate Theologorum, *sensibilitatem* panis, & vini, quæ in hoc Sacramento superstes est, oriri ex *absolutis* rerum illarum *accidentibus*, si Theologi non pauci, iique graves, vel expresse teneant oppositum, nempe cum Recentioribus sentiant; vel aperte dicant, Recentiorum sententiam posse a Viro catholico, salva religione, tutaque fide, defendi. Quemadmodum enim ingenue fateor cum Cl. Melchiore Cano, *ex Auctorum omnium Scholasticorum communi sententia, in re quidem gravi, usque adeo probabilia sumi argumenta, ut illis refragari temerarium sit* (b); ita cum eodem Viro doctissimo citra omnem prorsus dubitationis aleam positum esse puto, Theologorum *Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant Viri docti, non plus valere ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit*: videlicet, *in Scholastica disputatione plurium auctoritatem obruere Theologum non debere; sed si paucos Viros, modo graves, secum habeat, posse sane adversum plurimos stare* (c). Ex Scholasticis au-

(a) Lib. I. *de moderamine ingen.* cap. 21.
(b) Lib. VIII. *de locis Theol.* cap. 4. concl. 2.
(c) Ibidem concl. 1.

tem Theologis nonnulli olim fuerunt, & modo sunt non pauci, & quidem non inferioris subsellii, qui vel expresse tenuere hac super re, & tenent modo, quod docent Recentiores; vel aperte dixerunt, & modo dicunt, Recentiorum opinionem de *sensibilitate* panis in Eucharistia superstite posse, salva religione, tutaque fide, a Viro catholico propugnari.

I. etenim Cl. P. Robertus Holchot ex conspicua P. P. Prædicatorum Familia, qui doctrina clarus anno 1349. ex hac vita decessit, hac de re ita loquitur: *quarto differt* (transubstantiatio) *ab aliis mutationibus; quia omnia* accidentia *post transubstantiationem manent, quod non est in aliis transmutationibus; ex quo patet, quod* accidentia *substantiarum materialium sunt* alia, *&* distincta *ab ipsis substantiis. Non tamen hoc semper tenui; quia aliquando dicebam oppositum, idest quod album non potest fieri nigrum, nisi per corruptionem substantiæ, vel per motum localem substantiæ, vel substantiarum, sicut in mixtionibus; quia una mixtio causat unum colorem, & alia alium. Tamen potest dici, quod post consecrationem nihil manet ibidem continue, & regulariter, sed* intentiones *solum, &* species accidentium; *unde solebant vocari* species panis, *&* vini, *& non* qualitates *post consecrationem; & ideo sensus utitur* speciebus *pro* rebus, *& sic judicat, idem manere. Nihil tamen dico hic assertive* (a).

II. Huic succedit Petrus de Alliaco S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Cameracensis, qui claruit sæculo XV. (obiit enim anno 1426.). Quærens namque Vir doctissimus, *utrum accidentia panis maneant in Eucharistia sine subjecto*, hæc habet: *Tertia opinio potest imaginari talis, scilicet quod, licet* accidentia *panis, si essent aliqualiter distincta a* substantia *panis, possent separari a subjecto, & manere separata; tamen de facto non manent sine subjecto; quia diceret hæc opinio, quod nulla sunt* accidentia *distincta a* substantiis, *& per consequens nec* accidentia *panis. Et ad determinationem Ecclesiæ, quæ ponit, quod corpus Christi est sub* specie panis, *diceret consequenter, quod debet intelligi sub conditione, scilicet supposito, quod sint aliquæ* species accidentales *distinctæ a* substantiis; *sed si non sint tales, tunc sensus est*, sub specie, *id est*, ubi apparet esse panis, *&* ubi prius erat. *Et si dicatur contra, quod tunc esset ibi deceptio, & illusio,* cum appareant ibi species *esse, sive* accidentia, *diceret ista opinio consequenter, quod non plus apparet ibi* species, *vel* accidens *panis, quam* substantia *panis, & apparet, quod comedatur, & videatur panis, & tamen oppositum judicatur per fidem, sic*

(a) Super IV. *Sententiarum* q. 3. §. *Quarto videndum est* &c.

sic in proposito. Unde hic diceretur, sicuti quædam opinio, quam recitat Magister Distin. XII., *respondet de* fractione, *quæ ibi apparet, scilicet quod ibi non est* fractio, *sed dicitur frangi, quod videtur. Nec tamen fallit nos visus, nec fallitur, quod esset, si crederetur, ita frangi, ut videtur; nec est illusio, quia ad utilitatem fidei ita fit. Et ponit exemplum de Christo, qui se ostendit duobus discipulis in via in* specie peregrini; *nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur* &c. *Sed prædicta opinio esset extranea a communi Philosophia, quæ ponit,* accidentia *esse res distinctas a* substantiis, *sicut* albedo *est distincta a* re alba, *&* albedo *panis ab ejus* substantia, *licet hoc non sit evidens* &c. *Ideo quamvis prædicta negarentur, tamen dubium est, utrum debeat haberi tamquam hæretica, & videretur, quod non; quia sicuti illa, quæ inferuntur ex his, quæ sunt fidei, sicut Scriptura Sacra, & per consequentiam non evidentem, sed solum probabilem, non videntur proprie pertinere ad fidem, nec eorum opposita esse hæretica in fide; sic illa, quæ inferuntur per consequentiam evidentem, tamen virtute alicujus medii, vel assumti in antecedente, quod non est evidens, nec pertinens ad fidem, sed est aliquod Philosophicum probabile, & communiter concessum, non videretur etiam pertinere ad fidem, sic quod eorum opposita sint habenda ut hæretica in fide. Modo quod accidentia panis maneant ibi, hoc infertur ex hoc, quod præsupponitur, quod substantia panis transubstantiatur, &* accidentia *panis sunt aliud ab cujus* substantia. *Istud autem secundum nec est* evidens, *nec est* in Scriptura expressum, *nec* ab Ecclesia determinatum, *sed est* unum probabile, *tamen receptum communiter ab iis, qui sequuntur Philosophiam communem Peripateticorum; sed si esset aliquis, qui diceret oppositum hujus, non esset propter hoc* tamquam hæreticus *habendus* (a).

III. Doctissimus Præsul Jacobus Bossuet in *expositione* ab eo edita *Doctrinæ Christianæ*, quam probarunt, summisque laudibus exornarunt quamplures S.R.E. Cardinales, & insignes Theologi, ipseque Summus Pontifex INNOCENTIUS XI. commendavit plurimum, ita explicat, quomodo Christus Dominus sit in Eucharistia sub *speciebus panis*, & *vini*, ut non solum nullam prorsus *absolutorum* Scholæ *accidentium* mentionem faciat, sed præterea per *exteriores* tantum *panis apparentias*, & *impressiones*, peractas in *externis sensoriis*, rem totam absolvat. Inquit enim: *Au reste, la verité, que contient l'Eucharistie dans ce qu' elle a d' interieur, n' empeche pas qu' elle ne soit un signe dans cè qu' elle a d' exterieur, & de sensible; mais un signe de telle nature, que bien loin d' exclure la realité, il l' emporte necessairement avec*

 soi

(a) Super IV. *Sententiarum* q. 6. artic. 3.

soi, puisqu' en effette cette parole, Ceci est mons Corps, *prononcée sur la matiere que* JESUS·CHRIST *a choisie, nous est un signe certain qu'il est present: & quoique le choses paroissent toujours les memes à nos sens, notre ame en juge autrement qu'elle ne feroit, si une autorité supreme n'étoit pas intervenue. Au-lieu donc que de certaine* especes, *& une certaine suite d'* impressions naturelles, *qui se font en* nos corps *ont accotumé de nous désigner la substance du pain, & du vin, l'autorité de celui à qui nous croïons fait que ces mêmes especes commencent à nous désigner une autre substance. Car nous écoutons celui qui dit que* ce que nous prenons, & ce que nous mangerons, est son Corps; *& telle est la force de cette parole, qu' elle empeche que nous ne rapportions à la substance du pain ces* apparences exterieures, *& nous le fait rapporter au Corps de* JESUS-CHRIST *præsent: de-sorte que la presence d'un obiet si adorable nous étant certifiée par ce signe, nous n'hesitons pas a y porter nos adorations* (a). Versio autem Italica anno 1730. apud Franciscum Storti Venetiis edita sic habet: *Nel resto, la verità, che contiene l' Eucaristia in ciò, ch' ella ha d'interiore, non toglie, che non sia un segno in quello, che ha di esteriore, e di sensibile; ma un segno di tal natura, che non solo non esclude la realità, ma necessariamente la porta seco; poiche in effetto le parole:* Questo è il mio corpo, *pronunciate sopra la materia, che Gesù Cristo ha scielta, sono un segno certo, ch' egli è presente; e benche le cose appariscano sempre le medesime a nostri sensi, l' anima nostra ne giudica altrimente ch' ella sarebbe, se non vi fosse intervenuta un' autorità superiore. In luogo dunque che certe* specie, *e una certa serie d'* impressioni naturali, *che si fanno ne' nostri corpi, sono state solite di significarci la sostanza del pane, e del vino, l' autorità di colui, al quale noi crediamo, fá che queste medesime specie comincino a significarci un' altra sostanza. Imperocche noi ascoltiamo colui, che dice:* quel che noi prendiamo, e quel che noi mangiamo, esser il suo Corpo; *e tal è la forza di questa parola, che c' impedisce di riferir' alla sostanza del pane quelle* apparenze esteriori, *ma ce le fa riferire al Corpo di Gesu Cristo presente, in modo che venendoci da questo segno assicurata la presenza d' un oggetto così adorabile, non dubitiamo punto di portarvi le nostre adorazioni.* Ita ergo doctissimus Bossuet juxta versionem Italicam, quam subiiciendam censui Gallico textui, utpote, iis permittentibus impressam, quibus jus est, ne quid in lucem edatur, quod doctrinam parum in fide tutam comprehendat.

IV. Cl. Ludovicus Antonius Muratorius, *illud porro*, inquit, *certis-*

(a) Cap. XIII. edit. Parisiensis *anno* 1730.

tissimum est, oportere semper, ut antea quam pronuntietur, an sacrorum codicum, & ortodoxæ Theologiæ documentis opinio quæpiam consonet, sive repugnet, perspectissimæ sint Ecclesiasticis Judicibus tum negantium, tum affirmantium rationes, non solum quatenus Theologiam respiciunt, sed quatenus etiam ad singularem aliquam disciplinam spectant. Quæ res necessario exposcit, ut ea saltem disciplinæ pars cognoscatur, unde rationum cognitio pendet. Si, exempli gratia, quæratur, an Fidei doctrinæ adversetur Cartesius, quum essentiam corporis physici *statuit in* extensione quantitatis, *neque* substantiam *ab ipsa* quantitate *secernit: erunt profecto complures, quibus conciliari non posse videbitur hujusmodi placitum cum Ecclesiæ sententia de augustissimo Altaris sacramento. Heic profecto necesse est, ut de ista controversia judicaturus, Peripateticam Scholam aliquantisper terat, donec* substantiæ, specierum, *atque* accidentium *nomina ad historiam probe norit; ad ejus quippe Scholæ sententiam respexisse videntur Tridentini Patres de transubstantiatione loquentes. Tum delatam ad Ecclesiasticum tribunal Cartesii opinionem si serio, si recte expendere velit, hujus quoque Philosophi theoremata de natura corporis perscrutetur oportet, rationesque perpendat, quibus ille suam sententiam ingeniose munivit. Id plurimum interest. Nam, ut alibi diximus, verum vero adversari nequit; atque uti cum veritatibus Theologicis Philosophicæ, ita cum Philosophicis Theologicæ revera pugnare non possunt. Quamobrem tam ex his illæ, quam ex illis istæ lucem mutuo accipiunt, & certa incertis dant legem, ut si, exempli gratia, aliquid in Physica certum sit, inde incerta sacrarum Scripturarum verba sint explicanda; & contra certis divinorum Librorum sententiis incerta Physicæ documenta se conformare debeant. In hac autem controversia statim occurrit, jam spectare ad Fidem, certissimumque esse debere inter catholicos, substantiam panis, & vini in sacramento altaris converti in substantiam corporis, & sanguinis Christi, permanentibus tamen, & perdurantibus in sacramento pristinis speciebus panis, & vini, itaut externis sensibus nulla illic appareat facta substantiæ mutatio, atque non amplius sit, neque appellari proprie possit panis, & vinum, quod ante consecractionem panis, & vinum proprie fuerant. Quam ergo verissimum, certissimumque hoc sit in Fidei Theologia, id quoque in Philosophia verum certumque sit, necesse est; & fallacia laborabunt quæcumque verisimiles, ingeniosæque rationes a Philosopho excogitentur contra firmissimum hoc fidei documentum. Propterea se rem non inficiari, se rem credere; Cartesiani catholici ubique ajunt. Modum tantummodo, quo hujusmodi prodigium fiat, & quomodo pereat, intactis speciebus, panis, ac vini substantia, ab Ecclesia minime fuisse*

constitutum, affirmare se posse arbitrantur sine injuria Theologiæ. Tum nervis omnibus contendunt, ut ostendant, nihil dogmati Fidei repugnare naturam, ac essentiam corporum, quam tradunt, suamque opinionem conciliari posse cum Ecclesiæ decretis. Utrum isti vera, an somnia nobis narrent, qui judicare prudenter cupiat, necesse est in primis, ut solicite vestiget, intelligat, & expendat Cartesianæ sententiæ rationes, tum perspiciat, an uti rem, ita modum Ecclesia quoque statuerit. Si enim vera & certa deprehenditur Cartesii de natura corporum opinio, neque modum physicum sacramenti definivit Ecclesia, neque reipsa Aristotelicum placitum consecrare illi animus fuit, jam non est, cur Cartesianam sententiam explodamus; quum præcipue in ea fuisse S. Augustinus videatur; immo tunc non aliud, quam quod Cartesius, sensisse Ecclesiam, excogitare licebit. A Cartesianis autem putatur, minime Tridentinis Patribus fuisse consilium consecrandæ Peripateticæ de naturæ corporum sententiæ (ab his enim quæstionibus dirimendis Ecclesia abstinere solet) & consulto ipsos Patres vocabulo specierum *fuisse usos, quum* accidentia *nominare potuerint, ut ea voce solum significarent* sensationes *illas, quæ, sublata panis, ac vini in sacramento substantia, adhuc* in sensibus nostris *fiunt, & fieri non negant cum Peripatetici, tum Cartesiani. Contendunt insuper, Ecclesiam nequaquam statuisse, quei* species *in sacramento sine substantia panis, ac vini permaneant. Quibus diligenter ab Ecclesiastico Judice examinatis, tum constare poterit, num absurda, num falsa sit illa Cartesii opinio (qualis certe erit, ubi cum certo, & vero dogmate Ecclesiæ consentire non posse dignoscatur), an potius toleranda sit, sive etiam laudanda* (a). Persuasum non est ergo Cl. Muratorio, opinionem hanc Cartesii hactenus ab Ecclesia proscriptam fuisse, alioquin non dixisset Vir eximius, examinatis Peripateticorum, & Cartesianorum rationibus ab Ecclesiastico Judice, tum constare posse, *num falsa illa sit, an potius toleranda, sive etiam laudanda.*

V. Sed clarius Cl. P. Serry. Demonstrans enim Vir eximius, *præcautione tunc opus esse Viro Theologo, non illi præcipitandum judicium, non illico in Philosophicas opiniones, tamquam Dei verbo contrarias, ferendam censuram*, cum vel aliqua in sacris Literis occurrunt sive ad Physicam, sive ad Astronomiam pertinentia, quæ *non satis prima fronte cum receptis Disciplinarum illarum Theorematibus congruunt*; vel aliqua vicissim in recentium Philosophorum systematibus obversantur, *quæ cum aliquo Fidei nostræ capite sacris in Literis revelato collidere prima facie videntur*; sed *omni ope, ac studio adnitendum,* *ut*

(a) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 24.

ut cum ſacrarum Scripturarum loquendi formulis probata Philoſophorum ſyſtemata concilientur, ne aut fallere putetur Dei verbum, quod rectæ rationi repugnet, aut delirare humana ratio videatur, quod ſupremæ Veritati adverſetur: hæc, inquam, demonſtrans, pluribuſque exemplis egregie explicans Vir Cl., *alia quid referam*, ait, *recentis Scholæ ſyſtemata inconſideratis quorundam Theologorum cenſuris impeti ſolita? Eſſentiam corporis phyſici in* extenſione *quantitatis plerique nunc Philoſophi ponunt, Carteſium ſecuti, ipſamque* ſubſtantiam *a* quantitate *minime diſtinguunt. Verane, an ſomnia narrent, non inquiro; at, quod certo novi, ita illos philoſophari permittit Eccleſia. Quid tu ergo, Doctor egregie, cenſuris illos inuris? Et quos communis Mater fovet ut filios, tamquam ethnicos, & publicanos execraris, quod tibi forte ſacroſanctæ Euchariſtiæ fidem labefactare videantur? Studium, zelumque pro Domo Dei laudo maxime, atque commendo; at ſecundum ſcientiam velim eſſe. Melior longe Theologus eris, ſi permiſſum interim, ac toleratum ab Eccleſia ſyſtema cum Euchariſtiæ fide conciliaveris. Quod forte non incommode fiet, ſi dixeris, ſubſtantiæ quidem panis mutationem, in Euchariſtiæ ſacramento fieri ſolitam, ab Eccleſia fuiſſe definitam; non ita tamen definitum eſſe mutationis modum; perindeque ſtare myſterium, ſi mutata ſimul cum quantitate ſubſtantia, ſolæ maneant* ſenſationes externæ *noſtris in ſenſibus factæ (quod Carteſius exiſtimat) ac ſi ſola mutata ſubſtantia, vera cum ceteris accidentibus quantitas maneat, quæ reipſa ſenſus noſtros afficiat, quod Peripatetici arbitrantur. Eaque de cauſa Tridentinos Patres* ſpecierum, ſublata ſubſtantia, remanentium *vocabulo fuiſſe uſos, cum* accidentia *nominare potuiſſent: videlicet, ut ea voce* ſpecierum *ſenſationes illas ſimpliciter ſignificarent, quas in ſenſibus noſtris perinde fieri, & Carteſiani, & Peripatetici profitentur, ſeu cum ſubſtantia indiſtincta quantitas pereat, ſeu diſtincta non pereat. Id ni dicas, ſed Carteſianos, donec in eos ſententiam Eccleſia tulerit, violatæ fidei poſtules, non Theologus es, ſed audaciſſimus cenſor; non pro fide, ſed pro anteceptis opinionibus pugnas; non pro Eccleſia, ſed pro Ariſtotelica Schola decertas* (a).

VI. Auctor quoque præclari Operis *de re Sacramentaria* hæc habet: *de accidentibus*, inquit, *phyſicis quæ eorum natura ſit, Philoſophorum quæſtio eſt, ad eorum tribunal ſummo jure devolata. Volunt alii, eſſe* formas abſolutas, & materiales, realiter *a* ſubjecto, & entitative *uti loquuntur*, diſtinctas. *Contendunt alii, hujuſmodi* formas, *quæ neque*

(a) Tom. I. *Prælect. Theol.* Diſput. *de opificio Mundi* Prælect. 1. *pag.* 132. *edit. Venetæ* 1742.

que materia sint, neque contextæ ex materia, chymeras *esse; hancque suam doctrinam argumentis haud contemnendis confirmant; unde inferunt*, formas *omnes corporum (sola anima rationali excepta) nihil aliud esse, nisi* certam *materiæ* modificationem, *quæ non sit* entitas *a materia* diversa. *Hoc posito, dicimus, affirmari quidem non posse, Christi corpus realiter in Eucharistia contineri, quin simul dicantur remanere* species, *sive* apparentiæ sensibiles *panis, & vini, quæ nimirum eodem modo sensus afficiant, ac ante consecrationem afficiebant; sed negamus, necessario dici debere, quod* residuæ *sint* quantitatis, coloris, odoris, saporis absolutæ, *&* materiales, *ut loquuntur*, entitatulæ. *Christum enim in Eucharistia realiter contineri, dogma catholicum est, divinitus revelatum, & in Religione præcipuum;* accidentia *vero* materiales *esse* entitates, *a subjecto* realiter *distinctas, Arabum Aristotelis interpretum opinio, nec fidei, nec rationis lumine roborata; imo penitus rationi (judicio multorum) contraria. Itaque non putamus, unum sequi ex altero; multoque minus credimus, veritatem Eucharistiæ, nisi* absoluta accidentia *admittantur, defendi non posse, quod videmus, incaute ab aliquibus affirmari, quasi nimirum Divina veritas arbitrariis egeret ad sui defensionem hominum opinationibus* (a). Similiter Cl. P. Vanroy, quærenti, *an sit definitum, quod species in Eucharistia remanentes sint accidentia Peripatetica*, respondet negative; *quia*, inquit, *non oportet asserere, Ecclesiam, vel Concilia quæstiones Philosophicas decidisse, nisi clare & evidenter id pateat. Atqui ostendi non potest, quod Ecclesia præsentem de* speciebus *quæstionem determinaverit. Ergo &c. Sane ex Pallavicino habemus, quod Patres Tridentini etiam quæstiones Theologicas, quæ inter Catholicos in utramque partem ventilantur, decidere noluerint. Ex quo conjicere licet, quod multo difficilius ad altercationes Philosophicas dirimendas procedat Ecclesia, quando ab illis nullum fidei punctum dependet* (b).

VII. Demum P. Joannes Laurentius Berti respondens ad sacramentariorum argumenta, quorum alterum ex eo petebatur, quod nequeat corpus sua *extensione* privari; alterum ex hoc, quod corporea substantia constituatur certa partium tenuissimarum combinatione, quæ in hostia consecrata adhuc manet conspicua, hæc habet ad primum: *docent Peripatetici, quod essentia* corporis *nequaquam in* dimensione *sit posita, cum in hoc sit constituenda, quod* extensionem *naturaliter tantum exigat; nam per hoc solum a* spiritu *sufficienter distinguitur* res cor-

(a) Tom. I. Lib. IV. q. 6. sect. 1 cap. 4. §. 2. *in respons.* 2. *ad instantiam* 6. *pag.* 429. *edit. Venetæ* anni 1737.

(b) Theol. moral. P. IV. *cap.* 5. q. 1.

corporea. *Recentiores quidem nonnulli contendunt, non posse corpus esse, aut excogitari, nisi* extensum *sit; sed fatentur tamen, contineri idem corpus nunc arctiori loco, nunc ampliori, easdemque partes habere pullum in ovo, seu plantam in semine, ac habeat pullus explosus, & arbor patula, licet partes in ovo, aut in semine nondum ex involucris sint explicatæ, sed compressæ simul, atque contractæ. Sunt præterea, qui contendunt, incompertam nobis esse rerum omnium* essentiam, *nec illam aliud censent, nisi quod sepositis omnibus proprietatibus, reliquum manet. Prior itaque objectio nulla est, sive dicas,* extensionem *esse corpori* accidentariam, *sive teneas, Christi corpus in Eucharistia occupare* locum angustiorem, *sive ingenue fatearis, nescire te quid sit* corpus. *Eligas autem ex his tribus eam, quæ arrideat magis, sententiam. Hoc tantum admoneo, si amplectaris secundam, ne mente excidat canon tertius sess.* XIII. *Tridentini Concilii*: si quis negaverit, in venerabili sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri, anathema sit. *Saltim ergo,* separatione facta, *in qualibet parte totum Christi corpus agnoscas, si vis ante separationem habuisse extensionem aliquam actualem.* Piaculum ergo non putat Cl. Auctor, negare, *extensionem*, sive *quantitatem* esse *entitatem absolutam,* a corporea substantia *realiter* distinctam. Hæc vero habet idem ipse ad secundum: *Juxta diversa Philosophorum placita diluitur objectio altera. Indubitatum quippe est, permanere in Eucharistia panis, & vini* accidentia, *ut cum universis Theologis scribit* Lib. IV. de sacramento altaris *Innocentius* III. *Damnarunt quippe Guilelmus Archiepiscopus Cantuariensis, cujus judicium confirmavit Urbanus VI., & Synodus Constantiensis* sess. VIII. *propositionem* Wiclefi: accidentia panis non manent sine subjecto in sacramento altaris. *Hinc inferunt Theologi præstantissimi, inter quos noster Lupus in sextum Romanum Concilium S. Gregorii* VII. Tom. V. pag. 316. *meras esse nugas, quæ de* accidentibus *a subjecto* indistinctis *tradit Cartesius*. MULTI *tamen, a quibus alienus non est Vanroy cap.* V. *de Eucharistia q.* 1., *&* 2., accidentia, *&* species *panis, ac vini remanere fatentur, sed negant, esse* entitates *tenues a* substantia *distinctas. Hi nimirum ajunt,* species *panis, ac vini esse* imaginem *impressam materiæ subtili panem ambienti, quæ imago, seu materiæ subtilis pressio persistit, etiam consecratione peracta, eandem in organo visus excitans affectionem, ac si panis adesset. Atque idem docent de* accidentibus, *quæ sensibus reliquis obiiciuntur. Conantur id explicare exemplo Christi, qui sub* hortulani specie *Magdalenæ dicitur apparuisse, quod nempe hujus mulieris visus a materia cœlesti eodem modo fuerit affectus, quomodo fuisset, hortulano præ-*

sente. Possunt his aliquam afferre lucem, quæ lib. X. cap. 14. *scripsimus de* apparitionibus *angelorum. Hæc autem nec* REFELLO, *nec* PROBO (a). Igitur huic etiam Viro Cl. persuasum est, opinionem Recentiorum de mechanica *sensibilium qualitatum* origine catholicæ fidei dogmatibus non adversari; & ideo sine fidei jactura a Viro catholico posse defendi; alioquin non dixisset Vir Cl., opinionem hanc ab se nec probari, nec refelli. Nequit ergo evinci auctoritate Theologorum, panis, vinique *sensibilitatem*, sub qua Christus Dominus in Eucharistia existit, ex *absolutis* illarum rerum *accidentibus*, quæ divinitus in ipso sacramento supersint, provenire.

PROPOSITIO XII.

Hactenus definitum ab Ecclesia non est, neque nobis, tamquam certo indubitanterque credendum, ab illa expresse traditum, dari absoluta Scholasticorum accidentia, ex quibus, divinitus in Eucharistia remanentibus, ea oriatur panis, vinique sensibilitas, sub qua Christus Dominus vere, realiter, & substantialiter in hoc sacramento existit.

152. *Probatur primo.* Si enim definitum esset ab Ecclesia, nobisque ab illa expresse traditum, tamquam ad fidem pertinens, dari *absoluta* Scholasticorum *accidentia*, sub quibus, sine subjecto in Eucharistia divinitus remanentibus, Christus Dominus in illa lateret, nullus plane Theologorum catholicorum id inficiaretur, vel si quis illorum id negare auderet, gravem notam haudquaquam effugeret. Tanti enim momenti res hujusmodi est, ut ab Ecclesia dissimulari non possit. Plures autem Theologi catholici modo etiam aperte negant, definitum esse ab Ecclesia, ab eaque nobis traditum, tamquam certo indubitanterque credendum, dari *accidentia absoluta*, eaque in Eucharistia remanere, quin aliqua vel levissima nota illis propterea inusta ab Ecclesia hactenus fuerit. Primo etenim Cl. Tournely, licet *communi, ac pervulgatæ in Scholis sententiæ* inhærendum censeat, ait tamen, *expresse definitum ab Ecclesia non esse, accidentia Eucharistica* absoluta *esse, & a materia* distincta, *Philosophi sensu* (b). Doctissimus Muratorius, ut paulo antea vidimus, non dicit, jam constare, sententiam Cartesii de *speciebus Eucharisticis* falsam esse, & absur-

(a) Tom. VII. *de Theologicis Disciplinis* lib. XXXIII. cap. 9. pag. 303. *edit. Romæ* anno 1743.

(b) Prælect. Theol. *de Sacram. Eucharistiæ* q. 1. art. 5. in solutione objectionis ductæ ex accidentibus.

ſurdam, ut profecto dixiſſet, ſi fuiſſet ab Eccleſia cenſorio ſtygmate confixa; ſed tunc ſolum, inquit, fore ut conſtet, *num abſurda, & falſa* ea ſit, *an potius toleranda, ſive etiam laudanda*, cum Peripateticorum, & Carteſianorum rationes fuerint ab Eccleſiaſtico Judice diligenter ad trutinam revocatæ (a). Cl. P. Serry ſcribit, *Eccleſiam permittere, ita philoſophentur, qui* ſubſtantiam *a* quantitate *non diſtinguunt: ab Eccleſia permiſſum, ac toleratum* dicit ſyſtema Recentiorum; & hiſce non contentus, addit præterea, *non Theologum eſſe, ſed audaciſſimum Cenſorem; non pro fide, ſed pro anteceptis opinionibus pugnare; non pro Eccleſia, ſed pro Ariſtotelica Schola decertare, qui* Carteſianos, *donec in eos ſententiam Eccleſia tulerit, violatæ fidei poſtulat* (b). Auctor quoque operis *de re ſacramentaria* ex eadem inclyta Prædicatorum Familia, negat, *quod reſiduæ ſint* in Euchariſtia *quantitatis, coloris, odoris, ſaporis abſolutæ, & materiales entitatulæ*. Fatetur, *dogma catholicum eſſe, divinitus revelatum, Chriſtum in Euchariſtia contineri; accidentia* vero *materiales eſſe entitates, a ſubjecto realiter diſtinctas, Arabum Ariſtotelis interpretum opinionem* appellat, *nec* fidei, *nec* rationis *lumine roboratam*. Negat demum, *ſe credere, veritatem Euchariſtiæ, niſi abſoluta accidentia admittantur, defendi non poſſe*; eoſque *incautos* vocat, qui contrarium affirmant, *quaſi nimirum divina virtus arbitrariis egeret ad ſui defenſionem hominum opinationibus* (c). Non minus aperte itidem loquitur Cl. P. Vanroy. Quærenti namque, *an ſit definitum, quod ſpecies in Euchariſtia remanentes ſint accidentia Peripatetica*, reſpondet *negative*, contendens, clare & evidenter, prout requiritur, oſtendi non poſſe, *quod Eccleſia præſentem de ſpeciebus quæſtionem determinaverit* (d). Demum Cl. P. Berti, ut itidem vidimus, expreſſe ait, ab ſe *nec refelli, nec probari* eorum opinionem, qui *Euchariſticas ſpecies* per ſolam externorum ſenſoriorum immutationem cum Carteſio explicant (e): quod profecto in alma Urbe non ſcripſiſſet Vir Cl., ſi hæc opinio jam fuiſſet ab Eccleſia proſcripta. Definitum ergo non eſt, panis, vinique ſenſibilitatem in Euchariſtia ſuperſtitem ex remanentibus *accidentibus* provenire.

Confirmatur hæc ratio: nam licet plurimi Scholaſticorum Theologorum *hæreticam* dixerint opinionem negantem *accidentia abſoluta*; non pauci tamen, quamvis illam non approbent, imo aperte etiam rejiciant, non idcirco audent, ipſam tam atro carbone notare. Sic

(a) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 24.

(b) Tom. I. *Prælect. Theol.* Diſp. *de opificio Mundi* Prælect. I.

(c) T. I. lib. IV. q. 6. ſect. I. cap. 4. §. 2.

(d) Theol. moral. *P. IV. cap.* 5. *q.* 1.

(e) Tom. VII. *de Theol. Diſciplinis* lib. XXXIII. cap. 9.

Cl. P. Natalis ab Alexandro, etsi *falsam*, & *erroneam*, dicat, ab se existimari doctrinam Cartesii de accidentibus, *nemo tamen*, inquit, *dixerit eam esse hæreticam* (a). Cl. Juenin, quærens, *in quonam posita sit natura accidentium, quæ post consecrationem in Eucharistia remanent*, ait quidem, opinionem Recentiorum, quæ ponit, *nec accidentia*, saporem *nempe*, colorem, *nec ipsam etiam* quantitatem *esse aliquid, quod ex parte obiecti, seu a parte rei existat, sed esse* modificationes *in sensibus factas immediate a Deo*, graves pati difficultates; verum nullam refert determinationem Ecclesiæ, nullam Conciliorum definitionem, propter quam nemini catholicorum licere dicat, illam sententiam propugnare (b). Ipse demum P. Ferrari, ille nempe, qui *summo animi dolore sese affici* ait, *cum catholicam juventutem hisce enutriri principiis* (Recentiorum scilicet) *animadvertit* (c); fatetur tamen, ab se non investigari, *utrum Peripatetica sententia* (de accidentibus absolutis) *sit fidei dogma expresse definitum ab Ecclesia, adeout quisquis illi refragetur, velut hæreticus sit habendus. Non enim*, inquit, *ii sumus, qui tantum rebus nostris tribuamus*; optatque, ut *prudens Peripateticus optime animadvertat, Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse* (d).

Non me latet, quadraginta Theologos numerari a Raynaudo, plures etiam a Picinardo (e), qui *hæreticam* dixere opinionem negantem *accidentia absoluta*. Verum, ut prætermeam, etiam doctissimum Card. Bellarminum inter eos a Picinardo (f) recenseri, quamvis loco, quem is laudat, scilicet lib. I. *de Eucharistia* cap. 4., Vir ille Eminentissimus ea de re ne verbum quidem faciat; dicam iterum cum Cl. Melchiore Cano, *Theologorum Scholasticorum etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant Viri docti, non plus valere ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit* (g). *Certe*, ut ille recte habet, *ubi variæ sunt doctissimorum hominum, discrepantesque sententiæ, Academicorum temperamentum imitari, a rebus incertis certam assensionem cohibere debemus. Quid enim tam temerarium, tamque indignum sapientis gravitate atque constantia, ut Cicero elegantissime tradit, quam quod non satis explorate perceptum sit & cognitum, id sine ulla dubitatione defendere? Quo loco sane* (pergit

(a) Tom. VI. *Hist. Eccles.* Dissert. VII. in hist. *sæculi* XI., & XII. artic. 6. in *scholio*.

(b) Comment. *de Sacramentis* Dissert. IV. q. 4. cap. 4.

(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 206.

(d) Ibidem *pag.* 194.

(e) De imputato Scholasticis studio effræni in Aristotelem *cap. VII. §. 2.*

(f) Ibidem.

(g) Lib. VIII. *de locis Theologicis* c. 4.

git ille) *arguendi sunt Scholastici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Schola acceperunt, præjudiciis Viros catholicos notis gravioribus inurrunt, idque tanta facilitate, ut merito rideantur* (a). Hi etenim, eodem teste, & optime quidem ad rem nostram, *in eo primum errant, quod Scholæ opiniones à certis constantibusque decretis non separant. Deinde errant in eo, quod duo rerum genera confundunt, unum earum, quæ ad Religionem attinent; earum alterum, quæ hanc ne attingunt quidem* (b). Prætereundum porro non est silentio, eam quoque opinionem ab iisdem Theologis censeri *hæreticam*, quæ negat, *quantitatem* a corporea substantia *realiter* distingui. Hæc igitur censura aut vera est, aut falsa. Si vera: ergo laudatus Melchior Canus, aliique etiam gravissimi Theologi, qui *realem* illam quantitatis *distinctionem*, ut est alibi visum (§. 51.), inficiantur, debent hoc atro carbone notari: quod profecto de tantis Viris nemo cordatus dicet. Sin autem illa censura sit falsa: ergo ea quoque eodem jure penitus falsa censenda est, quam de sententia negante *accidentia absoluta* iidem ipsi pronunciant.

Probatur secundò. Existentia *accidentium absolutorum* in venerabili Eucharistiæ sacramento nullibi ab Ecclesia definita est. Ergo &c. Probatur assumtum, solvendo argumenta, quibus Scholastici doctrinam suam ex hoc capite demonstrare nituntur.

Argumenta Scholasticorum.

I.

153. *Arguunt primo* ex Concilio Constantiensi. Inter plures Wiclefi propositiones censorio stigmate ab illo confixas (c), hæc, inquiunt, una est, ordine secunda: *accidentia panis non manent in Eucharistia sine subiecto.* Vera est igitur, quæ huic contradictorie opponitur, videlicet: *accidentia panis manent in Eucharistia sine subiecto*; & ideo, nisi licitum putetur, Constantiensi Concilio refragari, *absoluta* Scholasticorum *accidentia* sunt admittenda.

℞. *primo*, argumentum nimis probare. Si namque *absolutorum accidentium* existentia in Concilio Constantiensi definita est, illi Concilio manifeste adversantur Tournely, Muratorius, Serry, Auctor operis *de re sacramentaria*, Vanroy, Berti, aliique Viri in Theologia præstantissimi, utpote qui aperte docent, opinionem negantem *acci-*

(a) Loco citato
(b) Ibidem cap. 5.
(c) Sess. VIII.

accidentia absoluta ab Ecclesia non esse proscriptam. Præterea, cum neque inter Scholasticos desit, ut vidimus, qui id ingenue fateatur, non ita hoc argumentum urget Recentiores, ut Scholastici sint ab illius pressura prorsus immunes.

℞. *secundo disting. ant̃s*: damnata fuit illa Wiclefi propositio: *accidentia panis non manent in Eucharistia sine subiecto*, quatenus enunciat, in Eucharistia remanere substantiam panis, *concedo ant̃s*; quatenus, nulla habita hujus Sacramenti ratione, negat, *accidentia* panis posse existere sine subiecto, *nego ant̃s*, & distinguo *cons̃*; vera est, quæ illi propositioni contradictorie opponitur, sumta propositione contradictoria, quatenus asserit remanentiam substantiæ panis in Eucharistia, *concedo conseq.*; sumta illa propositione, quatenus, nulla habita ratione Sacramenti, affirmat *accidentia* remanere, *nego conseq.* Observandum est igitur, controversiam, quæ Wiclefum inter atque catholicos vertebatur, non fuisse *philosophicam*, sed *dogmaticam*. Agebatur enim *directe*, & *per se*, ut ajunt Scholæ, de *conversione* substantiæ panis in Corpus Christi, deque *reali præsentia* ipsius Christi in Eucharistia; *indirecte* vero, & tantum *per accidens* de panis, ceterarumque rerum sensibilium qualitatibus. Negabat Wiclefus catholicum dogma tum *præsentiæ realis*, tum *transubstantiationis*, contendens homo impius, *hostiam consecratam esse Corpus Christi tantum in figura, & verum panem in natura, seu verum panem naturaliter, & Corpus Christi figuraliter* (a). Observandum præterea, omnibus persuasum tunc fuisse, easdem ipsas *reales qualitates*, quæ ante consecrationem erant in substantia panis, post consecrationem remanere; ac proinde panis *sensibilitatem*, quæ in Eucharistia superstes manet, ex eodem prorsus *formali* principio provenire, ex quo ante consecrationem illa oriebatur. Colligitur id *primo* ex censura secundæ propositionis Wiclefi, quam Concilii Patribus Theologi exhibuere. Ita namque illa se habet: *Hoc est falsum* (secundum nempe Wiclefi assertum) *& erroneum, & sapiens hæresim universaliter intellectam; quia si talis* quantitas, *quæ fuit* quantitas *panis, non manet sine subiecto in Sacramento altaris, erit tunc vel in corpore Christi, vel in pane, vel in aere circumstante* (b). Nemo autem non videt, dici ab illis minime potuisse, necessarium fore, ut, si panis *quantitas* non maneat in Eucharistia sine subjecto, ea sit vel in *corpore Christi*, vel in *pane*, vel in *aere circumstante*, nisi pro certo haberent, eandem numero

(a) Tom. XVI. collectionis Labbeanæ *Conciliorom* edit. Venetiis. 1731. column. 242.

(b) Ibidem *column.* 846.

mero *quantitatem*, quæ ante consecrationem in pane fuerat, post consecrationem superesse. Ergo de remanentia *qualitatum* panis *sensibilium* in Eucharistia illi ne quidem levissime dubitabant. Colligitur *secundo* ex Thoma Valdense. *Cum enim*, inquit, *accidentia ad sensum spectent, seipsis subsistere necesse est. Corpus enim Christi, cum sit corpus gloriæ, novas accidentium corruptibilium impressiones non recipit; & accidentia migrare de subjecto in subjectum non minus impossibile est apud naturam, quam habere subsistentiam propriam* (a). Ut ergo contra Catholicos evinceret Wiclefus, substantiam panis non converti in Corpus Christi, sed in Eucharistia manere, impossibilem penitusque repugnantem suadere simplicibus nitebatur existentiam *accidentium* sine subjecto. Dicebat proinde, referente Valdense laudato (b), *accidens non tantum inesse, sed esse subjectum; & per hoc, quam impossibile est, idem esse simul, & non esse, tam esse impossibile, accidens permanere, sublato subjecto: albedinem, cum sit substantiam esse albam, non posse esse sine subjecto: accidens non esse, nisi modum accidentalem substantiæ: nullam qualitatem esse, nisi substantiam esse qualem, nec aliquam formam, nisi illam, quæ est, substantiam esse formatam, vel formosam; ideo idem esse ponere, quod qualitas sit per se sine substantia, & ponere, quod substantia sit qualis sine hoc, quod sit substantia; & sic includere formalem contradictionem, quod sit accidens sine substantia subjecta*. Hinc Catholicos criminabatur, quod non possent *declarare, nec intelligere accidens sine subjecto*; impie prætere effutiens, *fructum istius dementiæ, qua fingitur accidens sine subiecto, fore blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & illudere Ecclesiam per verbum accidentis* (c). Neque dissimili ratione utebatur Joannes Hus ad idem *transubstantiationis* dogma impugnandum. Ideo namque & ipse dicebat, *manere panem post consecrationem, sicut antea* (d), quia *vides albedinem, rotunditatem, saporem panis, & fracturam audis* (e). Hisce ergo tam perniciosis erroribus ut occurrerent Patres Constantienses, damnarunt propositionem illam Wiclefi, quæ prima in ordine est, videlicet *substantiam panis materialem, & similiter substantiam vini manere in Sacramento altaris*, utpote catholico dogmati *transubstantiationis* directe contrariam. Quoniam vero ipsi etiam pro re comperta habebant, *qualitates sensibiles* panis, quæ ante consecrationem inhærebant illius substantiæ, post consecrationem *entitative* remanere, ideo

(a) T. II. *de sacram. Eucharistiæ* cap. 75.
(b) Ibidem cap. 78.
(c) Tom. XVI. *Conciliorum* laudatæ edit. *colum.* 242.
(d) Ibidem *colum.* 254.
(e) Ibidem *colum.* 255.

ideo secundam quoque Wiclefi propositionem confixerunt, quod viderent Viri illi doctissimi, eam quoque catholico *transsubstantiationis* dogmati adversari. Impossibile enim est, easdem tam ante, quam post consecrationem haberi *sensibiles* panis *qualitates*, nisi vel sint in Eucharistia sine subjecto, si in illa non adsit substantia panis; vel panis substantia in sacramento supersit, si non sine subjecto in illo existant. Itaque, sicuti damnata fuit prima Wiclefi propositio, quia *directe*; ita propositio ejusdem secunda fuit proscripta, quia *illative* catholico dogmati *transsubstantiationis* adversabatur, data quidem, sed minime determinata, utpote nequaquam ad fidem pertinente, de remanentia *sensibilium qualitatum* doctrina. *Is unus fuit Patrum Constantiensium scopus*, inquit Vir doctissimus, ad hoc ipsum, quod nobis objectum est, argumentum respondens, *contra Wiclefi perfidiam definire, panem in Christi corpus converti, adeoque, consecratione facta, accidentium subjectum non esse: quod vero ad ipsa accidentia attinet, quæ aliquatenus insinuantur sine subjecto manere, incidens hæc propositio est, ad fidem minime pertinens. Theologorum enim consensio est, in Conciliorum definitionibus distinguendas esse propositiones principales ab incidentibus, & a rationibus, quæ in probationem afferri possunt. Sæpe namque contingit, incidentem propositionem mere esse probabilem, imo falsam, licet principalis ad fidem pertineat: cujus rei præter cætera, quæ communiter afferuntur exempla, convincens in Concilio VII. Generali habemus; in hac, inquam, Synodo Patrum unus (Joannes Thessalonicensis) inde probavit, licitum esse, angelos pingere*, quia, *inquiebat*, corporales sunt, *cui a Patribus acclamatum*: etiam Domine. *Hæc enim Antistitum approbatio non cadit, nisi in angelorum imagines, quæ & pingi possunt, & licite retineri, minime vero in adjacentem Joannis propositionem*: quia corporales sunt; *cum constet, angelos omnes esse expertes materiæ* (a). Unde Cl. Binius in *notis* ad actionem V. hujus Synodi, *notandum*, inquit, *quod hac actione Joannes Thessalonicensis ait, angelos, & animas esse corporeas, idemque cum Basilio, & Athanasio universam Ecclesiam sentire, falsum est, & ab Ecclesia nequaquam receptum. Quod autem ex professo, & instituto Synodi allegabat, angelos, & animas pingi posse, judicio Ecclesiæ probatum est. Rationem, quam ille intulit, Synodus non curavit, ut pote quod de retinendo usu imaginum dumtaxat in ea ageretur* (b). Ita ergo in re, de qua modo disceptamus, videlicet secundam Wiclefi propositionem: *non manent accidentia sine subjecto*

in

(a) Auctor *de re Sacramentaria* Tom. I. lib. IV. q. 6. sect. 1. cap. 4. §. 2. in responsione *ad instantiam* 8.

(b) Tom. VIII. *Conciliorum* edit. laudatæ *colum.* 1304.

in Sacramento altaris damnarunt Patres Constantienses, non quia credendum vellent, tamquam necessario ad fidem pertinens, *accidentia corporea* ejus esse naturæ, quæ possint divinitus sine subjecto existere; sed quia dogma fidei est, panis substantiam converti in corpus Christi; ac proinde illam, adeoque subjectum *accidentium*, quæcunque demum esse dicatur physica illorum natura, in Sacramento altaris non remanere.

Ceterum, proscriptam fuisse in Concilio Constantiensi secundam propositionem Viclefi, non quia negat, possibilem esse existentiam *accidentium* panis sine subjecto; sed quia *transubstantiationi* contraria est, nonnullis momentis invicte demonstratur. Desumitur *primum* ex ea ipsa illius propositionis censura, quam Constantiensis Concilii Patribus Theologi exhibuerunt. Ita siquidem illa se habet: *secundus articulus* (propositio scilicet Viclefi, de qua agimus) *est directe contra* transubstantiationem *prædictam, in principio expositam, de qua, ut dictum est, loquitur Ecclesia in verbis suæ fidei, & determinationis in hac materia* (a).

Desumitur *secundum* ex Thoma Valdense. Is namque *petenti rationem decreti Concilii de fide* accidentium sine subjecto, *dicendum*, inquit, *quia fides principalis articuli hoc concludit. Quia data carne Christi propria, & præcisa in sacramento secundum essentiam ad formam verborum Christi*: Hoc est corpus meum, *nec hoc, scilicet panis, annihilatur, vel corrumpitur, quia fit corpus, nec in seipso manet, factus jam vere, id est, proprie Christi corpus. Maxime quia nihil plus est, quam corpus; quia non plus dicit Christus, quam* corpus meum. *Transubstantiatur ergo in corpus, ne maneat ultra panis, sed corpus tantum secundum substantiam. Cum igitur accidentia ad sensum spectent, seipsis subsistere necesse est. Corpus enim Christi, cum sit corpus gloriæ, novas accidentium corruptibilium impressiones non recipit, & accidentia migrare de subjecto in subjectum non minus impossibile est apud naturam, quam habere subsistentiam propriam. Liquet igitur, quomodo ex prima fide Evangelica*: Hoc est corpus meum, *pure, sine vitio, & proprie intellecta, insugibiliter sequantur transubstantiatio, & accidentium positio absoluta* (b). Tanto autem Viro plane constitisse, quonam sensu singulæ Viclefi propositiones fuerint a Concilio Constantiensi proscriptæ, res plane certa est; cum & illius Concilii tempore ipse claruerit, & opus suum *de sacramentis*, Martino V. approbante, in lucem ediderit.

(a) Tom. XVI. *Conciliorum* edit. laudatæ *colum.* 875.

(b) Tom. II. *de Sacramentis* cap. 75.

Momentum *postremum* ex Cardinali de Alliaco desumitur. Docuit, ut visum est (§. 151.) Vir Eminentissimus, *non esse evidens, nec in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia determinatum, quod accidentia panis sint aliud ab ejus substantia*; & ideo si quis oppositum dixerit, *non esse propter hoc tamquam hæreticum habendum*. Is autem non solum Constantiensi Concilio interfuit, verum etiam totum ipse negotium direxit damnationis Viclefianæ. Hæc enim leguntur in quodam ipsius Concilii decreto: *Item quod prædicti Commissarii recipiant relationem D.D. Cardinalium Cameracensis* (scilicet de Alliaco) *tit. S. Marci, & Florentinensis de processu facto super condemnatione librorum, & articulorum tam 45. in Parisiensi, & Pragensi, quam 265. in Oxoniensi studiis facta, nec non super condemnatione memoriæ Joannis Viclef, ac confirmanda sententia lata in Concilio Romano super condemnatione, & combustione librorum prædicti Joannis Viclef, & relationem super præmissis faciant nationibus, & huic sacro Concilio* (a). Credibile non est autem, tantum Verum exhibuisse Concilii Patribus, ut tamquam hæreticum censorio stigmate ab illis configeretur, id, cujus oppositum ipse alias aperte dixerat *non esse evidens, nec in Scriptura expressum, nec ab Ecclesia determinatum, sed tantum unum probabile*; addito insuper, habendum non esse *tamquam hæreticum*, qui illud doceret. Ergo in proscribenda secunda Viclefi propositione non fuit Constantiensis Concilii mens, aliquid determinare circa naturam *qualitatum sensibilium*; sed tantum catholicum dogma *transubstantiationis* stabilire.

Fateor equidem, Cardinalem de Alliaco longe ante Concilium Constantiense scripsisse, *non esse determinatum ab Ecclesia, quod accidentia panis sint aliud ab ejus substantia*. Damnatus quippe fuit Viclefus a Patribus Constantiensibus anno 1415., ut ex illius Concilii actis manifestum est. Alliacus vero, referente Launojo (b), *anno 1375. cæpit Magistri Sententias legere, & subtilius, & plenis commentariis illustrare*; adeoque longe antequam Viclefi doctrina in Constantiensi Concilio proscriberetur. Sed adhuc optime stat conjectura, qua testimonio Alliaci demonstravimus, illud Concilium non damnasse in Viclefo, quod de *sensibilium qualitatum* natura Recentiores propugnant.

Comperta enim res est, impiam Viclefi doctrinam etiam longe ante Concilium Constantiense fuisse ab Ecclesia proscriptam. In examen quippe vocata fuit Londini in Anglia anno 1376. a Simone Subdu-

(a) Tom. XVI. *Conciliorum* laudatæ edit. *colum.* 95.

(b) P. III. Hist. *Gymnasii Parisiensis* lib. I. cap. 4.

duriensi Cantuariæ Archiepiscopo, & paulo post Romæ a Gregorio XI. stigmate censorio confixa; literis quoque datis ad Richardum Regem, ad Cantuariensem, & Londinensem Episcopos, ad Oxoniensem Academiam, quibus, ut scribit Cl. P. Natalis ab Alexandro, *eos excitavit, ut omni, quo possent studio, ac diligentia nascentem hæresim opprimerent* (a). Constat quoque, referente eodem Viro doctissimo (b), Guillelmum Courtenejum, *qui Simoni Subduriensi in Archiepiscopatu Cantuariensi successit, Synodum Londini in conventu F.F. Prædicatorum ad Viclefi configendam atque profligandam hæresim celebrasse anno* 1382. Ergo ignorare non poterat Alliacus, quid de Viclefi doctrina sentiret Ecclesia, quidque de illa, licet non adhuc in Generali Concilio solemniter condemnata, a Viro catholico doceri deberet. Propterea, si ille scripsit, non esse ab Ecclesia determinatum, *quod accidentia panis sint aliud ab ejus substantia*, neque *hæreticum* censeri posse, *qui diceret oppositum;* dicendum est, neque in Concilio Constantiensi damnatam fuisse secundam Viclefi propositionem, quatenus negat existentiam *accidentium*, sed quatenus ponit, panis substantiam remanere; & ideo quatenus, ut diximus, *transubstantiationis* dogmati adversatur.

Accedit etiam, tantum Virum post celebratum Concilium nullibi revocasse, (id enim nullibi factum legitur) quod de identitate *accidentium* cum *substantia* antea docuerat. Id quod profecto fecisset Vir ille eximius, utpote piissimus (c), si quid vel minimum declarasset Concilium, quod cum doctrina ab se antea tradita componi nequiret. Non inficior, pro Scholastica opinione stetisse Alliacum. Sed nihil exinde sequitur, quod Recentioribus jure creare aliquam molestiam possit. Non enim dicunt, Cardinalem Alliacum favere eorum doctrinæ; sed in eo toti sunt, ut evincant luculentissimo tanti Viri testimonio, Concilium Constantiense opinionem negantem *accidentia absoluta* in Viclefo non damnasse.

Falso tamen, ait Cl. P. Ferrari, Purchotium *imponere Lectoribus suis* (d), dum ait, secundam Viclefi propositionem damnatam fuisse in Concilio Constantiensi *non absolute, ita ut opinionem, qua dicuntur omnia prorsus accidentia physica, seu qualitates sensibiles esse entitates accidentales a subjecto separabiles, ad fidem pertinere voluerit; sed facta relatione ad mentem Viclefi, qui docebat, ea accidentia vere*

 esse

(a) Tom. VII. *Hist. Eccl.* in synopsi Historiæ *sæculi XIII.* cap. 3. artic. 22. §. 6. num 1.

(b) Ibidem n. 2.

(c) Vide Launojum loco citato.

(d) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. pag. 199.

esse in subjecto proprio, seu pane, nec panem in Christi Corpus fuisse conversum; atque *hanc responsionem* sibi *suppeditasse Petrum de Alliaco . . . . . Nec quemquam eo melius nosse posse, quæ fuerit mens Concilii Constantiensis, cum ipse ei interfuerit* (a). Falso, inquam, ait P. Ferrari, Purchotium Lectoribus suis hoc loco imponere. Non enim dixit Purchotius, ita respondere Alliacum, quemadmodum ita loqui debuisset, ut impostoris nota jure illi appingi posset; sed tantum ait, illam responsionem sibi Alliacum suppeditasse, hoc est, viam sibi aperuisse, ut ita responderet. Non nego tamen, in hunc errorem lapsum fuisse Auctorem operis *de re sacramentaria*, utpote qui ad hoc idem argumentum respondens, scripsit, *Alliacum affirmare, hoc decreto Patres* (Constantienses) *nihil aliud, nisi Viclefi errorem, proscribere voluisse* (b). Absit tamen, ut huic Viro eximio aliquid vel minimum propterea detractum velim. Absit, ut contra illum ea S. Joannis Chrysostomi ipse verba usurpem, quæ contra Purchotium ob eandem causam, licet injuste, ut vidimus, adhibet P. Ferrari (c). Alta quippe mente mihi repositum est, præclarum illud Quintiliani, alibi etiam memoratum, *modeste* scilicet, *& circumspecto judicio de magnis Viris pronunciandum esse, ne, ut plerisque accidit, damnemus, quæ non intelligimus* (d).

Negat porro laudatus P. Ferrari, Cardinalem Alliacum *retractare debuisse, quod in Commentariis asseruit;* cujus ipsi ratio est, *quia non omnes Viclefi propositiones, tamquam hæreticæ, proscriptæ fuerant* (e). Sed contra ita arguitur: docet ipse, *Patres Constantienses secundam Viclefi propositionem damnasse eo sensu, quo ab Concilii Theologis fuit intellecta* (f). Illi autem Theologi, ipso quoque docente, dixerunt, secundam Viclefi propositionem esse *falsam, erroneam, & sapientem hæresim universaliter intellectam* (g). Ergo vel hæc censura non afficit illam propositionem, quatenus negat realem distinctionem *accidentium a substantia;* vel si illam afficit, quatenus illam distinctionem inficiatur, dare necessario debet Vir Cl., aut Cardinalem Alliacum *retractare debuisse, quod in Commentariis asseruit*, videlicet *esse tantum probabile, quod accidentia panis sint aliud ab ejus substantia*, neque *habendum esse tamquam hæreticum, qui diceret oppositum hujus;* cum Concilii Patres id expresse damnaverint *tamquam falsum, erroneum, & sapiens hæresim;* aut concedat Cl. Auctor necesse est, licere no-

(a) P. I. *Physicæ* Sect. V. cap. 1.
(b) Tom. I. lib. IV. q. 6. sect. 1. cap. 4. §. 2. in respons. *ad instantiam 7.*
(c) Loco citato.
(d) Lib. X. *Instit. Oratoriarum* cap. 1.
(e) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. pag. 202.
(f) Ibidem *pag.* 198.
(g) Loco citato.

nobis, quemadmodum juxta ejus doctrinam licuit Cardinali Alliaco, minime revocare, quæ, ſacro determinante Concilio, falſa, erroneaque ſunt, & hæreſim ſapiunt. Hoc autem alterum ille certe non dabit. Ergo fateatur opportet, ſe erraſſe, vel cum dixit, Alliacum revocare non debuiſſe, quod de identitate *accidentium* cum *ſubſtantia* in Commentariis ſcripſerat; vel cum docuit, ſecundam Vicleſi propoſitionem damnatam non fuiſſe a Patribus Conſtantienſibus, *quatenus ſubſtantiam panis permanere connotat* (a); ſed quatenus negat, panis *accidentia*, conſecratione peracta, remanere.

Verum contra ſolutionem argumenti principalis ita inſtat primo laudatus Auctor: *Concilium Conſtantienſe inter alias Vicleſi propoſitiones damnavit tres ſequentes*. I. Subſtantia panis materialis, & ſimiliter ſubſtantia vini materialis manet in Sacramento altaris. II. Accidentia panis non manent ſine ſubjecto in eodem Sacramento. III. Chriſtus non eſt in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præſentia corporali. *Prima propoſitio refert errorem Vicleſi communem aliis etiam hæreticis, qui iccirco* impanatores *appellati fuere. Tertia alterum Vicleſi errorem continet, quem alii etiam hæretici tenent, dicti ſubinde* Sacramentarii. *Secunda autem potiſſimum ſignificat Vicleſi opinionem. Porro cum tres in Concilio expreſſæ fuerint propoſitiones, totidemque iis adhibitæ damnationes, ut primæ, ac tertiæ propoſitionis damnatio* impanatores *impetit, &* ſacramentarios; *ſic proſcriptio ſecundæ ſpeciatim impetit Vicleſum ipſum, qui ſæpe blateraverat adverſus catholicos Doctores, aſſeverantes permanere in Sacramento altaris realia, & abſoluta accidentia ſine ſubjecto. Jam vero ſi ſecunda Vicleſi propoſitio eo tantum ſenſu proſcripta fuit, quo coincidit cum prima, omnino ſupervacanea fuiſſet diſtincta illa propoſitionum expreſſio, ac triplex damnatio. Immo Patres conſulto abſtinere debuiſſent ab expreſſa damnatione ſecundæ illius propoſitionis, ne proſcriptio iſtius ſecundæ propoſitionis, quæ in ſuis terminis, ac ſenſu diverſa apparet a prima, occaſionem erroris cuiquam aliquando præberet. At Patres Concilii Conſtantienſis id non præſtitere. Non ergo reprobarunt ſecundam Vicleſi propoſitionem eatenus tantum, quia ſubſtantiam permanere connotat, quo ſenſu coincidit cum prima propoſitione. Rurſus catholici Theologi oſtendunt Lutheranis, ſubſtantiam panis non permanere in Sacramento altaris una cum Chriſti corpore, quoniam Concilium Conſtantienſe damnavit primam expoſitam Vicleſi propoſitionem. At ſi licet recentioribus Philoſophis confundere damnationem ſecundæ propoſitionis cum damnatione primæ, inde etiam Lutherani affirmare poſſent, damnatam fuiſſe primam propoſitionem,*

(a) Loco citato.

nem, quatenus coincidit cum tertia, quoniam Viclefus sic substantiam panis permanere dicebat, ut realem corporis Christi præsentiam excluderet. Non ergo tres illæ damnationes sunt confundendæ; sed ut omnino distinctæ sunt, ita singulis proprium correspondet objectum. Atque adeo secunda illa Viclefi propositio non eatenus proscripta fuit, quia substantiam panis permanere connotat, ut recentiores Philosophi commentantur (a).

Sed contra est. *Primo* etenim animadvertat velim Cl. Adversarius, Viclefi errorem in prima illius propositione proscriptum, communem esse non *impanatoribus* (*) tantum, sed etiam *consubstantiatoribus* (**), imo & *sacramentariis* (***). Hi siquidem omnes falso credunt, perperamque contendunt, nihil prorsus panis, vi consecrationis, in hoc sacramento deficere. Velim *secundo* consideret, *impanatores* non ideo sic fuisse appellatos, quia senserint cum Viclefo, panis substantiam in Eucharistia remanere (ita siquidem sentiunt etiam *consubstantiatores*, & *sacramentarii*), sed quia Christum inter, & substantiam panis *realem unionem* haberi arbitrabantur. *Tertio*: falsum est, secundam propositionem *potissimum significare Viclefi opinionem*, quasi nempe fuerit peculiaris illius error, negare, *accidentia panis sine subjecto in hoc sacramento existere*. Ita namque necessario sentire ii omnes debent, qui ajunt, panis substantiam in Eucharistia remanere, nempe tam *impanatores*, quam *consubstantiatores*, & *sacramentarii*. Si enim in Eucharistia manet substantia panis, vel negandum profecto ab illis est, substantiam esse *subjectum* accidentium, vel necessario dicant oportet cum Viclefo, *accidentia panis sine subjecto in hoc sacramento non manere*. Hinc *quarto* fallitur Vir Cl., dum ait, quoniam *tres in Concilio expressæ fuerint propositiones, totidemque iis adhibitæ damnationes, ut primæ, ac tertiæ propositionis damnatio* impanatores *impetit, &* sacramentarios, *sic proscriptionem secundæ speciatim impetere Viclefum ipsum, qui sæpe blateraverat adversus catholicos Doctores asseverantes, permanere in sacramento altaris realia, & absoluta accidentia sine subjecto*. Fallitur, inquam, Vir Cl.; quia, ut modo vidimus, non solum primæ, & tertiæ, verum etiam secundæ propositionis proscriptio æque prorsus impetit *impanatores*, *sacramentarios*, & *con-*

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 196.

(*) *Impanatores* dicuntur, qui putant, Christum Dominum ita esse in Sacramento altaris, ut per consecrationem, veluti per novam quamdam incarnationem, panis ab ipso Christo assumatur, & cum illo intime conjungatur.

(**) *Consubstantiatores* ii omnes hæretici vocantur, qui ajunt, una simul cum Christi corpore substantiam panis in Eucharistia existere, quin aliqua tamen unio realis inter ipsas substantias habeatur.

(***) *Sacramentarii* dici ii omnes solent, qui realem Christi Domini præsentiam in Eucharistia inficiantur.

consubstantiatores, ac ipsum Viclesum. *Quinto*: falsum est, *si secunda Viclesi propositio eo tantum sensu proscripta fuerit, quo coincidit cum prima, omnino supervacaneam fuisse distinctam illam propositionum expressionem, ac triplicem damnationem*. Quamvis enim secunda Viclesi propositio damnata non fuerit, nisi quatenus *transubstantiationis* dogmati & ipsa adversa est; superflua non propterea dici debet illius distinctio a prima, ejusque distincta condemnatio. Differt siquidem secunda illa propositio a prima, perinde ac conclusio ab altera præmissarum, ex quibus derivatur, nec non veluti *corollarium* a propositione, cui subiicitur. Ut enim dixerat Cardinalis de Alliaco, *quod accidentia panis maneant ibi* (in Eucharistia) *hoc infertur ex hoc, quod præsupponitur, quod substantia panis transubstantiatur, & accidentia panis sunt aliud ab ejus substantia*. Sane nonne & ipsi Scholastici distinctis propositionibus dicunt, *non esse in Eucharistia substantiam panis*, & *accidentia panis in illa manere sine subjecto?* Sed demus, supervacaneam fuisse distinctam illam propositionum expressionem. Id certe non Concilii Patribus, sed Viclesо vertendum vitio est; cum illas ipse distincte docuerit. Interrogatus quippe Hieronymus de Praga, jussu Sacri Concilii, an inter ceteros errores in libris Viclesi contentos etiam infrascripti haberentur. I. *quod substantia panis materialis, & similiter substantia vini maneret in sacramento altaris post consecrationem*. II. *Item accidentia panis non manent sine subjecto altaris*. III. *Item Christus non est in eodem sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali*: *fateor*, respondet Pragensis, *duas primas propositiones in suis libris legisse, de tertia non recordor* (a). Sicuti ergo tres illæ propositiones distinctæ fuerunt a Viclesо, ita necesse fuit, ut distincte a Concilio proscriberentur, quamvis secunda errorem non contineat diversum ab errore primæ, sive tametsi utraque *transubstantiationi* adversetur. *Sexto*: me valde movent verba, quæ sequuntur, videlicet: *Patres consulto abstinere debuissent ab expressa damnatione secundæ illius propositionis, ne proscriptio istius secundæ propositionis, quæ in suis terminis, ac sensu diversa apparet a prima, occasionem erroris cuiquam aliquando præberet*. Me, inquam, valde movent hæc verba; quia non alius error mihi occurrit, cui illa secunda Viclesi propositio, si ob id fuerit proscripta, quod *transubstantiationi*, quemadmodum prima adversetur, præbere occasionem possit, nisi is ipse, in quem, causa illius censuræ, Cl. Adversarius lapsus modo est, dicendi nempe, definitum hinc fuisse in Concilio Constantiensi,

dari

(a) Tom. XVI. *Collectionis* Conciliorum *Labbeanæ* Column. 351.

dari *accidentia absoluta*, quæ sine subjecto existere divinitus possint, & reapse in Eucharistia sine subjecto existant. Tamdiu certe ita sentiam de errore, quem P. Ferrari ex illa positione futurum timet, donec alium, quem non video, ipse in aprico posuerit. Interim vero dicam, bona illius venia, Constantienses Patres eatenus reprobasse secundam Viclefi propositionem, quatenus, ut dixerant censores Theologi, *transubstantiationi, de qua loquitur Ecclesia in verbis suæ fidei, & determinationis in hac materia*, illa quoque adversatur (a). *Septimo*: concedam Viro Cl., *catholicos Theologos ostendere Lutheranis, substantiam panis non permanere in Sacramento altaris una cum Christi Corpore, quoniam Concilium Constantiense damnavit primam expositam Viclefi propositionem*. Verum ipse quoque mihi dabit, ut spero, etiam ex secundæ damnatione illud dogma ab iisdem demonstrari. Auctor certe eximii Operis *de re Sacramentaria*, ostendens ex Concilio Constantiensi (b) dogma *transubstantiationis*, memorat secundum Viclefi articulum, qui censorio stigmate confixus in eo fuerat, atque ex illo uno, primo scilicet ne quidem nominato, dogma illud demonstrat. Necesse est præterea, manifestum efficiat P. Ferrari, Theologos catholicos ita ostendere dogma *transubstantiationis* ex hoc, *quod Concilium Constantiense damnavit primam expositam Viclefi propositionem*, ut simul iidem ipsi aperte dixerint, censuram in eodem Concilio factam secundæ Viclefianæ propositionis, ad illud dogma demonstrandum eatenus usui esse non posse, quatenus non ideo proscripta illa fuerit, *quia substantiam panis permanere connotat, ut*, quemadmodum ipse ait, *recentiores Philosophi commentantur*. Neque enim, ut credamus, censuram secundæ illius propositionis huic muneri, Theologorum judicio, minime esse aptam, sufficere arbitror, P. Ferrari ita sentire. Ceterum quanti faciant sectarii auctoritatem Conciliorum Constantiensis, & Tridentini in iis præsertim, quæ spectant ad dogma *transubstantiationis*, & *præsentiæ realis* Christi Domini in Eucharistia, norunt Theologi. Id ergo consideret Vir Cl., tum judicet, quanti a Lutheranis fieret argumentum, quo Theologus catholicus illis suadere niteretur, *substantiam panis non permanere in Sacramento altaris una cum Christi Corpore, quoniam Concilium Constantiense damnavit primam expositam Viclefi propositionem*. Demum non video (nec me pudet, id candide fateri), quorsum respiciant illa verba: *si licet recentioribus Philosophis confundere damnationem secundæ propositionis cum damnatione primæ, inde etiam Lutherani affirma-*

(a) Tom. XVI. *Concilorum* laudatę edit. (b) Tom. I. lib. IV. q. 6. sect. 2. §. 1. *colum.* 875.

mare possent, damnatam fuisse primam propositionem, quatenus coincidit cum tertia, quoniam Wiclefus sic substantiam panis permanere dicebat, ut realem Corporis Christi præsentiam excluderet. Demus enim, affirmari a Lutheranis, damnatam fuisse in Concilio Constantiensi primam Viclefi propositionem: *substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis manet in Sacramento altaris*, quatenus coincidit cum tertia, cum ea scilicet, in qua ille dicebat, *Christum non esse in eodem Sacramento identice, & realiter, in propria præsentia corporali*. Fortene hinc inferre illi possunt, aut Christum Dominum non esse *vere, realiter*, & *substantialiter* in Eucharistia, aut una simul cum panis, vinique substantia ipsum in ea existere? ἥκιστα πάντων. Ego sane neque hoc, neque aliud periculum in sancta Religione hinc videre valeo sequuturum. Perinde siquidem nobis esse arbitror, sive affirment, sive negent Lutherani, ceterique sectarii, primam Viclefi propositionem damnatam fuisse in Concilio Constantiensi, quatenus coincidit cum propositione ejusdem tertia, dummodo ratum nobis fixumque sit, utramque in illo fuisse proscriptam. Non inficior, dixisse Viclefum, *substantiam panis permanere* in Eucharistia, *ut realem Corporis Christi præsentiam excluderet*. Credebat enim homo impius, se eversurum catholicum dogma præsentiæ realis, si evinceret, panis substantiam in Eucharistia remanere. Unde mirum videri non debet, si tum in desitionem substantiæ panis, tum in remanentiam *accidentium* sine subjecto tot, tamque horrendas blasphemias ille effuderit. Sed videre nequeo, quid inde sequatur, de quo gloriari sectarii, & vicissim catholici timere jure ac merito possint.

Arbitror *secundo*, Lutheranos nunquam dicturos, primam Viclefi propositionem coincidere cum tertia, eamque ideo in Concilio Constantiensi fuisse proscriptam, quatenus cum hac coincidit. Lippis enim atque tonsoribus notum est, substantiam panis una simul cum Christi Corpore in Eucharistia a Lutheranis componi; ac propterea illos negare, ideo panis substantiam in hoc Sacramento deficere, quia Christi Corpus *vere*, *realiter*, ac *substantialiter* in illo habeatur.

Certum *postremo* mihi est, tria hæc, videlicet I. *desitionem substantiæ panis in Eucharistia*. II. *manentiam specierum, sive accidentium in eadem sine subjecto*. III. *realem Christi Domini præsentiam in ipso Sacramento*, adeo connexa esse inter se, sibique mutuo adeo manus dare, ut, quovis illorum posito, reliqua duo necessario sequantur. Hæ siquidem omnes illationes legitimæ sunt atque verissi-

mæ I. *in Eucharistia non habetur substantia panis*; ergo *in ea existit Corpus Christi, & panis species ibi sunt sine subjecto*. II. *species panis sunt in Eucharistia sine subjecto*; ergo *in illa non habetur substantia panis, sed Corpus Christi*. III. *Christus vere, realiter, & substantialiter existit in Eucharistia*; ergo *in ea non habetur substantia panis*; *quæque ibi apparent panis accidentia, sunt sine subjecto*. Sicuti ergo horum uno determinato, reliqua duo sequuntur; ita pari ratione, una trium propositionum Viclefi proscripta, sequitur, & binas reliquas, tamquam falsas, a nobis reiici oportere; atque hinc dici posse, imo dicendum fore, primam Viclefi propositionem damnatam fuisse, quatenus coincidit cum tertia, hoc est, quatenus illa vera esse nequit, nisi sit falsum, Christum Dominum *vere, realiter*, & *substantialiter* in Eucharistia existere; sicuti non potest esse verum, Christum Dominum existere in Eucharistia *vere*, *realiter*, & *substantialiter*, nisi falsum sit, panis, vinique substantiam in Eucharistia remanere. Audiendus itaque non est P. Ferrari, dum ait, *secundam Viclefi propositionem non eatenus proscriptam fuisse, quia substantiam panis permanere connotat*; neque aliquid negotii facessere nobis debet, si, confundentibus recentioribus Philosophis damnationem secundæ propositionis ejusdem Viclefi cum damnatione primæ, inde etiam Lutherani affirment, ut ille ait, *damnatam fuisse primam propositionem, quatenus coincidit cum tertia*.

Instat *secundo* idem Vir Cl.: *Tomo* XVI., inquit ille, *Conciliorum Labbei, ubi Constantiense Concilium exhibetur, eaque recensentur, quæ ad idem Concilium pertinent*, pag. 846. *refertur quædam Theologorum Constantiensium* brevis censura 45. articulorum Viclefi *anno* 1415. *in Concilio prodita. Constituta autem prima Viclefi propositione*: substantia panis materialis, & similiter substantia vini manent in Sacramento altaris: *hæc propositio declaratur* falsa, erronea, *&* hæretica. *Tum secunda exaratur Viclefi assertio*: accidentia panis non manent sine subjecto in Sacramento altaris. *Ac postea illius propositionis character sic constituitur*: hoc est falsum, erroneum, *&* sapiens hæresim universaliter intellectam; quia si talis quantitas, quæ fuit quantitas panis, non manet sine subjecto in Sacramento altaris, erit tunc vel in Corpore Christi, vel in pane, vel in utroque, vel in aere circumstanti. Non primum; quia Corpus Christi non est quantum tali quantitate; esset enim tunc monstruosum; tum quia talem formam habet, qualis in judicio apparebit. Non secundum; quia tunc panis iste non esset conversus in Christi corpus.......quod est hæreticum. Nec tertium; nulla enim substantia remanet in Sacramento, nisi

Cor-

Corpus Christi........Nec quartum; quia aer circumstans est locus illius quanti, vel ultima superficies ejus. Patet etiam hæresis istius conclusionis; quia qui aliter sentit de Sacramentis Ecclesiæ, quam Romana Ecclesia, hæreticus est. Romana autem Ecclesia sentit, *accidentia esse sine subjecto in Sacramento altaris*, De celeb. Missarum, Decretalium lib. III. tit. 41. cap. 6. *cum Marthæ*; De hæreticis, Decretalium lib. V. tit. 6. cap. 9. *Ad abolendam*, *ideo* &c. *Demum tertia ponitur Viclefi propositio*: Christus non est in eodem Sacramento identice, & realiter in propria præsentia corporali. *Eaque declaratur* falsa, erronea, *&* hæretica. *Eodem pariter Tomo* (prosequitur ille) *pag.* 871. *diffusam quadam refertur condemnatio articulorum Viclefi exarata a Theologis Concilii, quæ in examine illius secundæ propositionis sic habet*: nequaquam illæ substantiæ panis, & vini remanent in sacramento altaris, sed *species panis*, & *vini sine subjectis*, sub quibus, sicut speciebus peregrinis, Corpus, & Sanguis Christi veraciter continetur. *Et infra*: si in Sacramento altaris non manet ipsa substantia panis, & tamen *ibi remanet tota species per se sensibilis* ipsius panis, quæ non potest esse in aliquo alio subjecto, quam in pane, sequitur, quod talis *species panis stetit ibi sine subjecto*, & quod substantia panis......... conversa est totaliter in verum corpus Christi, & in sacramentalem cibum, & mysticum, sacramentaliter sub specie panis contentum, sicuti credit fides Ecclesiæ prædicta, & habetur intentum, quod ibi fiat *transubstantiatio* sæpe dicta (a).

Ex hisce ergo ita argumentatur Vir Cl.: *Patres Constantienses secundam Viclefi propositionem damnarunt eo sensu, quo ab Concilii Theologis fuit intellecta. Neque enim aliud illius propositionis judicium in Concilio proditum fuit. Porro Theologi illi errorem secundæ propositionis arbitrati sunt longe diversum ab errore primæ. Etenim primam propositionem absolute* hæreticam *pronunciarunt*: *secundam vero dixere* sapientem hæresim *universaliter intellectam*; *quod nempe* illative *tantum in sensu Viclefi foret hæretica. Deinde Theologi illi absolute docuerunt*, accidentia, *&* species panis *esse sine ullo subjecto*; *&* *hoc eodem sensu intellexere decreta Romanæ Ecclesiæ, ubi etiam aperte loquuntur* de subjecto receptionis, *dum affirmant*, species panis *non posse esse in alio subjecto, nec in Christi Corpore, nec in aere*: *quo loquendi modo significabatur recipi in alio, & ab illo dependere. Ergo Patres Constantienses spectavere secundam illam Viclefi propositionem veluti ab errore primæ propositionis distinctam, & diversam*; *ac per damnationem illius secundæ propositionis declararunt, accidentia realia manere in Sacramento altaris*

 sine

(a) Loco citato.

sine subjecto receptionis, ut putant Peripatetici. Non ergo subsistit allata Recentiorum responsio (a).

℞. *permissa majori, negando minorem*, videlicet Theologos Constantienses arbitratos fuisse, *errorem secundæ propositionis Viclefi longe diversum esse ab errore primæ*. Falsitas hujusce assertionis ex illo ipso judicio manifesta est, quod de tribus memoratis Viclefi propositionibus fecerunt Censores Theologi, & Concilii Patribus exhibuere. En illius verba: *relinquitur ex prædictis fides summe rationabilis in hac materia, quod sub speciebus panis, & vini sanguis, & corpus Christi veraciter continetur, transubstantiatis pane in Corpus, & vino in Sanguinem*, transubstantiatione *sæpe dicta. Hæc prædicta tanta, quæ pro præsenti negotio videntur superflua, ideo dixerim, ut occasione talium ostendatur* primo *incredulis apostatis, quam rationabilis, & recta est prædicta fides, & determinatio Ecclesiæ circa sacramentum altaris .... Item ut ostendatur* tertio, *quod illi primi tres articuli* (Viclefi) *de quadraginta quinque sunt hæretici. Primus*: substantia panis materialis, & similiter substantia vini manent in Sacramento altaris. *Secundus*: accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento. *Tertius*: Christus non est in eodem Sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali. *Nam supponendo ex quid nominis, & significatione vocabuli, quod substantia panis materialis dicitur, qua ipse panis substantialiter est panis materialis, tunc* directe *est contra prædictam* transubstantiationem *per Ecclesiam determinatam, quod substantia panis materialis remaneat in Sacramento altaris. Tunc enim non transubstantiaretur panis in Corpus Christi prædicta* transubstantiatione; *& similiter de vino est dicendum*. SECUNDUS ARTICULUS EST DIRECTE CONTRA TRANSUBSTANTIATIONEM *prædictam, in principio expositam, de qua, ut dictum est, loquitur Ecclesia in verbis suæ fidei, & determinationis in hac materia*. Tertius *etiam* articulus *est contra eandem determinationem* &c. (b). Nihil ergo magis falsum est, quam Constantienses Theologos fuisse arbitratos, ut ait P. Ferrari, *errorem secundæ propositionis* (Viclefi) *longe diversum esse ab errore primæ*; cum illi, ut est modo visum, aperte docuerint, secundum articulum Viclefi, æque prorsus ac primum, esse *directe contra transubstantiationem*.

Neque conjecturæ, quibus Vir Cl. assertionem illam suam suadere conatur, intentum probant. Non certe prima. In eo enim hæc consistit, quia illi Theologi *primam* (Viclefi) *propositionem absolute* hæreticam *pronunciarunt*; *secundam vero dixere* sapientem hæresim uni-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 197.

(b) Tom. XVI. *Conciliorum* laudatæ edit. *colum.* 873. 874. 875.

universaliter intellectam. Hæc autem corruit tota, si dicamus, ideo primam propositionem Viclefi dictam fuisse absolute *hæreticam*, secundam vero tantum *sapientem hæresim*, non quia utraque minime adversetur *transubstantiationi*; sed quia huic dogmati non adversantur ambæ eodem modo. Prima siquidem *immediate*, secunda vero *mediate* tantum, sive *illative* illi contraria est. Nulla est enim *transubstantiatio*, si *accidentia* panis, & vini sine subjecto in Eucharistia non existant. Nam, cum subjectum *accidentium* panis sit illius substantia, manere illud non potest in Eucharistia, quin panis substantia in ipso Sacramento remaneat; ac propterea quin nulla prorsus sit *transubstantiatio*.

Hanc porro fuisse illorum Theologorum mentem, facili negotio ostenditur. Quamvis enim in ea censura articulorum Viclefi, quæ, excerpta ex MSS. Lipsiensi, *brevis* inscribitur (a), secunda Viclefi propositio non absolute *hæretica*, ut prima, sed *sapiens hæresim* dicatur; verumtamen in censura eorundem articulorum, quæ, ex MSS. Cæsareo Vindobonensi desumta, *diffusa* dicitur (b), eadem secunda Viclefi propositio, æque prorsus ac prima, & tertia, absolute *hæretica* pronunciatur. Dicitur enim: *primi tres articuli* (Viclefi) *de quadraginta quinque sunt hæretici*. Igitur, nisi velit P. Ferrari, hosce Theologos inter se neutiquam consentire, dicat oportet, eos modo absolute *hæreticam*, modo tantum *sapientem hæresim* eandem propositionem pronunciasse, non quia judicaverint, eam modo uni, modo alteri errori favere; sed quia illam spectarunt aliquando, prout *absolute* catholico *transubstantiationis* dogmati contraria est; quandoque vero, prout illi *illative* tantum adversatur.

Sic præterea urgeri potest argumentum: ex hoc, quod secunda Viclefi propositio dicta fuerit in una illius censura non absolute *hæretica*, quemadmodum prima, sed *sapiens hæresim*, infert P. Ferrari, Theologos Constantienses fuisse arbitratos, errorem secundæ propositionis *longe diversum* esse ab errore primæ. Ergo pari ratione ex hoc, quod eadem propositio in alia ejusdem censura absolute *hæretica*, æque prorsus ac prima, dicta ab iisdem fuerit, inferre posunt Recentiores, Theologos ipsos judicasse, errorem secundæ propositionis minime diversum esse ab errore primæ.

Demum P. Ferrari, & quidem longe verius, quam ipse dixerat de Purchotio, imponit Lectoribus suis, dum absolute, quasi nempe omnes ita senserint, scribit, Constantienses Theologos primam Viclefi

(a) Tom. XVI. *Conciliorum* edit. laudatæ *colum.* 846.

(b) Vide *ibidem* colum. 870.

clesi propositionem absolute *hæreticam*, secundam vero nonnisi *sapientem hæresim* pronunciasse. Hoc enim de hac propositione non fuit judicium illorum Theologorum, qui diffusam Viclefianarum propositionum censuram Patribus Concilii exhibuerunt.

Puto autem, Virum Cl. minime dicturum, diffusam illam censuram vel sibi non innotuisse, vel ab se, tamquam genuinam, nequaquam admitti. Primum quippe nimis illi indignum est, cum utraque censura in eodem Conciliorum Tomo habeatur; eamque ipse etiam non commemoret tantum, verum etiam contra Recentiores aperte adhibeat (a). Alterum vero si dicat, ab eo quæram *primo*, cur plura verba illius censuræ ipsemet etiam, ut monui, contra Recentiores suo in argumento retulerit? *Secundo:* quid respondendum putaret Recentioribus, si, quemadmodum ipse *diffusam*, ita illi *brevem*, quam ipse approbat, & cui maxime innititur, audiendam non esse contenderent? Aut enim utrique, nisi vehementer fallar, habenda ex æquo fides est; aut, nisi P. Ferrari discriminis causam dederit, illa utrique est deneganda. Et hæc quidem de prima conjectura, qua ille ab se ostensum putat, Constantienses Theologos judicasse, errorem secundæ propositionis Viclefi *longe diversum* esse ab errore primæ.

Veniendum modo ad secundam, videlicet, *Theologos illos absolute docuisse accidentia, & species panis esse sine ullo subjecto; & hoc eodem sensu intellexisse decreta Romanæ Ecclesiæ*; eosque *aperte loqui de subjecto receptionis, dum affirmant, species panis non posse esse in alio subiecto, nec in Christi Corpore, nec in aere*. Hæc ille. Verum, ut prima, ita hæc altera conjectura omnino vacillat. Concedo enim, Constantienses Theologos docuisse, *accidentia, & species panis esse* (in Eucharistia) *sine subiecto*. Concedo, *hoc eodem sensu intellexisse decreta Romanæ Ecclesiæ*. Verum me fugit, quomodo ex his sequatur, existentiam *accidentium absolutorum* habitam ab illis fuisse, tamquam perpetuam Ecclesiæ doctrinam; multoque minus, ipsos judicasse, huic doctrinæ adversari secundam Viclefi propositionem; & ideo illam proposuisse Patribus Concilii, ut atro carbone ab ipsis notaretur. Mea etenim sententia, unum tantum sequitur, illudque do libentissime, nempe non manere in Eucharistia subjectum *accidentium*, sive substantiam panis; hancque fuisse perpetuam atque constantem catholicæ Ecclesiæ doctrinam.

Ad illud autem, quod addit de *subiecto receptionis*, de quo loquuntur Theologi, *dum affirmant, species panis non posse esse in alio subie-*

(a) Loco citato pag. 198.

ſubiecto, nec in Chriſti corpore, nec in aere: dico, hoc utique eſſe verum; ſed hinc dicendum fore, ita eos loquutos fuiſſe, non ut probarent, *abſoluta* Scholæ ſuæ *accidentia* exiſtere, ſed ut oſtenderent, nullum in Euchariſtia eſſe ſubjectum, cui ſuperſtites panis *ſpecies* reapſe adhereſcant. Inquiunt enim: *ſi talis quantitas, quæ fuit quantitas panis, non manet ſine ſubiecto in Sacramento altaris, erit tunc vel in Corpore Chriſti, vel in pane, vel in utroque, vel in aere circumſtante* (a). Quis autem non videt, hoc argumentum eo vitio laborare, quod vocant *petitionis principii*, ſi ad probandam non deficientiam ſubjecti, ſed realem diſtinctionem *quantitatis* a *ſubſtantia*, Conſtantienſes Theologi illud adhibuiſſent? Corruit quippe totum, ſi dicatur, nihil reale panis, conſecratione peracta, remanere. Nullæ itaque ſunt conjecturæ, quibus P. Ferrari ab ſe demonſtratum putat, perſuaſum fuiſſe Theologis Conſtantienſibus, *errorem ſecundæ propoſitionis Viclefi longe diverſum eſſe ab errore primæ*; atque hinc ſecundam illam propoſitionem *non eatenus fuiſſe proſcriptam, quia ſubſtantiam panis permanere connotat*, ut contendunt Recentiores; ſed quia *abſolutorum accidentium* exiſtentiam negat, ut ipſe cum Scholaſticis arbitratur.

Antequam tamen manum de tabula moveam, lubet ex iis ipſis Conſtantienſium Theologorum cenſuris, in quibus Cl. Adverſarius tantam ſpem collocat, unum, qualecunque demum ſit, argumentum conficere. Concedo itaque Viro Cl., *Patres Conſtantienſes ſecundam Viclefi propoſitionem damnaſſe eo ſenſu, quo ab Concilii Theologis fuit intellecta*. Concedo, *illos Theologos errorem ſecundæ propoſitionis arbitratos fuiſſe longe diverſum ab errore primæ*; ac proinde Concilii Patres *per damnationem illius ſecundæ propoſitionis declaraſſe, accidentia realia manere in Sacramento ſine ſubiecto receptionis, ut putant Peripatetici*. Hæc, inquam, omnia permitto, ut veriſſima. Fore tamen ſpero, P. Ferrari mihi quoque concedat, memoratam ſecundam Viclefi propoſitionem proſcriptam fuiſſe a Patribus Concilii ſub ea nota, quam cenſores Theologi illi inuſſerunt; & ideo, cum Theologi eam dixerint *hæreticam*, dabit Vir Cl., illam, tamquam *hæreticam*, in Concilio Conſtantienſi fuiſſe proſcriptam; cumque, ipſo contendente, proſcripta non fuerit, quatenus *ſubſtantiam panis permanere connotat*, ſed quatenus *abſolutorum accidentium* exiſtentiam inficiatur, fateri neceſſario debet Cl. Auctor, opinionem negantem *accidentia abſoluta*, utpote, illius judicio, minime diverſam a ſecunda Vi-

(a) Tom. XVI. *Concil.* colum. 846.

Viclefi propositione, esse *hæreticam*. Opinio autem negans *accidentia absoluta* ipsa Recentiorum sententia est. Ergo hæc opinio, judicio P. Ferrari, est *hæretica*. Contrarium autem ille aperte docet. Ait enim in ipso quæstionis limine, *Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse* (a). Ergo vel seipsum corrigat, dum ait, *Patres Constantienses per damnationem secundæ propositionis* (Viclefi) *declarasse, accidentia realia manere in sacramento altaris sine subjecto receptionis, ut putant Peripatetici*; vel candide fateatur, se nimia modestia peccasse, dum scripsit, *partem esse prudentis Peripatetici, optime animadvertere, Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse*; cum scribere debuisset, illam opinionem nedum damnari posse ut *hæreticam*, sed jam ut *hæreticam* a Constantiensis Concilii Patribus in Viclefo fuisse proscriptam.

Præterea, si prudentis Peripatetici est, ut ipse ait, optime animadvertere, *Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse*; ejusdem quoque erit, ipsiusmet P. Ferrari judicio, ut spero, ingenue candideque fateri, eandem opinionem tamquam *falsam, erroneam*, & *sapientem hæresim* minime posse proscribi. Æque enim in Recentiorum ignominiam cedit, sive absolute *hæretica*, sive *falsa* dumtaxat, *erronea*, & *sapiens hæresim* illorum doctrina censeatur. Secunda autem Viclefi propositio in ea ejusdem censura, quæ *brevis* inscribitur, & ex qua Vir Cl. suum contra Recentiores argumentum desumit, *falsa, erronea*, & *sapiens hæresim* pronunciatur. Ergo vel dare ille debet, secundam Viclefi propositionem non fuisse proscriptam, quatenus *absolutorum accidentium* existentiam negat; vel fucum facit, dum *prudentis Peripatetici* esse ait, optime animadvertere, *Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse*; neque *tantum* ab se tribui *rebus suis* (b).

I I.

154. *Arguunt secundo* ex Concilio Tridentino. Expresse, inquiunt, definitum in illo est (c), totam panis, vinique substantiam converti in corpus, & sanguinem Christi Domini, & solas rerum illarum *species* in ipso sacramento remanere, anathemate in eos dicto, qui id negare auderent. Certo certius est autem, nomine *specierum* panis, & vini, quæ manere dicuntur, non aliud intelligi, nisi rerum illarum *sensibiles qualitates*; cum, præter *substantiam*, & *qualitates*, nihil aliud in re sensibili habeatur. Ergo ex Tridentino Concilio cer-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. I. pag. 194.

(b) Loco citato.

(c) Sess. XIII. *de Eucharistia* can. 2.

certum est, *qualitates sensibiles* panis, & vini in Eucharistia remanere. Illæ autem remanere non possunt, nisi sint *entitates absolutæ*, sive *accidentia* in sensu Scholastico. Ergo *absoluta* Scholasticorum *accidentia* necessario, si Tridentini Concilii doctrinæ stare velimus, sunt admittenda.

℞. *permissa majori, distinguendo minorem*: certo certius est, nomine *specierum* panis, & vini non aliud intelligi a Scholasticis, nisi rerum illarum *qualitates*, quas dicunt esse *entitates absolutas*, *concedo minorem*; certum est, eiusmodi *entitates* intellectas fuisse a Patribus Tridentinis nomine *specierum*, *nego minorem*, & *conseq.* Omissa ergo quæstione, an *specierum* nomine possint, vere proprieque loquendo, *sensibiles qualitates* rei, cuius illæ dicuntur *species*, a nobis intelligi, dico, Tridentinos Patres, nomine *specierum* panis, & vini, *absoluta* rerum illarum *accidentia* non intellexisse, vel saltem id definire noluisse. *Primo* siquidem rem penitus indubiam esse arbitror, nomen *specierum* panis, & vini, sub quibus Christus Dominus in Eucharistia existit, eodem plane sensu sumtum fuisse in Concilio Tridentino, quo in Lateranensi IV. anno 1215. sub Innocentio III. celebrato. Sicuti enim in Tridentino (a) *vere*, *realiter*, ac *substantialiter*, ita in Lateranensi (b) *veraciter*, dicitur, Christum Dominum *sub speciebus panis, & vini contineri*. Certum est autem, nomen *specierum* sumtum non fuisse in Concilio Lateranensi, quatenus significat illud ipsum, quod *absolutorum accidentium* nomine Scholastici designant. Ita namque si Lateranenses Patres sumsissent vocabulum *specierum*, sique ea fuisset illorum mens, ut *species Eucharisticæ* hoc sensu ab omnibus sumerentur, id profecto neque S. Thomam, utpote qui illius Concilii decretalem eximio Commentario illustravit, neque Cardinalem Petrum de Alliaco, quippe qui, referente Launojo (c), ubique gentium *qua pius*, *qua scientissimus* prædicabatur, latuisset; & ideo neque ille ex uno sensum testimonio, quemadmodum ex illo uno ipsam probat (d), sed ineluctabili Lateranensis Concilii auctoritate, *accidentium* remanentiam in Eucharistia demonstrasset; neque dixisset Alliacus, *non esse ab Ecclesia determinatum, quod accidentia panis sint aliud ab eius substantia* (e). Igitur si non in Lateranensi, neque sane in Concilio Tridentino sumtum est vocabulum *specierum*, quatenus *absoluta* Scholasticorum *acciden-*

(a) Sess. XIII. cap. I. de Eucharistia.
(b) De fide catholica *cap.* firmiter credimus.
(c) P. III. Hist. *Gymnasii Parisiensis* lib. I. cap. 4.
(d) P. III. q. 75. *art.* 5., & q. 77. *art.* 1.
(e) Super IV. *Sententiarum* q. 6. *art.* 3.

tia designat; vel saltem mens non fuit Tridentinorum Patrum, ut hoc sensu illud ab omnibus sumeretur.

Secundo: consideratione dignissimum est, *accidentis* vocem ne semel quidem in Tridentino Concilio fuisse usurpatam, quamvis Patres, atque Theologi, qui illi interfuere, in suis scriptis, & Scholis ea sæpissime uterentur; imo persuasum haberent, *qualitates sensiles* corporum esse *accidentia absoluta*, atque ex hisce, in Eucharistia divinitus remanentibus, *sensibilitatem* eam provenire, sub qua Christus Dominus in hoc sacramento existit. Certum est enim, Tridentini Concilii Patres, atque Theologos, utpote doctissimos, non latuisse, *Eucharisticas* panis, vinique *species* aliter explicari a plerisque posse, quam per *accidentia absoluta*. Igitur vel persuasum illis fuit, id licere viro catholico sine ulla fidei suæ jactura, vel non. Si primum: vitio verti nequit Recentioribus, quod illas *species* per *absoluta accidentia* non explicent, contendantque, Tridentinos Patres nihil prorsus hoc super negotio determinare voluisse. Sin alterum: ergo peccarunt Patres ipsi, illud minime definiendo, quod in re tanti momenti definire debuerant. Ut enim habet S. Augustinus, *Ecclesia Dei, inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; & tamen, quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit* (a). Unde Cl. Muratorius, *dissimulare*, inquit, *Conciliis licet, quæ ad fidem non pertinent. At fidei repugnantia dissimulare non licet. Neque Ecclesiam fugere potest, quid doctrinæ ab Apostolis, & Patribus traditæ adversetur; & ab Ecclesiæ munere abhorret, sinere, hanc doctrinam, se audiente & dissimulante, violari. Error enim (ut habetur 83. distin. cap.* error) *cui non resistitur, approbatur, nisi forte ejusmodi dissimulatio inde oriatur, quod ad maturius examen controversia ipsa reservetur* (b). Vim huius conjecturæ optime vidit etiam Cl. P. Ferrari; unde candide fatetur, *Concilium Tridentinum abstinuisse ex industria a voce* accidentis, *ne* (illius sunt verba) *philosophicam Pripateticorum sententiam expresse definiret tamquam fidei catholicæ dogma* (c).

Vereor tamen, ut ingenue est ipse dicam, quod sentio, ne hæc tam sincera confessio in damnum cedat sui Cl. Auctoris. Si namque Concilium Tridentinum ex industria abstinuit a voce accidentis, *ne philosophicam Peripateticorum sententiam* (existentiam scilicet accidentium absolutorum) *expresse definiret tamquam fidei catholicæ dogma*, manifeste profecto sequitur *primo*, in nullo prorsus eorum Conciliorum, quæ Triden-

(a) Epist. LV. n. 35, alias. CXIX. cap. 19.

(b) Lib. I. *de moderamine* ingeniorum cap 13.

(c) Tom. II. P. I. *Physicæ* Dip. IV. q. 1. in solutione *primæ obiectionis*, ad secundum *pag.* 210.

dentinum præcesserant, ac proinde neque in Constantiensi id fuisse determinatum. Nihil enim, quod in uno Conciliorum definitum est, potest in altero, quod postmodum celebratur, ex industria dissimulari, ne scilicet ansam hinc arripiant sectarii Concilium illud criminandi, quasi nempe in fide peccaverit. Hinc sequitur *secundo*, secundam illam Viclefi propositionem: *accidentia panis non manent in Eucharistia sine subiecto*, proscriptam non fuisse in Concilio Constantiensi, quatenus *absolutorum accidentium* existentiam negat, sive, ut pluribus suadere conatur laudatus Vir Cl., quatenus errorem continet *longe diversum ab errore primæ*; sed quatenus panis substantiam, que *accidentium* subiectum est, remanere connotat. Sequitur *tertio*, P. Ferrari non sibi constare, cum ait, *ex Venerabilium Conciliorum, Constantiensis, & Tridentini, suprema auctoritate, & definitionibus circa Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum*, adeo invicte *colligi existentiam* accidentium absolutorum *in sensu Peripatetico, ut definitiones illæ cum Recentiorum placitis non satis apte cohæreant* (a). Si namque Concilium Tridentinum *ex industria*, ut ille ait, *abstinuit a voce* accidentis, *ne Peripateticorum sententiam*, (de natura qualitatum sensibilium) *tamquam dogma fidei definiret*, tam longe a vero est, ex illius definitionibus posse *invicte* colligi existentiam *accidentium absolutorum*, & Recentiorum placita cum illius Concilii definitionibus non satis apte cohærere, ut hæc ne levissime quidem ex illis valeant suaderi. Non enim Tridentini Patres in iis definiendis, quæ circa venerabile Eucharistiæ sacramentum divina fide a nobis credenda sunt, *ex industria* abstinuissent sese ab *accidentis* vocabulo, si comperta res illis foret, quæ ad tantum Sacramentum pertinent, sarta tecta, rejectis *absolutis* Scholasticorum *accidentibus*, esse non posse. Demum si, ut ex doctissimo Muratorio alibi etiam diximus, *neque temeritas est, neque crimen perniciosum, id negare, quod a sacris Auctoribus affirmari, manifeste non constat* (b) temeritas sane non erit, neque perniciosum crimen, eam negare doctrinam, sententiamque respuere, quam Pastores Ecclesiæ, in generali Oecumenica Synodo congregati, affirmare ex industria noluerunt. Itaque, velit nolit, alterutrum fateri debet Cl P. Ferrari, aut scilicet neque *falsam*, neque *temerariam*, neque *erroneam*, neque *hæreticam*, neque *sapientem hæresim* esse opinionem negantem *accidentia absoluta*; aut nimis incaute ab se fuisse scriptum, *Concilium Tridentinum abstinuisse ex industria a voce* accidentis, *ne philosophicam Peripaticorum sententiam expresse definiret*.

(a) Ibidem *pag.* 195.
(b) Lib.I. *de moramine ingeniorum* cap.21.

Tertio: cum, ipsosmet etiam Scholasticos si audiamus, nequeant *accidentia absoluta* immediate a nobis percipi in corporibus, sed tantum mediate, scilicet, ut ipsi ajunt, per *species*, nimis profecto improprie, & valde obscure in re gravissima loquuti fuissent Patres Tridentini, si *absoluta accidentia* nomine *specierum* panis, & vini intellexissent; præsertim cum nullibi fideles monuerint de sensu, quo & sumta ab ipsis fuerit *specierum* vox, & vellent, ut illa ab omnibus in hac materia intelligeretur.

Dices, hujusce vocabuli obscuritatem ambiguitatemque non latuisse quidem Tridentini Concilii Patres; eos tamen maluisse, *specierum* potius, quam *accidentium* nomen adhibere, ut modo loquendi, quo S. S. Patres, agentes de hoc Sacramento, usi sunt, sese accommodarent.

Verum contra est. Nam non inficior, potuisse Tridentinos Patres, *specierum* potius, quam *accidentium* vocabulum in hoc Sacramento explicando adhibere, etiam si placet, ut modo loquendi a S. S. Patribus in hac materia usurpato sese accommodarent. Contendo solum, eos minime prætermittere debuisse, quominus monerent fideles de sensu, quo vellent, illud vocabulum ab omnibus sumi, si nempe sine piaculo nemini licere arbitrarentur, *Eucharisticas* panis, vinique *species* aliter, quam per *accidentia absoluta*, explicare. Quippe, ut etiam paulo antea diximus ex Decreto, *error, cui non resistitur, approbatur*.

Respondet P. Ferrari, *accidentia esse species substantiæ, & sensibilia dici, tum quia per sese percipi queunt; tum quia illorum substantia redditur sensibilis* (a).

Sed contra. Licet enim concedatur Cl. Adversario, *absoluta accidentia* posse *species* nuncupari; nostri tamen argumenti vis non idcirco infringitur. Quippe, cum *speciei* vocabulum tunc sit apprime ambiguum, stat, quod contendimus, videlicet Tridentinos Patres vel palam facere, alicubi saltem, debuisse, *absoluta accidentia* ab se nomine *specierum* intelligi, & ab omnibus intelligi oportere, si persuasum illis fuisset, hunc intellectum ad fidem, & veritatem Eucharistiæ necessario pertinere; vel pro comperto eos habuisse, perinde omnino esse ad fidem de tanto Sacramento, quomodocunque illæ *species* a Theologis explicentur, dummodo tamen ratum omnibus fixumque sit, nihil prorsus substantiæ panis, & vini in Eucharistia remanere.

Opta-

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. in solutione 8. *objectionis*, ad quartum, & quintum *pag.* 217.

Optarem porro, nitide explicaret Vir Cl., quid intelligat, cum ait, *accidentia* per ſeſe *percipi poſſe*? Vel enim ly *per ſeſe* ſignificat, illa poſse a nobis percipi *immediate*, ſive independenter ab iis *qualitatibus*, quas ipſi etiam Scholaſtici *ſpecies* appellant; vel ly *per ſeſe* exprimit, *abſoluta* dumtaxat *accidentia* emittere poſse *ſpecies*, per quas deinde a nobis percipiantur. Si primum: non ſolum adverſatur veritati, & communi etiam Scholaſticorum doctrinæ, ſed neque ſibi tunc conſentit. Res quippe ſenſibiles a nobis ſentiri per *ſpecies*, quas illæ emittunt, communis Scholaſticorum ſententia eſt, & ex *Dioptrica*, & *Catoptrica*, loquendo de rebus, quæ viſu percipiuntur, apertiſſime conſtat. Ipſe quoque P. Ferrari pluribus in locis ſuæ Philoſophiæ *ſpecies* hujuſmodi non memorat tantum, ſed etiam manifeſte admittit. Sin alterum velit: negare non amplius poteſt Vir Cl., nomen *ſpecierum* eſse valde ambiguum, ac nonniſi improprie ad *abſoluta accidentia* ſignificanda aſsumi poſse; neque a Patribus Tridentinis aſsumi potuiſse, niſi de hac acceptione certos nos reddederent, ne ſcilicet in errorem, vocabuli ambiguitate decepti, laberemur.

Poſtrema demum ratio, quæ me movet, ut putem, *ſpeciei* nomen ſumtum non fuiſse a Patribus Tridentinis, quatenus *abſolutum accidens* deſignat, ex eo deſumitur, quod illi non *ſpeciem*, ſed *ſpecies* in Euchariſtia remanere dixerint. Sequitur enim hinc, vel non adverſari Tridentino Concilio, qui omnia *abſoluta accidentia* rejiciunt; vel eos etiam illi refragari, qui ſolam *quantitatem* habent pro *accidente abſoluto*, ex eaque una, mechanice modificata, *ſenſibiles* corporis *qualitates*, ut alibi innuimus (§.53.), oriri putant. Cum enim, hac ſententia admiſſa, non omnes panis, vinique *ſpecies*, ſed una tantum, ſcilicet rerum illarum *quantitas*, ſit *accidens abſolutum*, quamvis Concilium Tridentinum non unam dumtaxat, ſed plures manere dicat, videtur profecto, vel etiam hanc opinionem contrariam eſſe Concilio Tridentino, vel neque ſententiam Recentiorum illi refragari. Nam qua ratione aliquæ *ſpecies*, quin Concilii auctoritati derogetur, non ſunt *accidentia abſoluta*; eadem prorſus ratione videtur, nullam penitus earundem *ſpecierum*, ſalva quæ eidem Concilio debetur reverentia, pro *abſoluto accidente* haberi poſſe.

Reſpondet P. Ferrari, *litem in voce conſtitui*, quod, inquit, *ridiculum eſt. Sed & Concilium* (pergit ille) *ait, manentibus ſpeciebus panis, & vini; unde ſi plurali utitur numero*, plures *appellat* ſubſtantias *prius exiſtentes, quibus & plures numero ſpecies reſpondent. Ceterum, qui ſolam quantitatem ajunt permanere, hi diſtinctas numero quantitates admit-*

mittunt; & cum fateantur, remanere species prius extantes, & doceant, accidentia esse sine subjecto, ideo sacrarum definitionum sententiam tenere videntur (a).

Sed contra arguitur; & *primo* mirandum est, ridiculum dici a Viro Cl., quod lis *de nomine* in hac controversia instituatur. Ignorare quippe ille nequaquam debet, non aliam hic quæstionem haberi, nisi de voce, nempe de significatione vocabuli *specierum*, quo in hoc mysterio explicando usi sunt Patres Tridentini. Nescio itaque, an risu excipi debeant Recentiores, arbitrantes, *specierum* vocabulum sumtum fuisse ab Tridentinis Patribus in vero proprioque sensu; num vero ii potius tanto honore digni sint, qui improprie illud sumtum volunt, putantque, ne tunc quidem licere, *de voce* litem institui, cum non *de re*, sed *de sensu*, quo vox aliqua intelligenda sit, & intellecta a Viris doctissimis fuerit, disceptatur.

Secundo: nulla prorsus ea ratio est, propter quam censet P. Ferrari, Tridentinos Patres, loquentes de *speciebus Eucharisticis*, pluralem numerum adhibuisse: videlicet hujus fuisse causam, quia plures extiterant substantiæ, panis nimirum, & vini, *quibus plures numero species respondent*. Hac enim ratione admissa, causam reddat oportet Vir Cl., quamobrem iidem ipsi Patres dixerint aliquando (b), non sub *speciebus* panis, & vini, sed *sub panis, & vini specie* Christum Dominum in Eucharistia contineri. Fortene illorum sententia tunc fuit, *unum* dumtaxat numero *accidens absolutum* extitisse ante consecrationem in duplici subjecto, nimirum in pane, & vino, & post consecrationem sine subjecto remanere? Non ita certe de tantis Viris opinabitur, ut puto, P. Ferrari. Ergo non ideo Concilium Tridentinum, loquens de *speciebus Eucharisticis*, plurali numero utitur, quia plures fuerint substantiæ, *quibus plures numero species respondent*.

Quod vero ad eos attinet, qui in Eucharistia *solam quantitatem ajunt permanere*, vellem ille ostenderet, quomodo *sacrarum definitionum sententiam* hi, ut ipse ait, *tenere videantur*. Nescio enim, quomodo hæc opinio Concilio Constantiensi consona sit, si secunda Viclefi propositio: *accidentia panis, & vini non manent in Eucharistia sine subjecto*, proscripta in illo fuerit, non quia panis, vinique substantiam *permanere connotat*, ut arbitrantur Recentiores, & ipse negat; sed quia *absolutorum accidentium* existentiam inficiatur, adeo nimirum ut, quemadmodum ipse contendit, *per damnationem illius secundæ propositionis* declaraverint Constantienses Patres, *accidentia realia*

(a) Loco citato pag. 217. ad tertium.
(b) Sess. XIII. cap. 3. *de Eucharistia*.

lia manere in Sacramento altaris sine subjecto receptionis (a). Cum enim, qui solam *quantitatem* corporis habent pro *accidente absoluto*, dicant, omnes *sensibiles* ipsius corporis *affectiones* in illa vere & proprie recipi; dicant quoque iidem ipsi necesse est, *qualitates* corporum *sensibiles*, adeoque panis, vinique *accidentia*, sine subjecto in Eucharistia nequaquam existere. Respondebit Vir Cl., de *substantiali* tantum *subjecto* intelligendum esse Concilium, hoc est, proscriptam ab illo fuisse secundam Viclefi propositionem, quia affirmat, in Eucharistia manere *subjectum* non qualecunque, sed *substantiale*. Verum si in proscribenda secunda Viclefi propositione Concilii mens fuerit, non desitionem substantiæ panis, utpote in censura primæ propositionis jam definitam, sed remanentiam *accidentium* sine *subjecto receptionis*, ut ille contendit, determinare, me plane fugit, quomodo de solo *subjecto substantiali* intelligi illa definitio possit. Indefinite enim loquitur Concilium tam de *accidentibus*, quam de *subjecto*; utque docet Cl. P. Suarez, *in locutionibus Conciliorum, quæ doctrinales sunt, indefinita æquivalet universali* (b).

Si autem a me quærat Vir Cl., quidnam, rejectis *absolutis accidentibus*, intellexerint Patres Tridentini *specierum* nomine: dicam, non aliud, nisi *externam* panis *sensibilitatem*, sive *apparentiam*, quomodocunque demum illa explicetur. Id quippe definire noluerunt, tum quia persuasum ipsis erat, illud ad fidem non pertinere; tum ne cui Philosophorum sectæ (nec enim eos latebat, quantum in explicanda physica *sensibilium qualitatum* natura Philosophi discreparent) patrocinari viderentur. Hinc Cl. Auctor *de re sacramentaria* dico, inquit, *hoc canone* (nempe secundo Sess. XIII. Concilii Tridentini de Eucharistia) *definiri I. totam panis, vinique substantiam converti in corpus, & sanguinem Christi. II. solas præcedentium elementorum species remanere. An vero* absolutæ, *&* materiales *sint* entitates; *an* solæ apparentiæ *panis, & vini, sensus nostros pari ac antehac modo afficientes, hoc, quoniam mere philosophicum, & ad dogma* transubstantiationis *minime pertinens, Tridentini Patres non attigerunt* (c).

Hujus cautelæ in rebus fidei definiendis, cum aliquid in illis occurrit, de quo non convenit inter Philosophos, ex Ephesino Concilio præclarum exemplum habemus. Definitum in illo fuit contra Nestorium, unionem humanitatis cum Verbo factam fuisse in humana natura, non in illius persona; & ideo humanitatem sine propria

pria

(a) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. 1. *pag.* 198.

(b) Disp. LVI. in 3. par. S. Thomę *sect.* 1.

(c) Tom. I. lib. IV. q. 6. sect. I. cap. 4. §. 2. in responsione *ad instantiam* 9.

pria *personalitate* in Christo existere, hancque propterea *realiter* ab illa distingui. An vero *personalitas* creata *positivum* aliquid sit, ut plerique volunt, num vero simplex *negatio*, ut aliis placet, non determinaverunt Patres, quod compertum illis fuerit, controversiam hanc ad Philosophos pertinere, perindeque esse ad fidem de *dualitate* naturæ, & *unitate* personæ in Christo, quomodocunque creata *personalitas* a Philosophis explicetur. Ita ergo factum puto etiam in Concilio Tridentino, cum de Eucharistia res fuit. Definierunt Tridentini Patres, quæ erant de necessitate fidei, nimirum I. *corpus*, & *sanguinem Christi non ut in signo, & figura, sed vere, realiter, & substantialiter in Eucharistia contineri*. II. *veram & realem fieri conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat illarum rerum* speciebus, *sub quibus Christus in hoc sacramento existit*. Quid vero physice sint illæ *species*, & quomodo maneant, non manente panis, vinique substantia, Scholasticorum disputationi reliquerunt, ratum fixumque habentes Viri illi doctissimi, divinam veritatem arbitrariis hominum opinionibus ad sui defensionem non indigere. Mihi proinde persuasum est, decipi eos omnes, qui putant, sententiam sive Peripateticorum, sive Recentiorum certo evidenterque posse ex Concilio Tridentino vel evinci, vel oppugnari.

Verum instat *primo* Cl. P. Ferrari. *Vel enim, inquit, corpus Christi continetur sub* speciebus, *ut* sensatis, *vel sub* speciebus, *ut* sensibilibus. *Si primum dicant Recentiores: ergo corpus Christi sub titillationibus, motionibusque nostrorum sensuum continetur, atque sub ideis nostris: quod a fide prorsus alienum est, & veritatem nullatenus obtinet, dum Sacramentum in pixide clausum asservatur. Si secundum Recentiores affirment: ergo corpus Christi dicitur contineri sub potentia causandi sensationes; quippe* species, *ut* sensibiles, *non aliud sunt, nisi id, quod potest movere sensus nostros, seu sensationes causare. Sed quæso, quid est ista potentia, sub qua corpus Christi dicitur contineri, nisi vel intrinseca virtus Deitatis, vel potestas corporis Christi, aut vis movendi, vel motus ipse, aut decretum Dei? Igitur Christi corpus aut sub virtute continetur Deitatis, vel sub sibimet propria potestate, aut sub vi se movendi sibi propria, vel sub suo motu, vel denique sub decreto Dei. Porro nemo dicitur contineri sub seipso; Deitas autem & ipsa continetur sub speciebus, una cum Christi corpore. Non ergo sub Deitatis virtute, vel sub propria potestate, ac vi continetur tunc Christi corpus. At neque sub proprio motu, tum quod Christi corpus in Sacramento non operatur actiones loco motivas, ac naturales, tum quod*

mo-

motus ille, qui proprius erat pani, nullatenus Christi corpori proprius est. Decretum vero Dei nequaquam sufficit, ut Concilii sententia subsistat, nec sub Dei decreto quidpiam vero, ac proprio sensu dicitur contineri (a).

Respondeo, & dico *primo*, Corpus Christi non contineri in Eucharistia sub *speciebus*, neque ut *sensibilibus*, neque ut *sensatis*, si *contineri sub speciebus* ita intelligatur, ut sit sensus, Corpus Christi esse in Eucharistia *sub* aliena *entitate*, ab eaque perinde comprehendi, ac corpus humanum sub veste, qua tegitur & aqua in vase, quo undique continetur. Non alio siquidem sensu dicimus, Corpus Christi Domini *contineri* in Eucharistia *sub speciebus panis*, nisi quatenus Corpus illud sanctissimum ita in hoc Sacramento existit, ut a pane, qui ante consecrationem ibi habebatur, & post consecrationem non amplius ibi est, discerni sensuum ministerio, nullatenus a nobis possit. Non aliud certe significat, Christum apparuisse Magdalenæ *sub specie hortulani*, & discipulis euntibus in Emmaus *sub specie peregrini*; neque aliud Theologi intelligunt, cum, Christum quandoque visum fuisse, ajunt, in Eucharistia a quibusdam piis, sanctisque Viris *sub speciebus pueri*, *vivæ carnis*, aut *sanguinis*, nisi Christum ita sese illis tunc exhibuisse, perinde prorsus ac si ab *hortulano*, a *peregrino*, a *puero*, a *viva carne*, a *sanguine* reapse non distingueretur. Nullæ ergo sunt illæ loquutiones: *sub titillationibus*, *sub motionibus sensuum*, *sub potentia causandi sensationes*, *sub virtute Deitatis*, *sub propria potestate*, *sub vi sese movendi*, *sub suo motu*, & *sub decreto Dei* Corpus Domini, quatenus in Eucharistia existit, *contineri*, quæ prima facie absurdum præ se ferre, & molestiam incautis facile creare posse videntur. Nullæ, inquam, illæ sunt; quia loco particulæ *sub*, & verbi *contineri*, in quibus tota illarum vis consistit, adhiberi verissime potest verbum *apparere*. Unde miror, Cl. P. Ferrari, qui, ubi agebatur de sensu, quo sumtum fuerit a Concilio Tridentino vocabulum *specierum*, ridiculum censuit (b), *litem in voce constituere*, nunc in vocabulis *sub*, & *contineri* tantam vim spemque collocet, ut ex illis unis conetur ostendere, *falsa omnino*, *commentitia*, & *absurda* esse *interpretamenta*, quibus hactenus relata venerabilia Tridentini Concilii decreta a Recentioribus explicantur.

Dico *secundo*, divisionem *specierum* in *sensibiles*, & *sensatas* concedi non posse Viro Cl., nisi nitide exposuerit, quid nomine *specierum sensibilium*, ut a *sensatis* distinguuntur, ipse intelligat. Si namque

(a) Tom. II. P. I. *Physice* Disp. IV. q. 1. pag. 206.

(b) Loco citato pag. 217. *ad tertium*.

que *sensibilium specierum* nomine significare velit *entitates* quasdam *absolutas*, quæ inhæreant substantiæ corporeæ, ipsamque reddant *formaliter* sensibilem, veniam dabit Cl. Auctor, si dixerim, tunc ab eo principium peti; neque moleste feret, si huiuscemodi *species*, adeoque & quam assumit *specierum* divisionem, ipse negaverim. Velim quoque animadvertat, *species* panis, & vini, sub quibus Christus Dominus in Eucharistia contineri dicitur, non *species sensibiles*, sed *species rerum sensibilium* a Tridentino Concilio nuncupari.

Dico *tertio*, Corpus Christi Domini contineri sub titillationibus, motionibusque nostrorum sensuum idem non esse, ac illud contineri sub ideis nostris. Externorum quippe sensuum motiones non sunt ideæ, nisi lis fiat de nomine: quod, ipsomet teste P. Ferrari, est ridiculum. Dici etiam potest sine piaculo, Corpus Christi Domini sub titillationibus, motionibusque nostrorum sensuum in Eucharistia contineri. Ecclesia quippe nullibi contrarium definivit, & S. Thomas docuit, ut visum est (§. 114.), Christum apparuisse in hoc Sacramento sub *speciebus* carnis, sanguinis, & pueri, quatenus *intuentium oculi* immutabantur *tali immutatione, ac si expresse viderent exterius carnem, vel sanguinem, vel puerum*: quod est, ut patet, sub titillationibus, motionibusque nostrorum sensuum contineri. Christum porro non existere sub titillationibus, & motionibus nostrorum sensuum, *dum Sacramentum in pixide clausum asservatur*, verissimum est, neque contrarium docent Recentiores. Sed quomodo etiam tunc Christus Dominus dici possit *sub speciebus* panis existere, sive sub illis, ut placet Cl. Adversario, contineri, suo loco explicavimus (§. 143.)

Instat *secundo* Vir Cl.: *species remanere, ut* sensibiles, *est remanere solummodo virtutem effectivam motionum. Causa porro non est aliquid effectus, & effectum existere in sua causa, est effectum ipsum revera secundum se non existere. Ergo nihil omnino remanet, nisi corpus Christi cum sua virtute. Neque ex illius existentia possunt, absolute loquendo, existentes appellari species; alioquin absolute prolata hæc propositio*: creatura fuit ab æterno, *vera esset, quia ab æterno existebat Deus valens producere creaturam. Iam si res ita se habet, ite, o Recentiores, & hyemali tempore pulcherrima colligite poma, rosasque fragrantes! Remanent enim hæc omnia actualiter, & existunt; nam arbor actualiter manet, & rosetum, ac virtus effectrix* (a)

℞. *neg. majorem*. Non enim manere dicuntur a Recentioribus *species* panis in Eucharistia, quia solum manet, absolute loquendo,

(a) Loco citato pag. 206.

do, virtus effectiva motionum in sensoriis; sed quia habita ratione tum spatii, cui Corpus Christi realiter præsens in ea est, tum modi, quo in circumambientia externa corpora Christus ex illo loco reipsa operatur, corpus illud sanctissimum nullatenus a pane distinguitur (§. 129.). Quod si nulla tunc motio in sensoriis nostris fiat, ut contingit, dum Eucharistia in clausa pixide continetur, hoc non ideo est, quia nulla tunc in pixide sit actio propria panis, sed nuda tantum potentia operandi instar panis; verum quia pixidis latera impediunt, ne illa actio ad nos perveniat, quemadmodum, etiam positis *accidentibus absolutis*, ipsa eadem latera non sinunt, ut sensus nostri ab illis immutentur. Hinc nulla sunt, quæ, Recentiores deridendo, & forte non sine legentium stomacho, subiicit Vir Cl., de creatura possibili, de pomis, rosisque hyberno tempore, Recentiorum, quam hactenus exposuimus, admissa doctrina, ut ille ait, colligendis. Latissimum quippe discrimen est, tantum scilicet, ut mirandum videatur, Cl. Adversarium illud latuisse. Hyberno siquidem tempore nulla habetur actio rosarum, pomorumque productiva, sed mera tantum potentia; neque sufficit externorum impedimentorum remotio, ut illa corpora re habeantur, quemadmodum ex adverso sola sufficit clausæ pixidis reseratio, ut Christus Dominus instar panis nobis in illa appareat.

Urget tertio, *neminem unquam Veterum docuisse, obiectum illud, circa quod res versatur, esse itidem illius subiectum, in quo sit. Alioquin enim rite dici posset, ideas nostras esse in Deo, & respicere Deum pro suo subiecto, in quo sint, quia nos ducunt in cognitionem Dei. Gratuita igitur omnino est, atque ad libitum prorsus efficta doctrina illa Recentiorum, qua dicunt, species ante consecrationem esse in pane, quia nos ducunt ad cognitionem panis; & e converso permanere species sine subiecto post consecrationem, quia non permanet panis, quem significant. A ratione igitur* (concludit ille) *aliena prorsus est illa indistincta acceptio obiecti* circa quod, *& subiecti* in quo: *quæ nec ab ullo unquam tradita fuit, nec aliis exemplis suaderi potest ac illustrari. Multo minus asseverare possunt Recentiores, hoc sensu loquutos fuisse Tridentinos Patres. Sed placet Recentioribus decreta fidei philosophicis metiri, & accommodare opinionibus suis; cum e contra ipsamet fidei decreta lex sint, & regula, per quam nostræ assertiones dirigi debeant; cum verissimum sit celebre illud effatum* : Applicandus est lapis amussi, non ad lapidem amussis (a).

℞., falsum esse, neminem Veterum docuisse, *obiectum illud, circa*

(a) Loco citato *pag.* 207. contra tertio.

ca quod res versatur, esse itidem illius subiectum, in quo sit. Id enim ii omnes docuerunt, docent & docere debent, quibus persuasum est, corpus organicum esse subiectum animæ, & ab anima cognosci posse. Si namque anima est in corpore, & circa illud potest ipsa cogitando versari, stat profecto, *obiectum*, circa quod res vesatur, esse itidem *subiectum*, in quo ipsa recipitur. Neque hinc sequitur, ut ait P. Ferrari, tunc *rite dici posse, ideas nostras esse in Deo, & respicere Deum pro suo subiecto, in quo sint, quia nos ducunt in cognitionem Dei.* Neminem quippe fugit, posse aliquid esse *subjectum*, in quo res recipitur, & simul *obiectum*, circa quod illa versatur, quin sequatur propterea, nihil prorsus habere posse rationem obiecti *circa quod*, quin etiam subiecti *in quo* illud ipsum rationem habeat. Falsum est etiam, nihil eorum, quæ in alterius rei cognitionem nos ducunt, posse in ipsa re vere & proprie recipi. Constat enim, *accidentia* vere, & proprie in substantia existere, simulque esse medium, quo illa a nobis cognoscitur. *Accidentia*, inquit Aristoteles, *magnam afferunt opem ad quid rei percipiendum. Nam cum per imaginationem de accidentibus aut omnibus, aut pluribus rationem reddere possumus, tum aliquid etiam de substantia dicere poterimus optime* (a); cui consentiens Toletus ait: *per accidentia, & effectus cognosci substantiam, fatentur omnes* (b). Fallitur ergo P. Ferrari putans, *a ratione alienam prorsus esse indistinctam acceptionem obiecti circa quod, & subiecti in quo; sicuti etiam, illam nec ab ullo unquam traditam fuisse, nec aliis exemplis suaderi posse, ac illustrari.* Falsum quoque est, Recentiores docere, *species ante consecrationem esse in pane, quia nos ducunt ad cognitionem panis.* Docent quidem, panem dici posse subiectum *specierum*, sumto *subiecto* non pro eo, in quo *forma* recipitur, sed pro eo, quod *species* nobis repræsentant; sed numquam dixere, *species* illas esse in pane, hoc est, in pane recipi. Ne cui porro imponat Vir Cl., dum ait, *placere Recentioribus, decreta fidei philosophicis metiri, & accommodare opinionibus suis*, moneo, dici quidem a Tridentinis Patribus, agentibus hac de re (c), *species dumtaxat manere* post consecrationem; sed nullibi ab illis tradi, *manere species sine subiecto*; unde necesse non est, ostendant Recentiores, *subiectum* sumtum fuisse a Patribus Tridentinis non pro eo, in quo *forma* recipitur, sed pro eo, quod per *species* nobis exhibetur, ut hinc scilicet cuique constet, humana ratione eos non metiri divinas res, neque opinionibus suis accommodare decreta fidei, quamvis persuadere sibi nequeant, *veri-*

tem

(a) Lib. I. *de anima* tex. 11.
(b) Quæst. VI. in cap. 1. lib. I. *de anima*
(c) Sess. XIII. can. 2. *de Eucharistia*

tem Eucharistiæ, nisi absoluta accidentia admittantur, defendi non posse (a)

Quæ demum opponit Vir Cl. desumta tum ex ratione *Sacramenti*, quæ salva esse debet in Eucharistia, etiam dum clausa pixide continetur; tum ex notione *conversionis*; tum demum ex *sacramentalium specierum fractione*, earumque *partibus*, quæ a Patribus, & a Conciliis memorantur, suis *respective* locis soluta sunt, neque interest, cur ea repetamus.

Sunt postremo, qui putant, ab se evinci, Tridentinos Patres non meram *apparentiam* panis, sed *absoluta* Scholasticorum *accidentia* nomine *specierum* intellexisse, ex hoc quod dixerint, panis, vinique *species* in Eucharistia non tantum *manere*, sed *remanere*. Hoc argumento usus est P. Picinardus. *Remanere enim*, inquit, *non solum est aliquid adesse, sed aliquid, quod & antea erat, idem numero perdurare ac persistere. Sed apparitiones istæ accidentium, quæ ex parte obiecti in se vere & proprie accidentia non sint, licet de novo adessent in Eucharistia, non tamen essent aliquid, quod ante in pane fuisset, & idem numero in Eucharistia perduraret ac persisteret. Ergo de istis apparitionibus accidentium, quæ ex parte obiecti in se vere & proprie accidentia non essent, verificari nequeunt ea verba Concilii*: REMANENTIBUS DUMTAXAT SPECIEBUS (b). Ita quoque P. Amort. Præmisso namque, ac veluti certo assumto, Concilium Lateranense, & Tridentinum dixisse, *remanere dumtaxat species panis, & vini*, infert, *species* esse *accidentia*; cum sint *id*, *quod remanet*, & *nihil* dicatur *remanere*, *quod prius non fuit* (c). Ita demum etiam Cl. P. Ferrari. Postquam enim dixit, *manere accidentia panis*, *ut subsistat conversionis notio*, ex eo colligit, *accidentia ista realia esse*, *ac prius fuisse in substantia panis*, *quia non dicitur* manere, *destructis aliis*, *nisi id*, *quod prius fuit* (d).

Sed hoc argumentum ex Grammatica desumtum facile diluitur. In primis namque falsum est, Concilium Tridentinum dixisse *species* panis non *manere* in Eucharistia, sed *remanere*. Plures quippe, quotquot nempe habere potui, illius Concilii editiones consului. Sed in nulla legi, *remanere species*, sed tantum *manere*. Secundo, quia cum Concilium indefinite loquatur de *speciebus*, adeoque, ut Scholastici contendunt, de *accidentibus*, dicendum necessario est, etiam panis *quantitatem*, utpote quæ, perinde ac reliquæ *sensibiles* cor-

(a) Auctor *de re Sacramentaria* Tom. I. lib. IV. q. 6. sect. 1. cap. 4. §. 2. *in respon*. 2. ad instantiam 6.

(b) De imputato Scholasticis studio effræni in Aristotelem cap. VII. § 2.

(c) Philos. Polling. P. IIJ. *Physicæ Generalis*. Sect. I. q. 1.

(d) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. I. pag. 202.

corporis *affectiones*, venit sub *specierum* nomine, in Eucharistia *remanere*; & ideo ipsam quoque, stando doctrinæ Concilii, esse *accidens absolutum*. Igitur vel nihil omnino hoc argumentum concludit, vel ii omnes adversantur Concilio Tridentino, qui realem distinctionem *quantitatis* a *substantia* cum Cl. Melchiore Cano, aliisque Viris doctissimis (§. 51.) aperte inficiantur. Postremo, quia non constat, Concilium Tridentinum, cum dixit, *manere dumtaxat species*, voluisse, non *apparenter* tantum, sed *vere* & *realiter* easdem numero *species*, quæ antea habebantut, etiam post consecrationem remanere. Nullus certe in toto illo Concilio locus est, ex quo id colligi possit. Et sane, cum ad dogma tam *præsentiæ realis*, quam *transubstantiationis* perinde sit omnino, sive *vere* & *realiter*, sive tantum *apparenter* eædem panis, vinique *species* in Eucharistia remaneant, non est profecto, cur illius Concilii Patres *realem* potius, quam *apparentem* earundem specierum *remanentiam* in eo dogmate definiendo non intellexerint tantum, verum etiam voluerint, ut ab omnibus intelligeretur.

III.

155. *Arguunt tertio* ex Concilio Coloniensi anno 1536., & Bituricensi anno 1584. celebrato. Hæc enim, ajunt, in Coloniensi habentur: *quid panis, vinique species aliud sunt post consecrationem, quam species sacramentales, & accidentia sine subjecto* (a)? In Bituricensi vero, inquiunt, feriri anathemate, & hæreticos censeri, qui negaverint, accidentia panis, & vini manere in Eucharistia sine subjecto. *Negantes* (illius sunt verba) *accidentia panis, & vini in sacramento Eucharistiæ sine substantia panis, & vini manere, anathemate feriantur, & hæretici censeantur* (b). Ergo *absoluta* Scholasticorum *accidentia* negari tuta fide non possunt.

℞. *neg. conseq.* Ex neutro enim illorum Conciliorum id jure colligitur. Certe non ex primo. Nam illud Concilium non fuit œcumenicum, sed provinciale; neque illud ita confirmavit, approbavitque Summus Pontifex, ut definierit, quæcumque in eo vel determinata sunt, vel exposita, ad fidem pertinere. Præterea non definiendo, sed tantum explicando, & quidem non nisi obiter, ut patet, in eo dicitur, panis, vinique *species* esse *accidentia sine subjecto*. Certum est autem ex doctissimo Melchiore Cano, *quæ in Conciliorum, vel Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur vel ut objectio-*

(a) P. VII. cap. 15.

(b) Tit. XXII. *can.* 3.

objectioni respondeatur, vel etiam obiter, & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controversia, ea non pertinere ad fidem, hoc est, non esse catholicæ fidei judicia (a). Notandum quoque, attentoque animo considerandum est, Coloniensis Concilii Patres non dixisse, *species* panis, & vini esse *accidentia absoluta*, neque sine *subiecto inhæsionis* illas in hoc Sacramento existere; sed indefinite eas esse *accidentia sine subiecto*. Hoc alterum autem non negant Recentiores, licet inficientur primum. Fatentur enim, *species Eucharisticas* esse *accidens*, easque existere in Eucharistia sine *subiecto*, nempe sine *substantia* panis, & vini, quam naturaliter repræsentant, & sine qua viribus naturæ manere non possunt. Ergo &c.

Nihil quoque sequitur ex Concilio Bituricensi, quod Recentiorum opinioni officiat. Illud quippe non damnat, neque tamquam hæreticos ferit anathemate, qui *absoluta* Scholæ *accidentia* non admittunt; sed qui panis, vinique substantiam cum Lutheranis, ceterisque sectariis in hoc Sacramento manere arbitrantur. Perinde siquidem fuit, illius judicio, negare in Eucharistia remanentiam *accidentium* sine substantia panis, & vini, ac affirmare, ipsam panis, vinique substantiam in ipso Sacramento remanere.

Concedo propterea Cl. P. Ferrari, Concilium Bituricense *damnare* hoc canone *hæresim Lutheranorum*; sed nego, quod una simul infert, nempe iisdem verbis *adstrui sententiam Pripateticam* (b) sive existentiam *accidentium absolutorum*. Hæc enim si fuisset mens illius Concilii, non minus affirmantes manere in Eucharistia substantiam panis, quam negantes *accidentia absoluta*, percussi essent *anathemate*, & tanquam *hæretici* a nobis essent habendi: quod non dabit Cl. ille Auctor, tum ne eximiis iis Theologis, qui, ut vidimus, contrarium asserunt, tantam injuriam faciat; tum ne sibi apertissime contradicat; dixerat enim in ipso quæstionis limine, *Recentiorum opinionem ut hæreticam damnari non posse* (c); ergo, eius judicio, hæretici censendi non sunt, neque anathemate a Bituricensi Concilio percussi fuere, imo nec percuti possunt, qui sententiam Peripateticam non admittunt. Præterea cum dixerit idem Vir Cl. (d), *prudentis esse Peripatetici, optime animadvertere*, Recentiorum *opinionem ut hæreticam damnari non posse*, dicat oportet, Bituricense Concilium vel non damnasse negantes *accidentia absoluta*; vel, eos proscribendo, imprudenter egisse. Itaque jurene, an injuria

(a) Lib. V. *de locis Theol.* cap. 5.
(b) Tom. II. P. I. *Physicæ* Disp. IV. q. I. pag. 208.
(c) Ibidem pag. 194.
(d) Jbidem.

juria proruperit Vir Cl. in ea verba: *valeant species illæ intentionales, & nova Recentiorum commenta* (a), aliorum esto judicium.

I V.

156. *Arguunt quarto* ex Innocentio III. Is enim quæsitus a Joanne Bellemensi, primum Lugduni Archiepiscopo, tum, infulis depositis, Monaco Cisterciensi, utrum aqua, quæ calici miscetur, in Christi sanguinem una simul cum vino, vi consecrationis, convertatur, respondit, dici posse, *quod aqua non transit in sanguinem, sed remanet, prioris vini* accidentibus *circumfusa*; idque, ait, ex eo convinci, *quia si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, illud quidem non transit in sanguinem, nec sanguini commiscetur; sed* accidentibus *prioris vini commixtum, corpori, quod sub eis latet, undique circumfunditur, non madidans circumfusum; ipsa tamen* accidentia *vinum appositum videntur afficere; quia si aqua fuerit apposita, vini saporem assumit. Unde concludit, tunc contingere*, ut accidentia *mutent subiectum, sicuti & subiectum contingit* accidentia *permutare* (b). Igitur Innocentius III. non solum pro comperta habuit existentiam *accidentium absolutorum*, sed illis præterea usus est ad plura explicanda, quæ ad Eucharistiam pertinent. Ergo *absoluta* Scholasticorum *accidentia* negari non possunt, quin Pontificiæ auctoritati refregemur.

℞. *concesso ante*, & quod primo ex illo infertur, scilicet Innocentium III. *absoluta accidentia* admisisse, ita distinguo, quod secundo ex eodem principio colligitur: negari non possunt *accidentia absoluta*, quin refragemur Pontificiæ auctoritati in iis, in quibus Viro catholico illi refragari non licet, *nego conseq*; quin refragemur Pontificiæ auctoritati in iis, in quibus licet sine piaculo ab illa recededere, *concedo conseq*. Fateor itaque, Innocentium III. stetisse pro *accidentibus absolutis*, eorumque existentiam pro comperta habuisse. Simul tamen opinor, id non sufficere, ne quis, tuta fide, & salva quæ Pontificiæ auctoritati jure debetur reverentia, sentire contrarium possit. Ut enim ex Cl. Melchiore Cano paulo antea etiam diximus, *quæ in Conciliorum, vel Pontificum decretis vel explicandi gratia inducuntur, vel ut obiectioni respondeatur, vel etiam obiter, & in transcursu præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controtro-*

(a) Loco citato pag. 208.
(b) Lib. III. *Decretalium* tit. XLI. de celeb. Missarum cap. *cum Marthæ*.

troversia, ea non pertinent ad fidem, hoc est, non sunt catholicæ fidei judicia (a); sed tunc solum ea sunt hujusmodi, cum, ut ait Cl. Contensonus (b) *sub interminatione anathematis, vel sub pœnis hæreticis infligendis* credenda fidelibus proponuntur, addito etiam, *oppositum Ecclesiæ regulis, Scripturæ, & sacræ traditioni adversari*. Hoc autem modo non tradi ab Innocentio III. existentiam *accidentium absolutorum*; sed de illis ipsum loqui, tantum *explicandi gratia, obiter dumtaxat, & in transcursu, præter institutum præcipuum, de quo erat potissimum controversia*, non est, cur pluribus demonstrem. Igitur nihil prorsus ex laudatis Innocentii verbis inferri potest, propter quod, ob negata scilicet *accidentia absoluta*, juste valeat Recentiorum fides in discrimen a Scholasticis vocari.

Ad pleniorem tamen hujus argumenti solutionem non parum facit alia ejusdem Pontificis doctrina. Tradit ille, & quidem in eadem decretali, *aquam in vinum transire mixtam vino* (c); *elementum in elementa resolvi; ad compositionem humani corporis quatuor elementa concurrere, videlicet terram, aquam, aerem, & ignem; & ad vegetationem ejusdem corporis quatuor humores illis consimiles convenire, videlicet sanguinem, choleram, phlegma, & melancholiam* (d). Jam vero ne ipsi quidem Scholastici dicent, ut mihi persuadeo, dignum esse censura, qui negaverit, aquam vino mixtam in illud *substantialiter* mutari; unum elementum in aliud posse converti; ad compositionem humani corporis quatuor vulgo nota elementa pertinere, & quatuor illis consimiles humores ad ejusdem vegetationem convenire. Ergo etiam Recentiores possunt sine piaculo *absoluta accidentia*, licet ab Innocentio III. admissa, inficiari.

Ceterum, quoniam ex Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis potissimum argumentum desumunt Scholastici, quo sacram facere nituntur suam de *accidentibus absolutis* doctrinam, factu optimum censui, eas notas hic paucis subiicere, quibus ex laudato Cl. Melchiore Cano decreta ad fidem pertinentia ab iis, quæ ad illam nequaquam attinent, internoscuntur. Prima nota est: *si contrarium asserentes pro hæreticis judicentur*. Secunda: cum in hanc formam Synodus decreta præscribit: *si quis hoc, aut illud senserit, anathema sit*. Tertia: cum hac etiam utitur forma: *si quis contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, seu etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat*. Postrema: *si quicquam* ex-

(a) Lib. V. *de locis Theologicis* cap. 5.
(b) Tom. I. *Theol. mentis, & cordis* lib. II. *Dissert. præamb.* cap. 2. coroll. 1.
(c) Loco citato.
(d) Ibidem cap. *In quadam nostra*.

expresse & proprie a fidelibus firmiter credendum, *aut tamquam dogma fidei catholicæ accipiendum dicatur*, *vel aliis similibus verbis aliquid esse Evangelio*, *doctrinæve Apostolorum contrarium*. *Dicatur*, inquit Vir doctissimus, *non ex opinione*, *sed certo & firmo decreto* (a). Nisi ergo demonstraverint Scholastici, uno, vel altero horum modorum tradi, nobisque ab Ecclesia proponi doctrinam de *accidentibus absolutis*, certissime sibi persuadeant, Recentiores perpetuo dicturos, eam esse non Ecclesiæ, sed Scholæ doctrinam.

V.

157. *Arguunt quinto* ex Catechismo Romano. Docet, inquiunt, Catechismus, *Eucharisticas species* panis, & vini esse *accidentia*, quæ *supra omnem naturæ ordinem ipsa se nulla alia re nisa sustentant* (b). Hujusmodi autem illæ esse nequeunt, nisi sint *accidentia absoluta*, ut est perspicuum. Ergo ex Catechismo *species Eucharisticæ* sunt *accidentia absoluta*. Catechismi autem doctrina est doctrina Ecclesiæ. Ergo *absoluta* Scholasticorum *accidentia* negari in Eucharistia non possunt, nisi una simul negetur Ecclesiæ doctrina.

℞. *neg. majorem*. Illud enim non docet Catechismus, sed tantum, posita opinione, tunc vulgo admissa, quod *sensibilitas* panis in Eucharistia superstes ex remanentibus ejusdem panis *accidentibus* proveniat, docet, quod, hac opinione posita, verissimum est, ipsa nimirum *accidentia* sese, nulla alia re nisa, in hoc Sacramento sustentare. Patet ex alia ejusdem Catechismi doctrina. Dixerat enim paulo antea, ex reali præsentia Christi Domini, & ex desitione substantiæ panis in hoc Sacramento tertium facile colligi, videlicet, *accidentia*, *quæ aut oculis cernuntur*, *aut aliis sensibus percipiuntur*, *sine ulla alia re subjecta esse*, *mira quadam atque inexplicabili ratione*. *Ac panis quidem*, *& vini accidentia omnia licet videre*, *quæ tamen nulli substantiæ inhærent*, *sed per se ipsa constant*; *cum panis*, *& vini substantia in ipsum Domini corpus*, *& sanguinem ita mutetur*, *ut panis*, *& vini substantia omnino esse desinat* (c). Quis autem non videt, Catechismi Auctores ad *accidentium* remanentiam in hoc Sacramento demonstrandam, frustra dixisse, *ea oculis cerni*, *aut aliis sensibus percipi*, nosque *accidentia omnia panis*, *& vini videre*, si non tantum realis Christi Domini præsentia, & desitio substantiæ panis, & vini,

sed

(a) Lib. V. *de locis Theol.* cap. 5.
(b) P. II. *de Sacrament. Eucharistiæ* num. 45.
(c) Ibidem num. 26.

ſed etiam *accidentium* remanentia ad fidem pertineret?

℞. 2. *concedendo* argumentum principale, & *diſting. min. ſubſumtam*: doctrina Catechiſmi eſt doctrina Eccleſiæ, adeo nimirum ut, nullo penitus diſcrimine poſito, quidquid ſive *directe*, ſive *indirecte*, ſive *abſolute*, ſive *incidenter* tradit Catechiſmus, ſit Eccleſiæ doctrina, cui non liceat refragari, *neg. min.* Eſt doctrina Eccleſiæ, non tamen ſemper certa, ſed quandoque tantum probabilis, & cui nobis licet non aſſentiri, *concedo min.*, & *nego conſeq.* Obſervandum eſt igitur, non omnia, quæ in Catechiſmo traduntur, ſpectari debere tamquam doctrinam Eccleſiæ, adeo ut nemini licitum ſit, contrarium ſentire. I. etenim ſunt ſane plurimi, qui *phyſicam* Thomiſtarum *præmotionem* nedum non admittunt, ſed negant apertiſſime, quamvis doceat Catechiſmus, *Deum univerſa, quæ moventur, aut aliquid agunt, intima virtute ad motum atque actionem ita impellere, ut quamvis cauſarum ſecundarum efficientiam non impediat, præveniat tamen* (a). II. Doctor Subtilis, ejuſque Schola tenet, futuram fuiſſe Divini Verbi Incarnationem, etiam Adamo non peccante; & tamen, Catechiſmum ſi audiamus, *Deus ob eum finem hominem fieri* voluit, ut nos homines filii Dei renaſceremur (b). III. Docet Catechiſmus, *formam* conſecrationis calicis hiſce verbis comprehendi: *Hic eſt calix ſanguinis mei, novi, & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum* (c). Neque propterea id prohibet, quominus plerique tuta fide opinentur, priora tantum verba, ſcilicet: *Hic eſt calix ſanguinis mei*, ad conſecrationis *formam* neceſſario pertinere. IV. Loquens Catechiſmus de aqua, quæ vino miſcenda in ſacrificio eſt, docet, modicam infundi debere, idcirco quia, ut, quemadmodum nonnulli Eccleſiaſtici Scriptores, quibus ipſe adhæret, olim opinabantur, *illa in vinum convertatur* (d). Sed nullam prorſus eſſe hanc rationem, licet a Catechiſmo adoptatam, omnibus ferme Theologis perſuaſum eſt (e). Hinc Cl. Tournely, *revera*, inquit, *juxta præſcriptum Eccleſiæ ritum, paululum aquæ infundi debet, ſed non propter rationem adductam, quæ ſane nulla eſt, quidquid in contrarium affirment tum Auctores Catechiſmi Romani, tum Editores Sacerdotalis Romani, tum S. Thomas, a quibus, ſalva quæ ipſis debetur reverentia, hic recedimus* (f). V. Docet Catechiſmus, balſamum

(a) P. I. de primo *Symboli* articulo n. 22.
(b) Ibidem de tertio articulo num. 6,
(c) P. II. de ſacram. *Euchariſtiæ* num. 21.
(d) Ibidem num. 17.
(e) Vide Iuenin *Comment. de Sacramentis* Diſſert. IV. q. 2. artic. 4. §. 3., & Autorem operis *de re Sacramentaria*. Tom. I. lib. IV. q. 2. cap. 3. §. 4. num. 3.
(f) Prælect. Theol. *de ſacram. Euchariſtiæ* q. IV. artic. 8.

ad materiam sacramenti Confirmationis pertinere. Quærenti siquidem, *quæ sit sacri hujus mysterii materia*, respondet, esse id, *quod ex oleo, & balsamo, solemni Episcopi consecratione, conficitur* (a). Neque videtur dubitandum, quominus de materia *essentiali* Catechismus loquatur. Ait enim, *Ecclesiam, & Concilia id perpetuo docuisse; a S. Dionysio, & complurimis aliis gravissimis Patribus fuisse traditum*, statutumque a Fabiano Pontefice, *Apostolos chrismatis confectionem a Domino accepisse, nobisque reliquisse* (b). Sed quantum ab hac opinione de Confirmationis materia alieni sint Theologi plurimi, quantique faciant rationem, qua ad illam probandam utuntur Catechismi Auctores, ignorare nemo potest, qui Dogmaticam Theologiam vel a limine salutaverit. Unum memorasse sufficiat Theologum eximium, Auctorem scilicet sæpe laudatum *de re Sacramentaria*. Inquit ergo: *S. S. Patres Confirmationis materiam oleum simpliciter dicunt, nec balsamum meminerunt .... Insuper, si balsamum creditum a Majoribus fuerit de Sacramenti essentia esse, qui fieri potuit, ut priorum sæculorum Patres olei quidem semper, nusquam vero balsami mentionem fecerint? De illo enim altum silent Justinus martyr, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Cyrillus Hierosolymitanus, Innocentius I., Augustinus, & alii* (c). Notum est etiam, maxime dubitari ab Eruditis, num vere S. Dionysii Areopagitæ sint opera, quæ sub illius nomine circumferuntur, quæque Catechismi Auctores veluti genuina habere videntur, & pro sua opinione in margine laudant. Demum, ut alia prætermittam, docet VI. Catechismus, *contritionem*, qua peccata deleantur, *adeo vehementem, acrem, & intensam esse oportere, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari conferrique possit* (d). At vero contrarium tenent quamplures Theologi, quos inter Cl. Tournely, a quo etiam dicitur, tantam non esse Romani Catechismi auctoritatem, *ut in rebus inter Theologos, salva fide, controversis necesse sit ad sententiam Auctorum illius accedere*, propterea nimirum *quia multa illi docent, quæ bene multis non probantur Theologis*, v. g., *aquam calicis Eucharistici prius converti in vinum, quam in sanguinem Christi; admixtionem balsami essentialem esse in sacramento Confirmationis, & alia hujusmodi non pauca, in quibus, salva quæ debetur Catechismo reverentia, ab Auctoribus illius recedunt Scholæ Magistri* (e). Quamvis ergo Scholasticis concedatur, *Eucharisticas species* panis, & vini explicari a Catechismo per *accidentia absoluta*, non propterea sequi-

(a) P. II. *de sacra confirm.* num. 7.
(b) Ibidem.
(c) Tom. I. lib. III. q. 3. cap. 3. §. 2. q. 3.
(d) P. II. *de sacram. Penitentiæ* n. 36.
(e) Prælect. Theol. *de sacram. Penitentiæ* q. IV. artic. 1. in solut. obiect. adversus *secundam conclusionem*.

quitur, horum *accidentium* existentiam pertinere ad fidem; sed tantum, quemadmodum ait P. Goudin de *physica præmotione* (a), *ut sanam doctrinam fidelibus ab Ecclesia in Catechismo proponi*: quod do libentissime. Absit enim, ut minus sanam ipse dicam doctrinam, cui aperte favit Ecclesia, quamque Viri plurimi pietate, & sapientia conspicui manifeste docuere.

Sed contra ita argumentatur P. Nicolaus Maria Gennaro: *omnes Ecclesiæ, inquit, animarumque Rectores doctrinam de accidentibus, tamquam constantem, & perpetuam Ecclesiæ doctrinam, plebem docent; & Ecclesia nedum id dissimulando permittit, sed præcipiendo, ut patet ex Concilio Tridentino* sess. XXIV. cap. 7. *hac doctrina, tamquam perpetua, & constanti ipsius Ecclesiæ, ut populi erudiantur, mandat. Quod si hæc non erit omnino indubitata, & certitudine fidei firma, erraret Ecclesia nedum dissimulando, sed etiam præcipiendo, ut eam tamquam constantem & perpetuam Ecclesiæ doctrinam (quod idem est, ac de fide credendum, ut apud omnes catholicos compertum est, & docet Canus* lib. XII. cap. 5.) *omnes Episcopi, & Parochi docere deberent, & Deus super hanc rem Eucharisticam, quæ plusquam Theologiæ speciem exhibet, errorem omnium Pastorum Ecclesiæ non aperiendo, populo Christiano in necessariis deesset. At, qui constanti & perpetuæ Ecclesiæ doctrinæ Pastoribus, ut idem concinant, & fideles instruant, demundatæ resistit, æque hæreticus erit, ac si sacris Literis, traditionibusque Apostolorum refragaretur, ut ex eodem Cano* de locis lib. XII. *citato. Ergo* &c. (b).

℞. & *primo* quidem dico, ea omnia esse verissima, firmissimoque assensu a nobis admittenda, quæ perpetuo constanterque Ecclesia docuit. Vt enim egregie, æque ac vere, habet S. Augustinus, *quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper creditum est, nonnisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur* (c). Unde concedo Cl. P. Gennaro, *qui constanti, & perpetuæ Ecclesię doctrinę, Pastoribus, ut idem concinant, & fideles instruant, demandatę resistit, ęque hęreticum esse, ac si sacris Literis, traditionibus que Apostolorum refragaretur*.

Dico *secundo*, perpetuam non fuisse, constantemque Ecclesiæ doctrinam, quod *species Eucharisticę* panis, & vini sint *accidentia absoluta*. Horum quippe *accidentium* systema ignorarunt Patres, qui decem prioribus Ecclesiæ sæculis in Ecclesia floruere, neque locum habuit in Scholis catholicis, nisi post sæculum Christi XI. (§. 146.). Imo

(a) Disp. II. *Metaph.* q. 3. artic. 4. §. 2.
(b) Opuscul. dogm. *adversus atomos redivivas* cap. I. §. 1.
(c) Lib. IV. *de Baptismo contra Donatistas* n. 31. *alias* c. 24.

Imo tantum abest, veteres Theologos explicasse *Eucharisticas species* per *accidentia absoluta*, ut, quemadmodum visum est suo loco (§. 118.), Abaelardum criminatus fuerit Walterius Abbas, tamquam violatæ fidei reum, ex eo quod diceret, Eucharistiam in illis *accidentibus* a nobis tractari, & stangi; & Abbaudus itidem Abbas dicere non sit veritus, *ineptum esse in Evangelio Christi de albedine, & rotunditate disputare*; seque *Dialecticis, aut certe pueris talia permittere*, quod facile quisque videat, *albedinem, seu rotunditatem ab ipso corpore, quod vel album, vel rotundum est, separari non posse*; neque *opus esse fideli in sua fide hac circuitione verborum*. Nunquam autem fore, ut ita scripsisset Abbaudus, si doctrina de *accidentibus absolutis* perpetua fuisset atque constans Ecclesiæ doctrina, adeo certum puto, ut nihil magis.

Dico *tertio*, falsum esse, *omnes Ecclesię, animarumque Rectores doctrinam de accidentibus, tamquam constantem, & perpetuam Ecclesię doctrinam, plebem docere*. Hanc certe doctrinam non tradidit fidelibus in eximia sua *Christianę Doctrinę* expositione, quam supra exhibuimus (§. 151.), doctissimus Præsul Jacobus Bossuet; neque puto, omnes Ecclesiæ, animarumque Rectores ignorare, doctrinam hanc nedum non approbari ab omnibus Theologis catholicis, sed a pluribus, ut visum est (§. 151.), etiam apertissime reiici.

Falsum est *postremo*, Tridentinum Concilium præcipere Sess. XXIV. cap. 7, *ut hac doctrina, tamquam perpetua & constanti ipsius Ecclesiæ, populi erudiantur*. Tam longe quippe a vero est, doctrinam hanc dici a Concilio Tridentino *perpetuam, & constantem Ecclesiæ doctrinam*, ut neque eo loci, nempe *Sess.* XXIV. *cap.* 7., nec alibi, quod invenire potuerim, illius vel levissimam, quemadmodum legenti patebit, mentionem faciat.

Urget tamen idem Vir Cl.: *si non omnia, ergo aliqua, quæ ad plebis instructionem docet Catechismus, indubitata sunt, aut nulla. Hoc posterius hæreticum est. Si ergo aliqua; ergo ea, quæ ut constantem Ecclesiæ doctrinam proponit* (a). Panis autem, vinique *accidentia ipsa se nulla alia re nisa* in hoc Sacramento *sustentare*, dicitur a Catechismo *perpetua & constans catholicæ Ecclesię doctrina* (b). Ergo *absolutorum accidentium* existentia nobis debet esse certissima.

℞. plura, quæ docet Catechismus, esse verissima, atque ex his ea dubio procul, quæ perpetuo constanterque docuit Ecclesia, ut visum est paulo antea ex S. Augustino, & inter omnes Theologos jure

(a) Loco citato.
(b) De sacramento *Eucharistiæ* num. 45.

re meritoque jam convenit. Verum an ſemper habendum certo ſit pro doctrina Eccleſiæ, quod ut conſtantem Eccleſiæ doctrinam Catechiſmus proponit, mihi valde dubium eſt, ne plane falſum dicam. De materia namque ſacramenti Confirmationis agens Catechiſmus, eam conſtare ait ex *oleo*, & *balſamo*, idque *Eccleſiam*, & *Concilia perpetuo docuiſſe* (a): quod tamen non eſſe verum, ex veterum Patrum ſilentio probat, ut ſupra diximus, Auctor *de re ſacramentaria*. Si enim, inquit Vir Cl., *balſamum creditum a Majoribus fuerit de Sacramenti eſſentia eſſe, qui fieri potuit, ut priorum ſeculorum Patres olei quidem ſemper, nuſquam vero balſami mentionem fecerint?* Itaque pro perpetua, & conſtanti doctrina Eccleſiæ non ſemper habendum eſt, quod perpetuam atque conſtantem Eccleſiæ doctrinam Catechiſmus appellat.

Sicuti porro certa omnino res eſt, Eccleſiam perpetuo & conſtanter docuiſſe, *Euchariſticas ſpecies* panis, & vini *ſine aliqua re ſubjecta*, ut ait Catechiſmus, *in hoc Sacramento conſtare*, quod nempe ſemper conſtanterque creditum ſit in Eccleſia, *Corpus Domini*, & *ſanguinem vere in Sacramento eſſe, ita ut amplius nulla ſubſit panis*, & *vini ſubſtantia*; ita verum non eſſe puto, quod Catechiſmus veluti certum aſſumit, nempe *Euchariſticas* panis, vinique *ſpecies* eſſe *accidentia abſoluta* in ſenſu Scholaſtico. Hoc ergo, ſalva quæ Catechiſmo jure debetur reverentia, negamus; cum ſatis oſtenſum fuerit, opinionem hanc de phyſica illarum *ſpecierum* natura latuiſſe veteres Patres, ac nonniſi poſt undecimum Chriſti ſæculum in Scholis catholicis locum habuiſſe. Unde inſtantia Cl P. Gennari nulla eſt, utpote falſis principiis tota innixa.

Liceat tamen contra hunc Virum Cl. ita argumentum conficere: vel negari poſſunt, tuta fide, *accidentia abſoluta*, quamvis dicat Catechiſmus, Eccleſiam perpetuo conſtanterque illorum exiſtentiam docuiſſe; vel ſine piaculo ea negari non poſſunt. Si poſſunt: oleum certe atque operam perdit Vir Cl., dum illorum exiſtentiam, Romani Catechiſmi auctoritate, ſuadere conatur. Si non poſſunt: ergo ii omnes Theologi digni ſunt gravi cenſura, qui horum *accidentium* exiſtentiam non admittunt; ſicuti etiam qui negant, balſamum ad materiam ſacramenti Confirmationis eſſentialiter pertinere, utpote doctrinam negantes, quam, perinde ac illam de *accidentibus*, vocat Catechiſmus perpetuam atque conſtantem catholicæ Eccleſiæ doctrinam.

Inſtant alii. Romanus Catechiſmus, utpote Tridentini Concilii juſſu

(a) De ſacramento *Confirmationis* num. 7.

jussu editus, tamquam illius interpres habendus est. *Eucharisticas* autem panis, & vini *species* explicat Catechismus per *accidentia absoluta*. Ergo videtur minime dubitandum, quominus eadem ipsa *accidentia* etiam Tridentini Patres *specierum* nomine intellexerint.

℞. *disting. majorem:* Catechismus tamquam interpres Concilii Tridentini habendus est, adeo nempe, ut quæcunque ille tradit, haberi debeant veluti Tridentini Concilii doctrina, *nego majorem*; spectandus est Catechismus tamquam Tridentini Concilii interpres, quatenus plura ille diffuse explicat, quæ compendiose in Concilio traduntur, *concedo majorem*, & *permissa min.*, *nego conseq.* Cum enim plura, ut vidimus, doceat Catechismus, quæ non omnibus Theologis, salva fide, probantur, manifeste sequitur, non omnia, quæ Catechismus tradit, veluti Concilii doctrinam, nullo penitus facto discrimine, a nobis sumi atque spectari debere. Nonnulla profecto determinata habentur in Catechismo, a quibus tamen definiendis, certissime constat, Tridentinos Patres sese ex industria abstinuisse. Sic, ut unum memorem, docet Catechismus (a) Christum Dominum eam ipsam *formam* servasse in Eucharistiæ sacramento conficiendo, qua modo utitur Ecclesia, semperque usa est; cum tamen ex doctissimo Salmerono, qui Tridentino Concilio interfuit, habeamus, petiisse quidem nonnullos Theologos, *ut explicaretur forma, qua Christus confecit hoc sacramentum*; sed, *auditis hinc, & inde rationibus, nihil esse definiendum, prudenter Patres censuisse* (b).

VI.

158. *Arguunt sexto* ex Breviario Romano. Inquiunt enim: doctrina de *accidentibus absolutis* solemniter ab universa Ecclesia nedum admissa, sed approbata est. Hæc quippe in Officio Corporis Christi leguntur verba ex S. Thoma desumta: *accidentia sine subjecto in eodem* (scilicet in Eucharistiæ Sacramento) *subsistunt, ut fides locum habeat*; utque recte habet P. Seraphinus Capponi a Poretta, *licet D. Thomas ad mandatum Papæ Urbani IV. totum illud Officium de Festo* Corporis Christi *composuerit, ut verissimum est; tamen quia idem Papa cum omnibus sequentibus, id acceptando, approbavit, ideo a tota Ecclesia esse dictum, verum reputatur illud quod ibi solemniter recitatur* (c). Ergo, sicuti hinc recte colligit P. Gennaro (d), sententia negans *ac-*

(a) De sacram. *Eucharistiæ* n. 19.
(b) Tom. IX. Tract. 13.
(c) In III. p. S. Thomæ q. 17. artic. 1. *in appendice.*
(d) Opusc. Dogm. *adversus atomos redivivas* cap. I. §. 1.

cidentia absoluta communi Ecclesiæ sensui aperte contraria est, dignaque propterea, cui gravior nota inuratur.

℞. concedendo, doctrinam de *accidentibus absolutis* expresse haberi in Breviario, eaque in festo Corporis Christi ab universa Ecclesia recitari. Verum nego, illam doctrinam ita propterea ab Ecclesia esse approbatam, ut a Viro catholico sine piaculo negari non possit. Arbitror enim cum doctissimo Melchiore Cano, *sat non esse, ut Conciliorum, & Pontificum judicia firma esse credantur, in Divino Officio publice a tota etiam Ecclesia celebrari* (a). Sanctissimus quoque, æque ac Sapientissimus Pontifex Benedictus XIII. in ea, quam *de reliquiis S. Bartholomæi Benevento vindicatis* Dissertationem edidit, expresse docet, *Breviarium maximę quidem authoritatis esse in iis, quæ per sese ad cultum Ecclesiasticum attinent; minoris tamen ponderis esse in privatis factis, aut gestis, quę in vitis Sanctorum ex occasione referuntur, itaut efficax argumentum inde peti non possit, ubi præsertim antiquiora monumenta adversantur. Nec enim Ecclesia ipsa, quę illis utitur, inconcussę infallibilisque veritatis judicat, quæcunque Breviariis sunt inserta; cum multoties pro variis temporibus, varia ex occasione, ea mutaverit, correxeritque. Testatur id Concilium Senonense de anno* 1528, *quod ut* Breviaria, *&* Missalia *emendarentur, decreto sanxit. Testatur Concilium Coloniense de anno* 1536, *cui hoc idem decernere placuit; ac demum Concilium Rothomagense anni* 1581. *& Concilium Rhemense anni* 1583 *decernunt*, ut quamdiligentissime a falsis narrationibus Breviaria repurgentur. *Quæ omnia argumento sunt, non illico putanda esse ab omni aberratione historica libera* Breviaria, *sed magna plerumque spongia egere, licet in suum usum usurpet Ecclesia* (b). Sed neque Breviarium, quo ipsi in præsens utimur, nævis omnino caret, ut proinde necesse sit, in re, de qua agimus, plenam integramque fidem illi habeamus. In eo siquidem inter alia non omnibus probatur I. quod legitur in festo S. Damasi Papæ, ipsum scilicet jussisse primum, ut in fine cujusque psalmi diceretur *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*. Epistolam quippe S. Hieronymi ad Damasum (c), ex qua id sumtum est, *adulterinam, & plane commentitiam* vocat Eminentissimus Cardinalis Bona (d), *barbaram, imperitam, erroneam, in Apostolicam Sedem injuriosam, ideoque*

 plane

(a) Lib. V. *de locis Theol.* cap. 5.

(b) Artic. VII. Vide Launojum in Append. ad Dissertationem, & Disquisit. Guesnæianæ &c. *de cura Ecclesiæ pro Sanctis, & Sanctorum reliquiis, ac sacris Officiis ab omni falsitate vindicandis*. cap. 3.

(c) Tom. XI. *Operum S. Hieronymi* edit. Veron. *pag.* 278.

(d) De divina Psalmodia *cap.* XVI. §. 6.

plane fictam Vir doctissimus Christianus Lupus (a). Non probatur II., Cletum Pontificem ab Anacleto distingui. *Non esse quippe a* Cleto *distinguendum* Anacletum, *sed duobus nominibus*, ut ait Cl. Papebrochius, *unum eundemque Pontificem designari*, *quem Jrenæus* Anencletum, *vetus Missale Gallicanum* Ancletum, *Eusebius*, *& Optatus Milevitanus* Anacletum, *Epiphanius*, *& Canon Missæ* Cletum *nominant* (b), tot tamque validis momentis evincit Cl. P. Natalis ab Alexandro (c), confirmatque Papebrochius laudatus (d), ut nullus plane dubitandi locus superesse videatur. Non probatur III., S. Dionysium Parisiensem eundem fieri cum Areopagita. Illos quippe fuisse diversos, invicte probat doctissimus Sirmondus (e), ostendens primo, *Dionysium Parisiensem Dionysio Areopagita fuisse posteriorem*. Secundo: *illum in Galliam venisse, Decio Cæsare*. Tertio: *veterem Ecclesiæ Gallicanæ traditionem duos Dionysios agnovisse*. Quarto: *transitum Dionysii Areopagitæ ab Episcopatu Atheniensi ad Parisiensem Græcis omnibus olim fuisse ignotum*. Postremo: *duos etiam Romæ distinctos olim fuisse Dionysios, nec Areopagitam unquam illum, qui Parisiorum fuit Episcopus, appellatum*. Launojus quoque pluribus demonstrat contra Germanum Milletum, *legitima*, *& a capite derivata traditione constare*, *Dionysium Parisiensem ab Areopagita distingui* (f), utriusque etiam Dionysii vita erudite ab illo conscripta (g). Petavius demum persuasum habet, *imperante Decio*, *ejusque anno primo*, *vel secundo*, *Christi 250*, *hoc est*, *Decio*, *& Grato Coss.*, *S. Saturninum Tolosæ episcopatum iniisse*, *cum eoque missos esse Gratianum Turonorum*, *Dionysium Parisiensium episcopum*; *& hunc ibidem cum Rustico*, *& Eleutherio mortem pro Christo subiisse* (h). Quis autem non videt, Dionysium Parisiensem, si sub Decio martyrium subiit, esse non posse Areopagitam? Non probatur IV., S. S. Lazarum, Magdalenam, & Martham, una cum multis aliis Christianis, *comprehensos a Judeis*, *in navim sine velo*, *ac remigio fuisse impositos*, *vastissimoque mari ad certum naufragium commissos*; *sed navim*, *Deo gubernante*, *salvis omnibus Massiliam*, ut in Breviario legitur, *appulisse*. Hanc quippe historiam, ut plane commentitiam, reiiciunt Launojus, Tillemontius, Morerius, aliique non exterorum tantum, sed etiam Gallorum eruditissimi. Peculari

(a) Tom. VI. *Operum* edit. Venetiis 1726. pag. 24. Vide Natalem ad Alexandro Tom. IV. *Hist. Eccl.* sæculi IV. c. 2.

(b) Propyl. ad acta S. S. mensis Maii in Anamesi de Cleto, & Anacleto.

(c) Tom. III. *Hist. Eccl.* Dissert. XIV. in Historiam *sæculi* I., & ibidem in *Scholio*.

(d) Loco citato.

(e) Dissert. *in qua Dionysii Parisiensis*, *& Dionysii Areopagitæ discrimen ostenditur*.

(f) Discuss. responsionis Germani Milleti ad Dissertationem *de duobus Dionysiis*.

(g) Extat Tom. II. P. I. *Operum* edit. Coloniæ Allobrogum 1731.

(h) Ration. *Temporum* P. I. lib. V. c. 13.

culari quippe edita Dissertatione, ostendit Launojus, *a tempore Christi ad annum usque millesimum a Græcis universim, & Latinis traditum esse, Lazarum, Magdalenam, & Martham in Oriente obiisse: de Maximino Magdalenæ seu duce, seu comite, qui primus Aquensium Antistes fuerit, nulla usquam facta mentione* (a): cujus profecto argumenti quantus in rebus ad historiam pertinentibus sit valor, Criticorum nemo ignorat, docente Baronio, contemnendum a nobis esse, *quod a recentiore Auctore de rebus adeo antiquis sine alicujus vetustioris auctoritate profertur* (b). Non probatur V., S. Marcellinum Papam in immani illa Diocletiani persecutione, nimio terrore perculsum, *deorum simulacris thus adhibuisse*; tum hujus peccati tantopere pęnituisse (sic legitur in Breviario) *ut Sinuessam ad Concilium plurimorum Episcoporum venerit cilicio indutus, ubi lacrymis profusis scelus suum palam confessus est*. Jam enim inter omnes modo convenit (c), commentium esse hunc S. Marcellini lapsum; supposititium planeque fictitium Concilium Sinuessanum, in quo ille pænituisse dicitur. Hoc certe tam grande facinus a Donatistis imputatum fuisse S. Marcellino, aperte testatur S. Augustinus. Hæc quippe habet S. Doctor contra Petilianum scribens: *Marcellinus, & Presbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Silvester traditionis codicum divinorum, & thurificationis crimine arguuntur; sed nunquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monstrantur? Ipse sceleratos, & sacrilegos fuisse dicit. Ego innocentes fuisse respondeo. Quid laborem probare defensionem meam; cum ille nec tenuiter probare conatus sit accusationem suam? Si est ulla humanitas in rebus humanis, puto nos justius posse reprehendi, si ignotos homines, quos criminantur inimici, nec eorum crimen ulla testificatione demonstrant, nocentes potius, quam innocentes crediderimus* (d). Hujusce quoque historiæ initia, & fundamenta *contradictionibus tam manifestis* implicita deprehenderunt Viri solertissimi Norisius, & Papebrochius, ut is dicere non dubitaverit, *vehementer debere vacillare fidem ejus, qui illis nititur, opinionis, quantumvis antiquæ & inolitæ* (e): ille vero scripserit, in hac historia *tot men-*

(a) Dissert. *de commentitio Lazari, & Maximini, Magdalenæ, & Marthæ in Provinciam appulsu*. Vide ejusdem *Disquisitionem disquisitionis* adversus Guesnæum (extat Tom. II. P. I. *Operum* edit. laudatæ).

(b) Tom. I. *Annalium*.

(c) Videantur P. Natalis ab Alexandro Tom. III. *Hist. Eccl.* Dissert. XX. in Hist. *sæculi* III., P. Antonius Pagius Tom. I. *Critic. in annales Baronii* ad annum 302. n. 18., & seq., Acta Sanctorum ex Bollando in *Propyl.* ad Acta Sanctorum mensis Maii *Dissert.* XI. Card. Norisium P. I. *Hist. Donatistarum* cap. VII.

(d) Lib. *de unico Baptismo contra* Petilianum n. 27., *alias* cap. 16.

(e) Propyl. mensis Maii *in vita S. Marcellini*.

mendacia esse, *quot verba* (a). Audiendus non est autem P. Gennaro, dum nitens pro viribus argumentum, quod pro *accidentibus absolutis* ex Breviario ipse desumit, sustinere, ait, S. Marcellini lapsum ideo *verum & moraliter omnino indubitatum* esse, quia *præviis jam tot* (quas tamen ipse non recenset) *exactissimis inquisitionibus, Marcellinum thus idolis cremasse, in Breviario indeletum perseverat* (b). Ut enim observat P. Raynaudus, *absolutorum accidentium* acerrimus alioquin propugnator, *perseverantia hujus de Marcellino narrationis in Breviario post Urbanum VIII., & alios quosdam anteriores Pontifices parum probat. Potuit enim expungi e Breviario ea narratio, sicut alia pleraque subinde sunt expuncta, & sicut e Martyrologio Romano, tempore Clementis VIII. correcto, erasa est ea narratio de Marcellino. Sed multa sinuntur & in tabulis, & in Breviario retineri, quæ Ecclesia non præstat esse indubitata, & posse diligentia posteriori corrigi, non diffitetur* (c). Fallitur etiam idem Vir Cl., inquiens (d), dubiam fuisse, S. Augustini tempore, historiam de lapsu S. Marcellini; tantumque Doctorem nonnisi *per transennam* illi contradicere. Si ea namque historia tunc fuit dubia, undenam certa deinde facta est? Minus recte quoque dixisset S. Augustinus, *incredibilem* illam esse *calumniam*, & Petilianum *nec tenuiter* conatum fuisse probare *accusationem suam*. Demum, ut huic rei finem tandem imponam, non probatur VI. quod refert Breviarium in festo S. Silvestri de Constantini Imperatoris lepra atque baptismo. Constantinum quippe non Romæ, ut in illo legitur, sed Nicomediæ, & quidem nonnisi sub finem vitæ suæ, baptismum suscepisse, testantur, ne minima quidem curatæ lepræ facta mentione, Eusebius (e), Socrates (f), Sozomenus (g), Theodoretus Cyrensis Episcopus (h), S. Hieronymus (i), & S. Ambrosius (k), totque deinde, tamque validis momentis id confirmarunt P. Natalis ab Alexandro (l), & P. Daniel Papebrochius (m), ut Viri illi doctissimi Ord. S. Benedicti e Congregatione S. Mauri, qui Orationem S. Ambrosii *de Theodosii obitu* nuper notis illustrarunt, mirum sibi videri scripserint, *adhuc extare, qui Constantinum a Silvestro baptizatum ex actis apocryphis obstinatius defendant*; & eximius Card. Bona

(a) P. I. *Historiæ Donatistarum* cap. 7.
(b) Opusc. Dogm. *adversus atomos redivivas* cap. I. §. 1.
(c) Syntag. *de libris propr. memb.* 49.
(d) Loco citato.
(e) Lib. IV. *de Vita Constantini* cap. 61., & 62.
(f) Lib. I. cap. 39.
(g) Lib. II. cap. 34.
(h) Lib. I. *Hist. Eccl.* cap. 32.
(i) In Chronico *ad annum ultimum Constantini*.
(k) Orat. habita in *funere Theodosii*.
(l) Tom. IV. *Hist. Eccl.* Dissert. XXIII. in Hist. *sæculi* IV.
(m) Propyl. ad *acta Sanctorum* mensis Maii Dissert. XII.

Bona dixerit, lectiones Breviarii, quæ leguntur in festo S. Silvestri, sibi ob hanc causam esse *insupportabiles* (a). Hæc igitur cum ita sint, luculentissime ostensum manet, quod initio diximus ex Cl. Melchiore Cano, *sat nempe non esse, ut Conciliorum, & Pontificum judicia firma esse credantur, in Divino Officio publice a tota etiam Ecclesia celebrari*; atque hinc nihil prorsus ex Breviario inferri posse, quod cogere jure valeat recentiores Philosophos, ut *absoluta* Scholasticorum *accidentia* admittant.

Dices, rem, de qua modo agimus, *juris* esse, non *facti*, hoc est, non ad historiam, sed ad doctrinam pertinere; & ideo contra illam non habere locum, quæ hactenus objecta sunt, historiarum monumenta.

Contra est tamen. Nam *primo* velim consideretur, quod legitur in Breviario de lapsu S. Marcellini, neminem scilicet eorum Episcoporum, qui Sinuessano Concilio intererant, ausum fuisse, Marcellinum condemnare, sed omnes ad illum conversos dixisse una voce: *Tuo te ore, non nostro judica; nam prima Sedes a nemine judicatur*. Id, inquam, velim animo attento consideretur. Licet enim, absolute loquendo, verissimum sit, Summum Pontificem nullius judicio subiici; loquendo tamen de Pontifice in hæresim, adeoque & multo magis in idololatriam lapso videtur a doctrina & praxi Ecclesiæ alienum, Pontificem deponi, & damnari non posse. Etenim, inquit doctissimus Bellarminus, *hæreticum Papam posse judicari, expresse habetur can.* Si Papa *distin.* 40, *& apud Innocentium* serm. 2. de consecrat. Pontific., *& quod majus est, in* VIII. *Synodo* act. 7. *recitantur acta Concilii Romani sub Hadriano, & in iis continebatur, Honorium Papam jure videri anathematizatum, quia de hæresi fuerat convictus, ob quam solam causam licet minoribus judicare majores. Ubi notandum est, quod etsi probabile sit, Honorium non fuisse hęreticum, & Hadrianum II. Papam deceptum ex corruptis exemplaribus VI. Synodi, falso putasse, Honorium fuisse hæreticum; tamen non possumus negare, quin Hadrianus cum Romano Concilio, imo & tota Synodus VIII. generalis senserit, in causa hęresis posse Romanum Pontificem judicari. Adde, quod esset miserrima conditio Ecclesię, si lupum manifeste grassantem pro pastore agnoscere cogeretur* (b). Hinc Cl. Papebrochius, postquam dixit, se non posse animo comprehendere, *qua ratione potuerint acta* (Concilii Sinuessani)

(a) Ex epistola Claudii Castellani Can. Parisiensis anno 1684. ad Cl. Papebrochium data, quæ legitur in laudata ejusdem Papebrochii Dissertatione *de Constantini lepra, & Baptismo* n. 20.

(b) Lib. II. *de Romano Pontifice* cap. 30. Videatur Cl. Melchior Canus lib. VI. *de locis Theol.* cap. 8.

ni) *in compilationibus Conciliorum absque debita censura tolerari* (a), *ego*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ prærogativis additum potius aliquid, si possit, quam detractum velim, illa tamen, qua hic prætenditur*: prima Sedes non judicari a quoquam, *eo accepta sensu, quasi persona Pontificis, qua homo singularis est, nullius judicio subjaceret, non modo falsa est, sed ab ipsamet Ecclesia positive rejecta in canone*: Si Papa, *distin.* 40, *sumto ex verbis S. Bonifacii Moguntini Archiepiscopi, & martyris, ubi statuitur, ut* Papa judicetur a nemine, nisi fuerit a fide devius. *Quis autem magis ab ea devius, quam idololatra* (b)?

Secundo: sicuti in Officio Corporis Christi dicitur ex S. Thoma, *accidentia panis, & vini sine subiecto in Eucharistia subsistere*, ita in Officio, quod in Festo S. Thomæ Apostoli recitatur, dicitur ex S. Gregorio, *fidem esse argumentum rerum earum, quæ apparere non possunt*; idcirco quia, *quæ apparent, fidem non habeant, sed agnitionem*, ac proinde *fidem* simul cum *scientia* de eodem objecto haberi non posse. Id autem non prohibet, quominus Cl. P. Arriaga (c), aliique Viri catholici, tuta fide, contrarium sentiant. Ergo etiam *absoluta accidentia*, tuta fide, negari possunt, tametsi illorum existentia in Officio *Corporis Christi* expresse memoretur.

Tertio: in Festo S. Hilarii legit Ecclesia ex eodem S. Doctore, *nullum esse sal terræ*, & *sal esse in se unum continens aquæ, & ignis elementum*. Primum autem aperte falsum est; cum plurimæ salis fodinæ, referente Varennio (d), in Polonia, in Transylvania, in Comitatu Tirolensi, in Hispania, in Asia minori, in Persiæ monte Kilissim, in locis prope mare Caspium, aliisque reperiantur. Alterum vero negant Philosophi plurimi, quin aliquis propterea eos dixerit, doctrinæ Ecclesiæ refragari. Ergo tamquam doctrina Ecclesiæ habenda non sunt, quæcunque in Breviario leguntur.

Quarto: ut egregie observat Cl. Didacus del Corro, *non modo lectiones de Sanctis, sed etiam Patrum sermones, aut homilia, quæ quibuslibet diebus leguntur, eadem Romanorum Pontificum authoritate afficiuntur, quorum jussu in Breviariis sunt inserta, & decretis ab Ecclesia leguntur: quæ cum ita sint, quærere licet, cum Patres in eodem Scripturæ exponendo textu contrariantur, diversisque eorum expositiones diebus leguntur, quamnam ex iis, judicio Ecclesiæ, quoad veritatem probatam existimabimus? Dissentire inter se ambas expositiones supponimus. Probatam utramque ab Ecclesia asserimus. Ambas autem esse veras, affirmare*

(a) In Propyl. ad acta SS. mensis Maii *Dissert.* XI. num. 7.
(b) Ibidem num. 8.
(c) Disp. VI. *de anima* sect. 6.
(d) Lib. I. *Geographiæ* cap. 11.

firmare non possumus. Quod si aut utramque, aut nullam veram dicere ex probatione a Pontificibus conveniret, concludere necesse est, approbationes has hujus esse generis, quæ veritatem decernendam non respiciant (a).

Quinto: in Officio, quod in festo conceptionis B. V. Mariæ a toto Minorum Ordine solemniter recitatur, longe apertius conceptio ipsa vocatur *immaculata*, quam in Officio Corporis Christi *accidentia* dicantur *sine subjecto* in Eucharistia existere. Erroneam autem non dicet P. Gennaro sententiam negantem, B. V. Mariam sine originalis peccati labe fuisse conceptam. Ergo pari jure concedat ille ipse necesse est, neque opinioni neganti *accidentia absoluta* hanc, aliamve gravem notam juste deberi.

Dicet forte Vir Cl., causam esse discriminis, quia Officium *immaculatæ conceptionis* Deiparæ Virginis ab uno tantum Minorum Ordine, non autem a tota Ecclesia, quemadmodum Officium Corporis Christi, recitatur.

Sed contra est. Nam *primo* Officium *immaculatæ conceptionis*, quod ipsi in ejus festo recitamus, non minus a Summis Pontificibus approbatum est, ac sit ab illis approbatum Officium Corporis Christi. *Secundo*: quia licet Officium, in quo conceptio Virginis dicitur *immaculata*, non recitetur a tota Ecclesia; ab ea tamen tota festum *conceptionis immaculatæ* solemniter celebratur. *Postremo*: quia non *incidenter* tantum, *indirecte*, ac veluti per *accidens*, ut de *accidentibus absolutis* in Officio Corporis Christi, sed *directe*, *primario*, & *per se* conceptio Virginis in Officio, quod ipsi recitamus, dicitur *immaculata*, eique plures favent Bullæ Summorum Pontificum; nulla vero, quod ego sciam, *accidentibus absolutis*. Igitur vel etiam sententia negans *immaculatam conceptionem* Virginis Deiparæ communi Ecclesiæ sensui contraria est; vel neque opinio negans *accidentia absoluta* communi sensui Ecclesiæ, ut contendit P. Gennaro, adversatur.

Accedit *postremo* auctoritas doctissimi Cardinalis Joannis a Turrecremata. Quærens enim Vir celeberrimus, *an quæcunque opuscula SS. Patrum ab Ecclesia recepta, sint etiam ab Ecclesia approbata*, negative respondet. *Tripliciter enim*, ait, *potest aliquid dici receptum ab Ecclesia. Uno modo per approbationem, prohibendo, ne quis præsumat contrarium sentire. Hoc modo sunt ab Ecclesia recepta quatuor universalia Concilia........Secundo modo etiam aliqua SS. Patrum opuscula recipit Ecclesia ad usum lectionis, sive ad expositionem Sacræ Scripturæ, sicut opus-*

(a) Differt. *de argumento ex Breviario* cap. V, num. 41.

atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia, & privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii, humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis præservatam immunem (a), quamvis hanc piam sententiam recensere veritus ipse nequaquam sit (b) inter ea multa, quæ *contra opiniones ab Eruditis receptas, ac moraliter certas* in Historia *Mysticæ Civitatis Dei* a Ven. Maria de Agreda conscripta, ejus judicio, continentur (c). III. an erraverit, permittens, ut fideles possibilem credant, divina auxiliante gratia, amorem Dei purum, licet ipse amorem hunc possibilem esse neget, contendens, *falsam esse vulgatam persuasionem existimantium, quod amor Dei perfectus excludat, aut omnino excludere possit desiderium propriæ beatitudinis* (d). Scire itaque vellem a Cl. P. Amort, an Ecclesia, hæc permittens doceri & credi, erraverit. Si enim non erravit, ut eam non errasse certissimum est, eccur ait, fore, ut diu erraverit Ecclesia, & quidem in puncto satis notabili, si *absoluta accidentia* non darentur? Dabo etiam Cl. Auctori, *Deum quotidie inspirare multa singulis fidelibus*, & ideo iis etiam *aliquando inspirare aliquid de articulis fidei, quos prævidet fore duces Ecclesiæ*. Verum, quomodo id faveat *accidentium absolutorum* doctrinæ, hactenus non potui mente complecti. Si namque doctrina *accidentium absolutorum* ideo a Deo inspirata dicenda sit, adeoque vera, quia a Theologis tradita; videtur etiam opinio negans illa *accidentia* dici debere inspirata a Deo, proindeque vera, quia plures quoque Theologi eam modo expresse docent, aperteque propugnant. Dico tamen, quod etiam alibi ex Cl. Melchiore Cano dictum fuit, idque velim, P. Amort alte sibi animo infigat, dumque calamum stringit, semper præ oculis habeat, *Theologorum* scilicet *etiam multorum testimonium, si alii contra pugnant Viri docti, non plus valere ad faciendam fidem, quam vel ratio ipsorum, vel gravior etiam auctoritas comprobarit* (e).

VII.

159. *Arguunt postremo* ex retractatione, quam anno *1676.*, mandante S. Romana Inquisitione, ut refert P. Syri (f), edere coactus fuit Andreas Pissini Lucensis. Hæc enim inter alia in ea leguntur: *Io Andrea Pissini confesso &c. dico, che sebbene come Filosofo, seguitando*

(a) Bulla Alexandri VII. quæ incipit: *Solicitudo omnium Ecclesiar.* &c. §.I.
(b) P. II. *de revelationibus* &c. num. XIII. *prop.* 4.
(c) Ibidem num. 4.
(d) Idæa veri amoris *prop.* 2.
(e) Lib. VIII. *de locis Theol.* cap. 4. *concl.* I.
(f) In Logica *de Prædicamentis* Syntagma IV. artic. 3.

do l'opinione degli Atomisti, parlando delli accidenti, *o* specie *della SS. Eucaristia, ho dette alcune cose contrarie alle opinioni degli Aristotelici circa la natura degli* accidenti, *dicendo, che non sono* entità *distinte dalla* sostanza, *ma* apparenze *cagionate nei sensi del viso, e del tatto, ed il medesimo ho detto degli* accidenti *della SS. Eucaristia, e che sono come immagini de' sognanti, ed altre simili figure; però non ho inteso, ne intendo dire, che nella Eucaristia, oltre il Corpo, e Sangue di Cristo, non vi siano attualmente le* specie, *e li* accidenti, *sotto i quali, come insegnano i Sagri Concilj, si contengono i detti Corpo, e Sangue. Non ho inteso, ne intendo dire, che in essa Eucaristia non vi siano attualmente le due cose, come dice Innocenzo III. nel capo* cum Marthæ, de celeb. Missarum, *il* Sagramento, *cioè le* specie sensibili, *&* res Sacramenti, *che sono il* Corpo, *e* Sangue *di Cristo, perche tengo, e confesso, che vi siano attualmente. E sebbene in un mio essame ho detto, che quando non si vede, ò non si tocca l'Eucaristia, allora vi è solamente il Corpo, e Sangue di Cristo, ma non vi è la cosa, che chiamasi* Sagramento, *perche allora non vi sono quelle apparenze, e commozioni nei sensi, che nascono, quando si vede, o si tocca, mi correggo, e ritratto, e confesso, che sempre nell'Eucaristia, o si veda, o non si veda, o si tocchi, o non si tocchi, come nella pisside, o altrove, sempre vi sono attualmente il* Sagramento, *ed il Corpo di Cristo.* Jam vero si hoc, nemo non videt, *absoluta* Scholasticorum *accidentia*, tuta fide, negari non posse. Ergo &c.

℞. *primo*, hoc argumentum nimis probare. Palinodiam enim cecinit Pissinus, non solum quia dixerat, *che nella Eucaristia, oltre il Corpo, e Sangue di Cristo, non vi siano attualmente le specie, e li acaccidenti;* verum etiam quia persuasum habebat, *che in essa Eucaristia non vi siano attualmente le due cose, come dice Innocenzo* III., *il* Sagramento, *cioè le* specie sensibili, *&* res Sacramenti, *che sono il Corpo, e Sangue di Cristo.* Ergo dicamus oportet, non eos tantum qui negant *accidentia absoluta*, verum etiam eos, qui rationem *sacramenti*, loquendo de Eucharistia, in panis, vinique *speciebus* positam esse inficiantur, suam debent opinionem revocare. Hoc autem nonnisi temere dici potest; cum Theologi plurimi, iique gravissimi, negent, ipsas panis, & vini *species* esse id, quod in Eucharistia habet rationem sacramenti (§.136.). Ergo neque Pissinus ideo palinodiam canere coactus fuit, quia *absolutorum accidentium* existentiam inficiaretur.

℞. 2. Pissinum coactum fuisse sententiam suam de *accidentium* natura revocare, non quia Sacrum Inquisitionis Tribunal illam aperte

falsam, fideique dissonam judicaverit; sed quia, utpote novam, & omnium ferme Philosophorum, ac Theologorum opinioni tunc contrariam, illi vehementer suspecta videbatur. Et hinc est, eandem ipsam modo ab Ecclesia permitti, quod, accurato examine discussa, deprehensa fuerit posse cum fidei doctrina componi. Neque enim hic solus casus est, in quo doctrinam, antea suspectam, toleret Ecclesia, atque etiam aperte deinde permittat. *Ecclesia*, inquit doctissimus Muratorius, *enuntiationes easdem secundum varios sensus acceptas, nunc adprobavit, nunc improbavit, & eadem omnino verba modo aversata est, modo amplexa, prout ipsi visæ sunt sapere aut pravam, aut rectam doctrinam. Ita celebris illa thesis*: Christus est unus e Trinitate, *sive* unus de Trinitate passus est, *ab Hormisda Romano Pontifice, aliisque Catholicis rejecta primo fuit, quod ejus sensus ad Eutychianam hæresim accedere crederetur, & ab ipsa significari, divinam naturam humanis doloribus, ac infirmitatibus fuisse obnoxiam. At subinde eandem thesim uti catholicam recepere Joannes II., & Vigilius Romani Pontifices, atque Oecumenica Synodus V., quum nempe in catholico sensu accepta fuit, & credita veram Ecclesiæ catholicæ sententiam sonare atque exprimere. In Synodo Antiochena vocem* Homousion *Episcopi complures proscripsere, in sensu Pauli Samosateni acceptam. Nicæni vero Patres in sensu catholico consecrarunt. Ita & tempus fuit, quo variæ circa Incarnationem sententiæ secundum varias illarum intelligentias male, aut bene sonabant. Quum Pelagii Literæ, ac Cęlestii Libellus* de gratia Dei *coram Zosimo, & Romana Synodo lectus fuisset*, Libellus ille catholicus dictus est, *uti scribit S. Augustinus* lib. II. ad Bonifacium Papam cap. 7., *ita ut Zosimus, pro fama utriusque hæretici solicitus, non sine aliqua indignatione ipsos purgarit apud Africanos Patres, inquiens epist.* 4. estne ullus locus, in quo Dei gratia, vel adjutorium prætermissum sit? *Verum Pelagius nomine* gratiæ *non peculiare Dei donum animæ infusum, sed legem, doctrinam, exempla Christi, aliaque externa adminicula intelligebat. De hoc sensu monitus Zosimus ab Africanis Patribus, approbatos ante libros, eorumque Auctores anathemate feriit, ab Ecclesia ejecit* (a). Omnium tamen maxime ad rem nostram facit, quod de Galilæano Mundi systemate observat Cl. P. Serry. *Telluris motum circa Solem immobilem*, ait ille, *rationibus haud ita contemnendis ostendit, post Copernicanum, veteresque Pythagoricos, recentium Astronomorum bona pars, ac etiam fortasse melior. Non damnat modo, non proscribit Ecclesia: modo, inquam. Quamquam enim Galileus, hujusce*

(a) Lib. I. *de moderamine ingeniorum* cap. 20.

jusce systematis instaurator, illustrator, & vindex, haud ita propitium Romanum cęlum initio statim invenerit; secutis tamen inde temporibus, atque hac ipsa ætate nostra Viri plerique pietate, ac religione præstantes; nonnulli etiam Purpura eminentes cum Galilæo, cum Copernico sentire libere permittuntur; modo certum indubitatumque systema non dicant; sed commodam Astronomiæ usibus hypothesim faciant, ut ex decreto Sacræ Congregationis Sancti Officii anno millesimo sexcentesimo vigesimo perspectum est (a). Quod ergo respondet Cl. P. Serry pro Copernicano systemate de *telluris motu*, & *Solis quiete*, illud ipsum iis respondendum censeo, qui putant, aliisque persuadere nituntur, Recentiorum opinionem de physica *sensibilium qualitatum* natura ob palinodiam, quam canere Pissinus coactus est, neutiquam posse, salva religione admitti, neque tuta fide defendi. Ut enim Pissinus contendens, *accidentia* non esse entitates *distinte dalla sostanza, ma apparenze cagionate ne i sensi del viso, e del tatto*; ita Galilæus docens, *Solem esse centrum Mundi, & immobilem, & terram non esse centrum, & moveri*, retractare se debuit, quamque tuebatur opinionem, revocare. Et sicuti Galilæi retractatio non obstat, quominus, ut ait Cl. P. Serry; *hac ipsa ætate nostra Viri plerique pietate, ac religione præstantes cum Galilæo sentire libere permittantur, modo certum indubitatumque systema non dicant*; ita retractatio Pissini impedimento esse nequit, quominus plures pii, doctique Viri persuasum habeant cum sæpius laudato Auctore præclari Operis *de re Sacramentaria*, meram esse *Arabum Interpretum Aristotelis opinionem, nec fidei, nec rationis lumine roboratam, imo penitus, judicio multorum, contrariam, quod accidentia sint materiales entitates a subjecto realiter distinctæ*; neque credant *veritatem Eucharistiæ, nisi absoluta accidentia admittantur, defendi non posse* (b). Non est igitur, cur tanti fiat a Scholasticis Pissini retractatio, ut ex illa una compertum putent, non licere Viro catholico, cum de *accidentibus* agitur, Recentiorum hypothesim propugnare. Ceterum quam juste suspecta tunc fuerit Sacris fidei Inquisitoribus Pissini doctrina, luculenter evincunt non solum gravissima dicteria, quibus Scholasticam sententiam, ejusque fautores ille insectabatur; verum etiam falsa illa, erronea, & temeraria consectaria, quæ ex illa sua opinione ab eodem deducebantur. Conviciis enim prætermissis, quod ea recensere nec ferat caritas christiana, neque modestia sinat, inferebat ille ex rejectis *absolutis accidentibus*. I. *che quando non si vede, o non si tocca l'Eucaristia, allora vi è solamente il corpo,*

e

(a) Tom. I. *Prælect. Theol.* Disp. *de Mundi opificio* Prælect. I.

(b) Tom. I. lib. IV. q. 6 sect. 1. cap. 4. §. 2. in responsione *ad instantiam* 6.

e sangue di Cristo, ma non vi è la cosa, che chiamasi Sagramento; & ideo Eucharistiam in pixide clausa non esse sacramentum. II. *che Dio nel farci comparire in quelle specie di pane, e di vino qualche cosa, che rappresenti il pane, e vino, c'inganna.* III. *che l'opinione, quale tiene, che le specie Eucharistiche sono accidenti, ed entità positive, sia empia*; & si vellet, ab se probari posse dicebat, *che è manifestamente eretica, ed espressamente dannata.* Jam vero quid Conciliorum doctrinæ, ipsique proinde veritati magis contrarium, quam Eucharistiam non esse *sacramentum*, nisi cum tangitur reipsa, aut conspicitur? Quid magis temerarium, ne quid amplius dicam, quam doctrinam a præstantissimis Theologis traditam, & ab Ecclesia permissam, vocare impiam, manifeste hæreticam, & expresse damnatam? Quid demum magis impium, quam Deum veracissimum in sacramento veritatis aperte nos fallere? Merito ergo optimoque jure ad totam suam doctrinam retractandam coactus fuit Pissinus; iique itidem omnes justissime ab Ecclesia censorio stigmate configuntur, qui *absoluta accidentia* negare nesciunt, quin vel male explicent, quæ fidei sunt, vel sanam doctrinam risu excipiant, quique illi patrocinati sunt olim, & modo etiam patrocinantur, dicteriis conviciisque dilacerent. Plane enim, ut nihil magis, a vero distat doctrina, quæ cum sancta Religione componi non potest; neque recedere nobis licet a sententiis summorum Theologorum, nisi manifesta nos ratio cogat urgeatque, nec nisi salva, quæ illis merito optimoque jure debetur, reverentia.

Contendit P. Ferrari, *nisi* Pissinus *visus fuisset errare etiam in statuenda Atomistarum sententia*, minime fore, *ut Ecclesiastici Præsules eundem coegissent illam expresse retractare. Neque enim*, inquit ille, *Ecclesia jubet, prave sentientes omnia retractare, quæ dixerunt, quia veris quibusdam falsa admiscuerint, aut contrariam sententiam censura notaverint; sed censuram, & pravas opiniones tantummodo jubet revocandas* (a).

Sed falso; ex hactenus enim traditis liquido apparet, justum fuisse, ut ad revocandam Atomistarum sententiam compelleretur Pissinus, quamvis illa in se spectata nihil complecteretur, quod cum fidei dogmatibus conciliari nequiret. Satis enim fuit, ut illa opinio suspecta in Pissino sacris Judicibus videretur. Concedo, Ecclesiam non jubere, *prave sentientes omnia retractare, quæ dixerunt, quia veris quibusdam falsa admiscuerint, aut contrariam sententiam censura notaverint.* Plane tamen falsum puto, eam jubere, ut *censuræ & pra-*

(a) Loco citato in responsione *ad objectionem octavam* ad sextum *pag.* 217.

væ opiniones tantummodo revocentur. Mea enim ſententia eſt, conſtanſque opinio, jubere Eccleſiam, & quidem rectiſſime, ut revocentur, non ſolum quæ aperte falſa ſunt, hæretica, erronea, & temeraria; verum etiam quæ ſunt vel *abſolute*, vel *reſpective* vehementer ſuſpecta.

CONCLUSIO OPERIS.

160. Temere igitur non agunt recentiores Philoſophi, dum negant, *ſenſibiles* corporum *qualitates* eſſe *accidentia abſoluta*; neque juſte a Scholaſticis reprehenduntur, atroque carbone notantur, quaſi rei propterea ſint dubiæ, aut etiam violatæ fidei. Temere illi non agunt; cum ſatis valida ipſis momenta non deſint, quibus & Scholaſticam oppugnent convellantque hypotheſim, & Mechanicam, quam ipſi tradunt, veritati conſonam eſſe, maxima ſane probabilitate demonſtrent. Injuſte quoque in dubium vertitur illorum fides; cum eorum quoque opinione admiſſa, ſarta tectaque ſint, quæcunque circa venerabile Euchariſtiæ ſacramentum ſunt a nobis divina fide credenda; illi opinioni modo aperte faveant Theologi non pauci, iique doctiſſimi; neque conſtet, oppoſitum tenuiſſe veteres Eccleſiæ Patres, aut determinaſſe Concilia, vel nuper Eccleſiam decreviſſe. Ceterum *quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me* (a). *Homines enim ſumus; unde aliquid aliter ſapere, quam res ſe habet, humana tentatio eſt. Nimis autem amando ſententiam ſuam, vel invidendo melioribus . . . . diabolica præſumtio eſt. In nullo autem aliter ſapere, quam res ſe habet, angelica perfectio* (b). Quæcunque porro dixi, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ examini libentiſſime ſubiicio, paratus, ſi quid incaute mihi exciderit, quod minus catholicum ſit, ejus judicio emendare. *Verbum illius ſumma mihi ratio eſt. Removeo argumenta, removeo diſputationem. Sola mihi ad credulitatem ſufficit perſona dicentis. Non licet mihi de fide dicti ambigere; non licet deliberare* (c).

FINIS.

(a) S. Auguſtinus lib. I. *de Trinitate* n. 5. *alias* cap. 3.

(b) Idem Lib. II. *de Baptiſmo contra Donatiſtas* n. 6. *alias* cap. 5.

(c) Caſſianus lib. IV. *de Incarnatione* cap. 6.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

A.

Abaelardus (Petrus) injuste a Walterio accusatus, quod non recte de Eucharistia sentiret. p. 210.
Vindicatus a P. Natale ab Alexandro. *ibid.*
Accidens absolutum non est entitas extensa quoad se & impenetrabilis. p. 53.
Non est natura sua *sensibile*. p. 59.
Accidentia Eucharistica, si ponantur *absoluta*, quomodo sint *sensibilia*. *ibid.*
Opinio de *accidentibus absolutis* ansam dare potest heterodoxis cavillandi dogma *transustantiationis*. p. 187.
Multum quoque minuit vim plurium argumentorum, quibus illud dogma probatur. p. 188. *& seq.*
Accidentium absolutorum existentia non est pervia sensibus in Eucharistia. p. 203.
An sint admittenda in Eucharistia, ne miracula multiplicentur. p. 206.
Non potest evinci illorum existentia testimonio veterum Patrum p. 240.
Neque Theologorum. p. 265.
Ab Arabibus Aristotelis Commentatoribus primum excogitata fuerunt. p. 244.
Quo tempore in Scholis admissa. *ibid.*
Accidentia nequeunt dici *species* substantiæ. p. 250.
Illa non intelligunt Patres, dum de *speciebus* loquuntur. *ibid.*
Eadem distingui a substantia, non est in Scriptura expressum, neque ab Ecclesia determinatum. p. 267.
Horum distinctio a substantia est Arabum opinio, nec fidei, nec rationum lumine roborata. p. 272.
Existentia *accidentium absolutorum* non est ab Ecclesia definita. p. 274.
Falso nonnulli dixerunt, opinionem negantem *accidentia absoluta* esse hæreticam. p. 276.
Hanc non proscripsit in Viclefo Concilium Constantiense. p. 277.
Quo sensu Concilium Constantiense damnaverit secundam Viclefi propositionem. p. 278., & *seq.*
Horum existentia non probatur ex Concilio Tridentino. p. 297., & seq.
Neque ex Coloniensi. p. 310.
Neque ex Bituricensi. p. 311.
Neque ex Decretalibus. 312.
Neque ex Cathechismo. 314.
Neque ex Breviario. 320.
Neque ex retractatione Pissini. 330.
Opinio negans *accidentia absoluta* olim Ecclesiæ suspecta 332.
Qui admonent amice, docendi sunt; qui inimice insectantur, repellendi 225.
Alliacus (Petrus Cardinalis) totum ipse dirextit negotium damnationis Viclefi, quæ in Concilio Constantiensi facta est. 282.
Quo tempore scripserit super sententias Magistri. ibid.
Non revocavit, quæ ante Concilium Constantiense scripserat de *accidentibus*. 28 ?.
Album corpus reflectit totam, aut ferme totam lucem, quam excipit. 116.
Alba difficile, facile *nigra* incalescunt, & flammam concipiunt. ibid.
Per quid *formaliter* corpus sit *album*. 124.
Amort (P. Eusebius) impugnatur. p. 45. 62. 309. 310. 328. 329. 330.
Anacletus Papa non est diversus a Cleto. 322.
Analogia inter Eucharistiam, & Incarnationem quo sensu vera. 264.
Angelica perfectio est, in nullo aliter sapere, quam res se habet. 335.
Annihilatio non est destructio totius compositi etiam quoad accidentia. 185.
Apparitiones ex illusione sensuum quomodo fiant. 40.
Apparitiones Christi sub speciebus hortulani, peregrini &c. quomodo factæ. 193.
Negare hasce apparitiones fieri posse sine *accidentibus absolutis*, erroneum est. 194.
Possunt durare longo tempore, licet factæ indempendenter ab *accidentibus absolutis*. 196.
Non est de fide, aquam vino mixtam in illud converti. 313.
Non est certum, Aristotelem admisisse *accidentia absoluta*. 243.
Nimis obscure scripsit. 244.
Ejus opera aliquando proscripta. ibid.

Corpora non fiunt *arida* per *accidens absoluum*. 88.
Atomus quo ſenſu *inſectilis*, & *figurata*. 146.
Auctor cujuſdam Diſſertationis de *accidentibus* impugnatur 196. 197.
Auditus organum in quo conſiſtat. 9.
Contemnendum eſt, quoad ab Auctore recentiore de rebus antiquis profertur ſine alicujus vetuſtioris auctoritate. 303.

B.

Balſamum neceſſario non pertinet ad materiam Confirmationis. 316.
Berengariana profeſſio fidei. 209.
Boucat (Antonius) impugnatur. p. 184. 185. 186. 213.
Ex Breviario Romano nihil colligi poteſt, quod Recentioribus officiat. 320.
Multa in illo ſunt, quæ non omnibus Eruditis probantur. 321.
Sat non eſt, Conciliorum, & Pontificum judicia firma credantur, ea in Breviario recitari. ibid.
Plura Concilia curarunt, ut Breviaria corrigerentur. ibid.

C.

Calor non eſt *accidens abſolutum*. 78.
Male definitur a Scholaſticis. ibid.
Caloris effectus. 79.
An proprium ſit *caloris* diſgregare heterogenea, & congregare homogenea, & quomodo id ille efficiat. 82. 83.
Calor conſiſtit in effluvio. 135.
Non eſt neceſſe, etiam *lumen* in effluvio poſitum ſit, ſi *calor* in *effluvio* conſiſtat. 138.
Incertum eſt, an *calor* ſeparari queat a *lumine*. ibid.
Poteſt *calor* ex iiſdem corpuſculis oriri, ex quibus provenit *calor*, quin ubicunque percipitur *lumen*, etiam *calor* ſentiatur. 139.
Nihil prohibet, quominus ex aliis corpuſculis *calor*, ex aliis *lumen* proveniat. 140.
Quo ſenſu motus, in quo conſiſtit *calor*, ſit ſenſibilis. 142.
Nihil poteſt eſſe turpius Phyſico, quam ſine cauſa fieri aliquid dicere. 93.
Catechiſmus Romanus multa continet, quæ non omnibus probantur. 315.
Non ſemper eſt doctrina Eccleſiæ, quam ut Eccleſiæ doctrinam Catechiſmus proponit. 319.
Quo ſenſu ſit interpres Concilii Tridentini. 320.
Cerebrum obtuſiſſimum, quo ſenſu ſit verum. 13.
In ferendis cenſuris maxima præcautione opus eſt. 270.
Chryſoſtomus (S. Joannes) laudatus. 262.
Illius epiſtola ad Cæſarium Monachum apprime dubia. ibid.
Ex ea non evincitur exiſtentia *accidentium abſolutorum* in Euchariſtia. 263.
Circumſcriptive eſſe in loco quid ſit. 226.
Cletus Pontifex diverſus non eſt ab Anacleto. 322.
Colores non ſunt *accidentia abſoluta*. 70.
Non immutant viſum per *ſpecies* Scholaſticas. 71.
Per quid *formaliter* corpus appareat *coloratum*. 112.
Colores objectivi a quonam Corporum temperamento dependeant. 114 115.
Colores non mutantur, mutato *luminis* gradu. 118.
Perinde ad eos eſt, quomodocunque lumen in corpus incidat. 119.
Colores non ex omni refractione *luminis* proveniunt. 123.
Colorum mediorum origo incerta eſt. 124.
Color, prout in objecto, non dependet a *lumine*. 125.
Quo ſenſu verum ſit, corpora in tenebris poſita *colore* deſtitui. 126.
Conciliorum decreta quando ad fidem pertineant. 182.
Concilii diſſimulare non licet, quæ ſpectant ad fidem. 298.
In locutionibus doctrinalibus Conciliorum *indefinita* æquivalet univerſali. 303.
Summa cautela utuntur Concilia in definiendis rebus fidei. ibid.
Exemplum hujus ex Epheſino contra Neſtorium. ibid.
In definitionibus Conciliorum diſtinguendæ ſunt propoſitiones *principales* ab *incidentibus*. 280.
Concilium Conſtantienſe non damnavit in Viclefo negantes *accidentia abſoluta*. 277.
Quo ſenſu proſcripſerit ſecundam prop. Viclefi. 278., & ſeq.

Constantienses Theologi arbitrati non sunt, errorem secundæ prop. Viclefi diversum esse ab errore primæ. 292.
Concilium Tridentinum nomine *specierum* non intellext *accidentia absoluta*. 297.
Neque Lateranense IV. ibid.
Vox *accidentis* ne semel adhibuerunt Patres Tridentini. 298.
Quæ definiant can. 2. Sess. XIII. 303.
Quæ sint definita circa Eucharistiam a Concilio Tridentino. 304.
Concilium Sinuessanum fictitium est. 323.
Consistentia corporum in quo consistat. 156.
Constantinus non Romæ, sed Nicodemiæ baptismum suscepit. 324.
Hujus historia, quæ legitur in Breviario valde dubia. ibid.
Consubstantiatores hæretici. 286.
Corpora arida per quid humectentur. 152.
Corpus Christi quanto spatio sit præsens in Eucharistia. 216.
Quid sentiendum hac super re a Viro catholico. 217.
Est in Eucharistia cum sua quantitate. 220.
Non est in illa *circumscriptive*. 226.
Neque *definitive*. ibid.
Sed *sacramentaliter*. ibid.
Non est totum in singulis hostiæ partibus ante divisionem. 227.
Est in Eucharistia instar panis: licet organa nostrorum sensuum ab illo non immutentur. 228.
In illa hoc modo est independenter ab *acidentibus absolutis*. 229.
Etiam in pixide clausa existit sub sensibilitate panis. ibid.
Nulla conversio naturalis dependet ab *accidentibus obsolutis*. 178.
Non exigit, ut aliquid remaneat commune utrique termino. ibid.
In Eucharistia fit conversio totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi. 176.
Corpus Christi quo sensu in Eucharistia dicatur contineri sub *speciebus*. 305.
Non est sub motionibus sensuum, proprie loquendo. ibid.
Esse tamen sub illis dici potest sine piaculo. 306.

D.

Damasus Papa non statuit, ut in fine cujusque psalmi diceretur: *Gloria Patri* &c. 321.
Epistola S. Hieronymi, in qua hæc institutio Damaso tribuitur, falsa est. ibid.
Deceptio sensuum nulla in Eucharistia. 199.
Definitive esse in loco quid sit. 226.
Densum quod nam dicatur. 92.
Densitas corporum non est *accidens absolutum*. ibidem.
Undenam physice proveniat. 164.
Frigore, & compressione corpus fit densum. ibid.
Ad Deum non est recurrendum, ut effectus naturales explicentur. 103.
Ad fidem non pertinent, quæ in Pontificum, & Conciliorum decretis inducuntur explicandi gratia &c. 310.
Decretorum ad fidem pertinentium notæ. 313.
Diabolica præsumptio est, nimis amare sententiam suam. 335.
Diaphanum quodnam dicatur. 69.
Diaphaneitas non est *accidens absolutum*. ibid.
In quonam physice consistat. 109.
Diaphanum corpus ex opacis corpusculis constat. 110.
S. Dionysius Parisiensis est alius ab Areopagita. 322.
Dionysii Areopagitæ opera dubia. 316.
Dogma fidei non est, quidquid Juris Canonici volumine continetur. 235.
Quæ Ecclesia tradit, quandonam habenda sint tamquam dogmata fidei. ibid., & pag. 313.
Durities corporum unde proveniat. 15.

E.

Ecclesia multa tolerat; sed quæ sunt contra fidem, vel bonam vitam, non approbat, non tacet, nec facit. 298.
Firmissimo assensu admittenda sunt, quæ perpetuo constanterque docuit Ecclesia. 317.
Non semper docuit dari *accidentia*. 319.
Tripliciter potest aliqui dici receptam ab Ecclesia. 327.
Plura recipit Ecclesia, quæ tamen tuta fide

fide negari possunt. 327.
Sensus totius Ecclesiæ non est dari *accidentia absoluta*. 328.
Ecclesia easdem enuntiationes modo reprobat, modo approbat secundum diversos sensus. 332.
Revocare jubet, non solum, quæ aperte falsa sunt, sed etiam quæ vehementer sunt sibi suspecta. 335.
In effervescentia corporum cur augeatur calor, imminuto motu sensibili. 143.
Error non est, quidquid Thomisticis, aut Scoticis pronunciatis adversatur. 174.
In Eucharistia existit vere, realiter & substantialiter tum corpus, tum sanguis Christi. 175.
Quo sensu verum sit, nos in Eucharistia videre eandem panis *albedinem* &c. 198.
Nulla in ea fit sensuum deceptio. 199.
Eucharistia est *sacramentum*, non solum cum sumitur a fidelibus, verum etiam cum clausa pixide continetur. 230.
Quidnam sit, quod in illa habet rationem *sacramenti*. ibid.
Non requiruntur *accidentia absoluta*, ut Eucharistia sit *sacramentum*. ibid.
Quomodo sit signum sensibile gratiæ. 232.
Discrimen Eucharistiæ a reliquis *sacramentis*. ibid.
Est vere sacramentum, etiam admissa hypothesi Recentiorum. 238.
Analogia inter Eucharistiam, & Incarnationem. 263.
Incertum est, quibus verbis Christus Dominus Eucharistiam confecerit. 320.
Id determinare noluerunt Patres Tridentini. ibid.
Eusebii epistola ad Damasum Portuensem de morte S. Hieronymi commentitia est. 258.
Hæc, sicuti & duæ de *magnificentiis*, & *miraculis* S. Hieronymi sunt absurdissimæ, & falsissimæ. 260.
Idem fuit harum omnium auctor. ibid.
Non fuit Damasus Portuensis, qui illam ad Damasum scripserit. ibid.
Ordini conjecturæ, quibus id ille nititur suadere, nullæ sunt. ibid.
Auctor illius epistolæ est posterior sæculo Christi XI. 261.
Eutychiana hæresis quo tempore orta. 261.
Exsiccatio corporum non fit per *accidens absolutum*. 88.
Quomodo fiat ex Aristotele. 89.
Extensum *quoad se*. 4.
Quid requiratur, ut consurgat totum *extensum* quoad se. ibid.
Extensum *quoad locum*. ibid.
Extensio est ratio, cur duo sint *impenetrabilia*. 49.
An corpus privari possit *extensione locali*, retenta *entitativa*. 219.
Hac de re dubitarunt Gassendus, & Maignan. 221.
Sed non idcirco negandum videtur. 220. 221.

F.

Quid faciendum, ne rei falsæ, vel non satis cognitæ assentiamur. 175.
Ferrari (P. Joseph Antonius) impugnatur. 13. 15. 19. 21. 22. 24. 25. 26. 28. 29. 33. 36. 48. 49. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 65. 67. 68. 72. 73. 75. 76. 77. 78. 80. 81. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 98. 99. 100. 101. 102. 103. 104. 105. 106. 107. 108. 111. 112. 113. 116. 117. 118. 119. 120. 121. 122. 123. 126. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 138. 139. 140. 142. 144. 145. 146. 147. 149. 150. 151. 152. 158. 159. 160. 161. 162. 163. 167. 168. 169. 170. 171. 172. 173. 178. 179. 181. 183. 184. 225. 229. 238. 247. 249. 250. 257. 283. 284. 285. 286. 287. 288. 290. 292. 293. 294. 295. 296. 298. 299. 300. 301. 302. 303. 305. 306. 307. 308. 309. 310. 311. 334.
Fides non est rerum earum, quæ sensibus apparent. 326.
Non stat cum scientia. ibid.
Fluidum quodnam sit. 91.
Fluiditas non est *accidens absolutum*. ibid.
Fluidum per quid siccum. 153.
Fluiditas in quo consistat. 155.
In omnibus *fluidis* an partes sibi mutuo adhæreant. 158.
Fluidissimum corpus quodnam sit. ibid.
Fractio realis in Eucharistia non est de fide. 206.
Dari potest *fractio realis* in Eucharistia, licet nullum in ea sit *accidens absolutum*. 209.

Fractio apparens non officit dogmati præsentiæ realis. 208.
Frigus non est *accidens absolutum*. 85.
Illius effectus. 87.
Cur manus, dum per aquam frigidam circumfertur, sustinere *frigus* vix possit. 143.
Frigus in quonam physice consistat. 147.
Frigoris corpuscula per quid *formaliter* frigoris sensum inducant. 150.
Id non efficiunt per *accidens absolutum*. 151.

G.

GAlilæanum Mundi systema modo ab Ecclesia toleratur. 332.
Gennaro (P. Nicolaus Maria) impugnatur. 317. 318. 324.

H.

AD recte de *hæresi* judicandum quid requiratur. 174.
Hac in re merito ridentur nonnnuli Scholastici. ibid.
Negantes *accidentia absoluta* non sunt hæretici. 267.
S. Hieronymo falso imputatur epistola ad Damasum, in qua ab hoc præceptum dicitur, ut psalmi doxologia terminarentur. 321.
Humana tentatio est, aliter sapere, quam res se habet. 335.
Humectatio corporum non fit per *accidens absolutum*. 88.
Humectandi vis in liquoribus a quo proveniat. 152.
Humecta corpora quomodo exsiccentur. 153.
Humidum male cum *fluido* confunditur. 89.

I.

I*Gnis*, *& calor* non differunt nisi secundum magis, & minus, Veterum judicio. 136.
Impanatores hæretici qui sint. 286.
Impenetrabile quid sit. 4.
Non debet confundi cum *duro*. ibid.
Incarnatio Verbi futura, etiam non peccante Adamo. 315.
Innocentius Papa III. admisit quidem *accidentia absoluta*, sed non determinavit, ea ad fidem pertinere. 312.
S. Irenæus quidnam intelligat nomine *rei cœlestis*; & *terrenæ*, quibus ait constare Eucharistiam. 251.

L.

LAnfrancus Archiep. Cantuar. laudatus. 246.
Non utitur doctrina *accidentium absolutorum*, dum Berengarium confutat. ibid. 297.
SS. Lazari, Marthæ &c. appulsus in Provinciam apprime dubius. 322.
Lumen sive *lux secundaria* non est *accidens absolutum*. 65.
Non radicatur in subjecto. ibid.
In quonam physice consistat. 97.
Est corpus. ibid.
Quomodo penetret corpora diaphana. 104.
Quo sensu totum vitrum sit lucidum. 107.
Cur papyri poros non pervadat. ibid.
Incertum est, an possit esse sine omni calore. 138.
Lumen, & *calor* possunt esse ab iisdem corpusculis, quin ubicunque sentitur *calor*, etiam *lumen* apppareat. 139.
Nihil prohibet, quominus ex aliis corpusculis *calor*, ex aliis *lumen* proveniat. 140.
Lumen quomodo *calorem* excitet. 141.
Lumen Lunæ ineptum est ad comburrenda corpora. 102.
Lux primaria non est *accidens absolutum*. 63.
Quomodo excitetur in corporibus. ibid.
Non dependet a motu partium tantum ut a conditione. 64.
In quonam physice consistat. 95.
Lux est substantia ex Theodoreto. 256.
Etiam ex S. Augustino. ibid.
S. Basilius non docuit, *lucem* esse *accidens physicum*. 253.
Neque id docuit Nazianzenus. 256.
Lux pro formali non est *qualitas* ex Damasceno. 258.
Ejus judicio, non distinguitur ab igne. ibid.
Lux non est corpus, quatenus in corpore recipitur. 257.
Lutherani dicere nequeunt, primam Viclefi propositionem coincidere cum tertia. 289.

M.

De magnis Viris caute judicandum. 3.
Magnitudo corporis quid sit. 9.
Non est *accidens absolutum*. 41.
Quomodo distinguatur a substantia. 42.
Quomodo constituat prædicamentum diversum a prædicamento *substantiæ*. 44.
S. Marcellini lapsus in idololatriam commentitius est. 323.
Fuit illi imputatus a Donatistis. ibid.
Hujus historia contradictionibus plena. ibid.
Miracula non multiplicantur in Eucharistia sine necessitate. 205.
Ad illa non est confugiendum, ut prima rerum creatio explicetur. 254
Mollities corporum unde proveniat, 157.
Motus rectus quomodo esse possit cum perturbato. 141.
Multitudo non est *accidens absolutum*. 41.

N.

Nervi quid sint. 6.
Horum substantia. ibid.
Horum fibræ primitivæ sunt ejusdem rationis. 19.
Nigrum corpus totam, aut ferme totam lucem absorbet. 116.
Nigra facile incalescunt, & flammam concipiunt. ibid.
Nigredo non est *color positivus*. 120.
Maxime differt ab *albedine*. 121.
Per quid corpus sit *nigrum*. 124.
Nigrum apparere potest corpus ob multiplicem causam. 121.
Cur, aucto *lumine*, res magis nigra appareat. 122.

O.

Objectum *circa quod* potest esse etiam subjectum *in quo*. 308.
Odores non spargit corpus, vitro hermetice clauso contentum. 74.
Odor non est *accidens absolutum*. ibid.
Odores consistunt in effluvio. 132.
Hoc effluvium est *sulphureo-mercuriale*. 133.
Per quid excitet *odoris* sensum. 134.
Olfactus organum in quo consistat. 10.
Opacum quid sit. 69.
Opacitas non est *accidens absolutum*. ibid.
In quo consistat. 109. 111.
Organum sensus externi. 7.
Ejus structura. 9.
Ovdinus (Casimirus) impugnatur. 260. 261.

P.

Panis quo sensu sit *subjectum specierum*. 308.
Papa hæreticus judicari potest ab Ecclesia. 325.
Patrum communis sensus facit certam fidem dogmatum catholicorum. 240.
Horum plurium auctoritas nequit esse firmum argumentum. ibid.
Patres veteres fuere Platonici. 241.
Quomodo loquantur de *sensibilitate* panis, quæ in Eucharistia superest. 245.
Picinardus (P. Seraphinus) impugnatur. 207. 208. 235. 309.
Falso pro sua opinione laudat Card. Bellarminum. 276.
Pissini (Andreæ) palinodia non officit Recentioribus. 331.
Cur coactus fuerit revocare, quæ de *accidentibus* scripserat. ibid.
Et quam juste. 333.
Plato non admisit *accidentia absoluta*. 241.
Neque propterea ipsum criminati sunt Patres veteres. 242.
Summorum Pontificum decreta quando ad fidem spectent. 182.
Omne corpus suos habet *poros*. 164.
Præmotio physica non est de fide. 317.
Præsentia realis Christi Domini in Eucharistia non dependet ab *accidentibus absolutis*. 176.
Purchotius falso accusatus a P. Ferrari. 283.

Q.

Qualitatis *sensibilis* nomine quid intelligatur. 5.
In quonam physice consistat. ibid. & 31.
Qualitatum sensibilium existentia certissima est. 6.
Non negatur a Recentioribus. ibid.
Non proveniunt ex affectionibus mechanicis quantitatis. 50.
Nulla *qualitas sensibilis* est entitas extensa, & impenetrabilis. ibid.

Nu-

Nulla est *accidens absolutum*. 63.
Qualitates spirituales an sint *accidentia absoluta*. 94.
Qualitatum sensibilium origo physica. ibid.
Quid senserit S. Basilius de illarum distinctione a substantia. 255.
Quantitas. Vide *magnitudinem*.
Quo sensu manere dicatur in Eucharistia. 47.
Identitas *quantitatis* cum *substantia* vel non nocet Recentioribus, vel etiam Scholasticis officit. 48.
Quæstio de voce non est ridicula, quando agitur de significatione vocabuli. 302.

R.

R*Arum* quodnam sit. 92.
Raritas corporum non est *accidens absolutum*. ibid.
Undenam physice proveniat. 164.
Corpora calore rarescunt. ibid.

S.

S*Acramentum* quid sit. 132.
Non est de intrinseca illius ratione, ut vere in ipso sit, quod apparet. 232.
Quomodo in Eucharistia aliud videatur, aliud intelligatur. 233.
Quo sensu in Eucharistia locum habeant, quæ Innocentius III. in Sacramento distinguit. 234.
An Christus Dominus etiam extra Eucharistiam *sacramentaliter* tradi possit. 237.
Sacramentarii hæretici qui dicantur. 286.
Sal terræ falso negatum a S. Hilario. 326.
Sapor non est *accidens absolutum*. 71.
Oritur a particulis salinis. 127.
Hæ non excitant sensum *saporis* per *accidens absolutum*. 72.
Sed per suam magnitudinem & figuram. 127.
Corpus sapidum debet dentibus conteri, & saliva dilui, ut illius *sapor* sentiatur. ibid.
Lingua nimis arida, vel nimio humore turgida *saporem* non percipit. ibid.
Corpora calore fiunt sapidiora, frigore insipida. 128.
Cur dissimilia corpora eundem *saporem* referant. 131.
An id sit universaliter verum. ibid.
Saporum discrimen unde mechanice proveniat. 132.
Scholasticorum ætas prima. 240. 245.
Scholasticorum omnium communis sententia in re gravi nonnisi temere negari potest. 265.
Scholasticorum non omnium, sed multorum auctoritas quanti facienda. ibid.
Scholastici plures negant, *accidentia absoluta* pertinere ad fidem. 266., & seq.
Scholastici nonnulli merito ridentur. 177.
Sensatio nulla fit sine motu. 29.
Debet passio externi sensorii ad cerebrum deferri, ut fiat sensatio. 9.
Hæc communicatio non fit momento temporis. 25.
Fit ope *spirituum*. 26.
Quid menti sentienti in sensatione occurat. 32.
Res non sentitur per speciem. 35.
In re non est, quod sentitur. 39.
Quomodo judicandum ex sensibus. ibid.
Quomodo per sensus videri possit nobis præsens, quod reapse præsens non est. 40.
Sensibile quid sit. 4.
Corpus per quid sensibile. 5.
Sensibile est *tactile*, quo sensu verum. 15.
Sensibile formaliter. 31.
Per quid. ibid.
Sensibilis qualitas in quo consistat. ibid.
Sensibilitas panis in Eucharistia superstes non est mere extrinseca. 228.
Sed aliquo modo intrinseca, & objectiva. ibid.
Nihil natura sua sensibile est *accidens absolutum*. 59.
Sensorii passio in quo consistat. 10.
Sensoriorum diversitas non est frustranea, licet omnis sensus tactu fiat. 18.
Sensus externi organum. 7.
Ejus compositio. 9.
Sensuum quinarius numerus non corruit, licet eorum omnium passio in motu consistat. 22.
Sensuum testimonio utimur, etiam cum de substantia judicandum est. 203.
Siccitas in quo consistat. 153.
Cur in exsiccatione decrescat magnitudo & pondus corporis. 154.
Cur exsiccatio calore perficiatur. ibid.
Siccum perperam confunditur cum *solido*. 89.

Signum quid dicatur. 232.
Sinusiastæ hæretici. 264.
Solidum quid sit. 91.
Soliditas non est *accidens absolutom*. ibid.
Solidum cur siccum. 153.
Sub *própria specie* apparere quid sit. 7.
Sub *aliena*. 8.& 40.
Species sensibiles non bene explicantur a Scholasticis. 12.
Vel nullæ sunt, vel non differunt a motione sensorii. 31.
Apparitiones Christi sub speciebus hortulani &c. factæ sunt per solam sensoriorum immutationem. 193.
Negare, eas posse fieri independenter ab *accidentibus absolutis*, erroneum est. ibid.
Possunt fieri pluribus simul, & diu durare independenter ab *accidentibus absolutis*. 196.
Potest Christus Dominus esse in Eucharistia sub *speciebus* panis independenter ab *accidentibus absolutis*. 192.
Species Eucharisticæ quomodo corrumpantur. 213.
Id nonnisi apparenter fieri, nonnulli docuerunt, sed non recte. 214.
Quomodo ex illis vermes generentur. 215.
Quomodo ex illis fiat nutritio. ibid.
Specierum nomine quid intellexerint Patres. 247.
Species necessario exiguunt objectum, a quo producantur, ut *accidentia* subjectum, cui inhæreant. 249.
Species Eucharisticæ non *sensibiles*, sed *rerum sensibilium* a Tridentino dicuntur. 306.
Non manent, quia sola maneat virtus eas producendi. 304.
Species manere in Eucharistia *sine subjecto*, nullibi dixerunt Patres Tridentini. 308.
Eas non *remanere*, sed tantum *manere*, iidem dixerunt. 300.
Spiritus animales quid sint. 6.
Illorum existentia ferme ab omnibus admittitur. 7.
Substantiæ corporeæ ratio. 8.
Habet partes ex se. ibid.
Hæ possunt ex se constituere totum extensum. 41.
Substantia non habet *speciem* sui, proprie loquendo. 250.
Cognoscitur per *accidentia*. 308.

T.

T*Actus* organum. 10.
Tactus duplici modo sumi potest. 14.
Temperamentum in corporibus duplex. 113.
Theologi plures non faciunt argumentum certum. 265.
Omnium consensus certum facit. ibid.
Plures negant, doctrinam de *accidentibus absolutis* ad fidem pertinere. 266.
Transubstantiatio quid sit. 176.
Quot conditiones ad illam requirantur. 177.
Ipsam dari, dogma est fidei. 176.
Non dependet ab *accidentibus absolutis*. ibid.
Quo sensu sit conversio mirabilis, & singularis. 183.
Per quid differat a *creatione* &c. 184.
Non recte definitur desitio substantiæ, manentibus *accidentibus*. 186.
Probatur ex præsentia reali. 223.
Neque id sectarii negare potuerunt. ibid.
An evidenter colligatur ex S. Scriptura. 224.
Quid de hoc argumento Scotus. 225.






V.




VEis (P. Uldaricus) impugnatur. 217. & seq.
Veritas semper conjuncta est cum sacris Literis &c. 174.
Non semper cum Philosophia. ibid.
Non alia Theologorum, alia Philosophorum. ibid.
Quo sensu sit verum, quod sensibus constanter apparet. 205.
Viclefi doctrina etiam ante Concilium Concilium Constantiense damnata. 282.
Illius ptopositio secunda cur dicta fuerit *sapiens hæresim*, prima vero absolute *hæretica*. 293.
Visus organum. 9.
Vitrum cur dum in pulverem facessit, *diaphaneitatem* amittat. 159.





FINIS.



DISSERT
DE
QVALITAT
CORPORE





colorchecker CLASSIC


calibrite

mm